# ACTA

# SANCTAE SEDIS

## EPHEMERIDES ROMANAE

**A SSMO D. N. PIO PP. X**

AUTHENTICAE ET OFFICIALES

APOSTOLICAE SEDIS ACTIS PUBLICE EVULGANDIS

DECLARATAE

**Volumen XXXVII.**

**ROMAE**

DIRECTIO ET ADMINISTRATIO

VIA S. NICCOLÒ DA TOLENTINO, 74.

1904-05.

**Reprinted with the permission of Libreria Editrice Vaticana**

**JOHNSON REPRINT CORPORATION**
**111 Fifth Avenue, New York, N.Y. 10003**

**JOHNSON REPRINT COMPANY LTD.**
**Berkeley Square House, London, W1X6BA**

Romae 1904.—Typographia Polyglotta S. G. de Propaganda Fide.

First reprinting 1969, Johnson Reprint Corporation
Printed in the United States of America

# ACTA SANCTAE SEDIS

SSMUS D. N. PTUS PP. X

NOSTRAS EPHEMERIDES « *ACTA S. SEDIS* » AUTHENTICAS ET OFFICIALES APOSTOLICAE SEDIS ACTIS PUBLICE EVULGANDIS DECLARAVIT.

*Beatissime Pater,*

Romanae ephemerides, quibus titulus « *Acta Sanctae Sedis* » , primo in lucem prodierunt anno MDCCCLXV cura et studio viri clarissimi Petri Avanzini presbyteri urbani, qui eas utilitati cessit Pontificii Seminarii SS. Apostolorum Petri et Pauli pro Clericis praecipue italis ad sacras missiones inter infideles instituendis , cuius ipsemet, adprobante ac largiter auxiliante Summo Pontifice fel. rec. Pio IX, haud ita pridem fundamenta iecerat.

Quamvis autem laudatus presbyter in primordiis dictarum ephemeridum declarasset nulla publica auctoritate illas fulciri, actaque in illis relata nullam aliam sibi fidem auctoritatemque vindicare praeter eam quae tribui iisdem solet cum in privatis auctorum operibus reperiuntur; nihilominus ephemerides, de quibus est sermo, eo statim favore ubique fuerunt exceptae, ut brevi ab omnibus fere Europae aliarumque regionum dioecesibus ceu tutior Romanae Curiae Decisionum collectio habitae fuerint. Quod quidem tum Seminario supradicto, tum etiam sacris missionibus ipsi a Sacra Congregatione de Propaganda Fide concreditis, emolumento fuit.

Porro ut hae ephemerides, ceteris eiusdem generis antiquiores, latius etiam propagentur ac magis acceptae lectoribus, Seminario autem SS. Apostolorum Petri et Pauli eiusque sacris missionibus utiliores

fiant, Seminarii eiusdem Moderatores ad pedes Sanctitatis Tuae humiliter provoluti instanter petunt, ut Sanctitas Tua ephemerides ipsas pro Actis Sanctae Sedis publice evulgandis authenticas et officiales declarare benigne dignetur.

Quod etc.

*Ex Audientia SSmi habita die 23 Maii 1po4.*

**Sanctissimus Dominus Noster Pius divina providentia Papa X, referente me infrascripto Sacrae Congregationis de Propaganda Fide Cardinali Praefecto, precibus benigne annuens, memoratas ephemerides authenticas et officiales Apostolicae Sedis Actis publice evulgandis declaravit.**

**Datum Romae, ex Aedibus S. Congregationis de Propaganda Fide, die et anno praedictis.**

**L. 8 S. F. H. M. Card. GOTTI, Praefectus.**

Quamplurimas gratias Tibi agimus, Beatissime Pater, quod Ephemerides « *Acta Sanctae Sedis* » nostris curis concreditas authenticas et officiales declaraveris. Hoc Tuum erga nos peculiaris benevolentiae pignus quanto nos honore quantaque laetitia affecerit haud facile potest imaginari, cum nobis compertum sit eo magis hac Pontificia declaratione Ephemerides in bonum totius christianae societatis ac nostri Seminarii eiusque Missionum incrementum et emolumentum redundare, quo maior necessitas urget Acta Apostolicae Sedis per universum orbem Apostolica quoque Auctoritate divulgentur. Laetissimi igitur de nostro opere perficiendo, quammaxime studebimus ut sapientia Tua, qua Romanae Sedis Oracula coruscant, magis magisque innotescat, nixi praesertim Apostolicae Tuae Benedictioni, quam pro nobis ac pro omnibus ipsarum Ephemeridum lectoribus instanter petimus.

# AD NOSTROS LECTORES

A pluribus, praesertim vero a Consociatis, iucundae ad nos pervenerunt et quotidie perveniunt gratulationes de supremo honore, quo Pius PP. X nostras Ephemerides nuperrime condecorare dignatus est; omnibus proinde debitas et publicas gratias agimus. Interea minime pigeat Lectores benignas aures praebere iis, quae inferius exponuntur quaeque veluti nostrum programma sunt habenda.

Romanae Ephemerides *«Acta Sanctae Sedis»* ipsae solae, ex omnibus aliis huiusce generis, Apostolicae Sedis organum authenticum et officiale constituunt et sunt. Quod, non modo in emolumentum et incrementum Pontificii Seminarii SS. Apostolorum Petri et Pauli de Urbe eiusve Missionum, sed in bonum quoque universae catholicae Ecclesiae redundat. Sane Apostolica auctoritate in lucem eduntur omnia solemniora Acta, nempe Constitutiones Apostolicae, Epistolae Encyclicae, Litterae Apostolicae, Allocutiones Pontificiae, Motu Proprio, Brevia, Decreta, Rescripta, Decisiones, etc., quae sive a Romano Pontifice, sive a Sacris Congregationibus Romanis, sive ab aliis ecclesiasticis Dicasteriis directe dimanant. Quorum omnium publicatio maxima cum celeritate et diligentia peragitur

Praeterea, privata auctoritate, si opus sit, illustrantur necessariis ac congruis animadversionibus et commentariis illa iuridica Acta, quae vel difficultatem parere possunt vel ad vigentis iuris notitiam ulterius conducunt. Item diligenti studio in compendium exponuntur Causae praecipuae a Sacris Congregationibus, praesertim Episcoporum et Regularium, Concilii, et Sacrorum Rituum, pertractatas et resolutas, eas ad ecclesiasticum ius et ad romanam iurisprudentiam conferendo.

Referuntur etiam Consultationes canonicae, morales, liturgicae, etc. a doctissimis viris redactae, vel ab • ipsis Lectoribus ad nos transmissae. Apud Directionem recipiuntur dubia, casus, quaestiones et animadversiones sive a Consociatis sive etiam ab aliis, quibus deinde respondetur per litteras privatas, aut, si opportunum visum fuerit, in ipsis Ephemeridibus, aut etiam per recursum ad competentem Auctoritatem.

Quibus accedit Diarium Curiae Romanae, ubi recensentur promotiones et honorificentiae ab Apostolica Sede collatae, nec non alia ex principalioribus, quae in Curia Romana fiunt. Datur quoque notitia ephemeridum et librorum, praesertim sacras disciplinas et ius canonicum respicientium, ubicumque et in quavis lingua editorum, dummodo ad nos exemplar transmittatur. Si autem res expostulare videtur, de his recensio quoque fit.

Uti omnibus apprime innotescit, maxima invenitur in Rubricis varietas, fasciculi statuto tempore diligenter eduntur, novi ac emendatissimi typi, qui vulgo *elzeviri* vocantur, introducti sunt ex perinsigni ac celeberrima Typographia Polyglotta S. C. de Propaganda Fide, charta quoque solidior ac elegantior adhibetur.

In posterum, Deo opitulante, alias non exiguas modificationes et melioramenta inducere in animo habemus, ut magis atque magis spei ab Apostolica Sede in nobis repositae mitius indigne respondeatur atque Lectorum utilitati consulatur.

Quapropter nostrae Romanae Ephemerides « *Acta S. Sedis* » sub optimis auspiciis Pii PP. X feliciter regnantis, opus suum prosequuntur veteri novoque programmate. Clerum quam maxime adiuvantes in studiis sacris excolendis, atque in divinis ministeriis competenter explendis.

DIRECTIO.

# ACTA ROMANI PONTIFICIS

## EX SECRETARIA BREVIUM

**Pius PP. X Canonicos omnes ecclesiae cathedralis Tarvisinae Protonotarios Apostolicos ad instar Participantium instituit.**

PIUS PP. X

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Singularis prorsus ac suavis charitatis benevolentiaeque sensus animum Nostrum movet, cum ad Ecclesiam Tarvisinam antiqua religione clarissimam oculos mentis Nostrae convertimus. Illius enim intra Dioecesis fines extat oppidum in quo nati sumus, atque in Capitulum illud Cathedrale et Nos ipsi adlecti fuimus, ideoque eam Ecclesiam, quasi alteram patriam reputamus, et Canonicos quos socios habuimus memori dilectione prosequimur. Hinc modo Nobis divino consilio in Apostolicae Sedis fastigium evectis placet summopere Cathedralis memorati templi Capitulum iugiter de re sacra optime meritum peculiaribus ornare insignibus, ut perennis penes illud sit propensae voluntatis Nostrae memoria. Quae cum ita sint omnes et singulos, quibus Nostrae hae litterae favent, peculiari beneficentia complectentes et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis quovis modo vel causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, Apostolica Nostra auctoritate praesentium vi Capituli Cathedralis Ecclesiae Tarvisinae nunc et in posterum existentes Canonicos residentiales et honorarios Motu-proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine Protonotarios Apostolicos ad instar, sed non **e**

numero participantium facimus atque renuntiamus, et ipsis quae singillatim enumerantur privilegia, honores, atque insignia perpetuum in modum conferimus. Praedictis igitur Canonicis liceat habitu Praelatitio uti, nimirum, veste talari caudata, fascia et palliolo seu mantelletto violacei coloris cum collari et caligis item violaceis ac birreto, quod tamen omnino nigrum esse debet (i). Hunc habitum Praelatitium cum Rochetto subtus Palliolum adhibere poterunt in publicis supplicationibus aliisque sacris functionibus; in reliquis vero Rochettum dimittant; simulque sciant nunquam sibi licere, praeterquam in celebratione Missae Pontificalis, Crucem pectoralem et Annulum deferre. Habitu privato incedentibus fas erit iisdem Canonicis, retento usu collaris et caligarum violacei coloris, induere vestem talarem nigram fimbriis globulisque rosaceis ornatam, circumcingere illam ad lumbos parva fascia violacea, pallium item violaceum superimponere, ac pileo nigro vittam seu cordulam sericam rubri coloris, auro tamen non intertextam adiungere. Si in habitu Praelatitio sacris functionibus assistant, non genuflectant, sed caput Cruci inclinent, et duplici ductu thurificentur. Indulto gaudeant privati Oratorii ab Ordinario visitandi atque approbandi in quo diebus etiam solemnioribus, in consanguineorum et affinium secum cohabitantium nec non famulorum suorum praesentia, Missam vel per se celebrare, vel per quemcumque Sacerdotem saecularem, vel cuiusvis Ordinis regularem rite probatum

(i) Per subsequens Decretum S. R. C. diei 9 Martii 1904 concessum fuit omnibus Protonotariis Apostolicis ad instar Participantium, ac proinde etiam Canonicis ecclesiae cathedralis Tarvisinae, ut in sacris functionibus biretum nigrum ornari possint lemnisco seu flocculo eiusdem coloris ac vitia seu chordula qua pileum circumcingere solent, coloris nempe rubri. Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 36, p. 571. Insuper quoad alia privilegia, quae hic recensentur, praeter Constitutionem Apostolicam Pii PP. IX diei 29 Augusti 1872, consulendae sunt nuperrimae declarationes S. R. C. diei y Martii 1904. Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 7, p. 83; necnon vol. 36, p. 571. *(N. R.).*

celebrare facere licite possint et valeant, excepto iugiter Altaris portatilis privilegio. Impetrata autem cuiuslibet Ordinarii venia, qui eam tribuere poterit quoties et pro quibus solemnitatibus voluerit, etsi Missa solemnis celebranda sit in Ecclesia exempta, obtento insuper assensu Praelati, cui haec ipsa Ecclesia subest, liceat memoratis Canonicis solemne Sacrum peragere seu Pontificalium privilegium exercere, non tamen in hac Alma Urbe Nostra, neque iisdem prorsus ritibus et pompa, qui Episcopali tantum dignitati conveniunt. Siquidem ad Ecclesiam ubi rem divinam sint solemniter celebraturi privatim accedant. Non Cappam magnam nec pileum pontificale audeant assumere; ne unum quidem Presbyterum vel Clericum superpelliceo indutum sibi comitem adsciscant ; non in templi vestíbulo ab Ecclesiae Clero associari se sinant ; non denique populum lustrali aqua ibidem aspergere, nec ipsi intra Ecclesiam benedicere manu praesumant. Quoad vero ornamenta Pontificalia hisce tantum uti poterunt, scilicet: Caligis et Sandaliis sericis nec auro nec argento ornatis, sericis item Chirotecis sine opere frygio aureo vel argenteo, Dalmatica, Tuniceila, Annulo cum unica gemma, Cruce pectorali sine ullis gemmis cum Cordula serica violacei coloris, Mitra simplici ex tela alba cum sericis laciniis rubri coloris, ac pileolo nigri coloris, attamen nonnisi sub Mitra adhibendo. Haec ipsa vero Pontificalia ornamenta assumere haud poterunt in Missis pro defunctis, in Processionibus et in quibuscumque aliis ecclesiasticis functionibus, nisi forte Missam solemnem immediate praecedant vel subsequantur, at semper depositis in eiusmodi functionibus a Missa distinctis, Chirotecis cum Dalmatica et Tunicella. Mitra vero supra descripta uti possint toties quoties parati Missae et Vesperis pontificalibus ab Episcopo Ordinario celebratis assistunt, attamen tantum in Ecclesia Cathedrali et in Ecclesia Sancti Nicolai prope Seminarium. In Missis autem privatis quoad indumenta, caeremonias, ministros, Altaris ornatum,

cereorum lucentium numerum a simplici Sacerdote non differant, adeoque nullum prorsus ex ornamentis pontificalibus pro Missa solemni tantum sibi indultis adhibeant, atque ab omnibus et singulis ritibus in ipsa Missa solemni sibi vetitis abstineant. Volumus tandem, ut supra dicti Canonici recensitis hactenus privilegiis uti frui incipiant, postquam praesentes hae Nostrae litterae in Capitulari Conventu rite promulgatae fuerint, et postquam ipsi coram Ordinario fidei professionem et fidelitatis iuramentum praestiterint. Decernentes has Nostras literas firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et in posterum spectare poterit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quodque Iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum esse et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis aliisque Sanctionibus etiam iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, ceterisque speciali licet et individua mentione ac derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die V Decembris MCMIII, Pontificatus Nostri anno primo (i).

L. ✠ S. ALOIS. Card. MACCHI.

(I) Secretarius particularis Sanctitatis Suae relatum Breve ad Illmum et Revmum Decanum Capituli Tarvisini transmisit, sequenti adnexa epistola :

*Vaticano, 6 Dicembre igo3*

*Illmo e Revmo Monsignore,*

Accompagno l'autografo del Santo Padre, la professione di fede e il giuramento prescritti ai Protonotari Apostolici. E qui V. S. deve far osservare all' Illmo e Rmo Capitolo, che la dignità e i privilegi concessi agi' Illmi e Rmi Signori Canonici di Treviso non sono concessi soltanto *capitolarmente,* cosi

*Ex Secretaria Brevium*

**Indulgentia largitur deferentibus numisma miraculosum Immaculatae Conceptionis, et in eiusdem honorem iaculatoriam recitantibus.**

PIUS PP. X

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Oblatis Nobis precibus a dilecto filio Augustino Veneziani, altero a Procuratore Generali Congregationis Missionis, benigne annuere volentes, auspicatissima potissimum occasione solemnis Immaculatae Conceptionis Iubilaei, de Omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis fidelibus ex utroque sexu ubique terrarum existentibus, qui gerant numisma miraculosum nuncupatum, dummodo illud rite prius benedictum a persona receperint debita facultate praedita, quoties

che fuori di Diocesi i Rmi Canonici siano sacerdoti semplici, ma anche *singolarmente,* così che ovunque possano indossare le insegne e fare, *servatis servandis,* i Pontificali.

Furono equiparati ai Canonici delle Basiliche Patriarcali *de Urbe,* fatta eccezione della Messa letta, che deve essere come per i semplici sacerdoti ; ma i Canonici di Treviso hanno di più che possono portare la Mitra quando pontifica il Vescovo Ordinano in Cattedrale e a S. Nicolò, e possono fare i Pontificali anche a Treviso, mentre questi delle Patriarcali non lo possono a Roma. Nessuno peraltro potrà usare dei privilegi ecc. se, dopo nominato Canonico e fatto ciò che è prescritto come tale, non faccia anche la professione di fede e giuramento come Protonotario ; e questo obbligo è tanto pei Canonici residenziali come per gli onorarii.

Sarà buona cosa che questa mia lettera si conservi negli Atti del Capitolo, come dichiarazione per togliere ogni dubbio anche per l'avvenire.

*Il Imo e Riho*
*Mons. Giovanni Milanese*
*Protonotario Apostolico ad instar*
*Decano del Capitolo di Treviso.*

Umilissimo Servo
/.- GIOVANNI BRESSAN
Segretario particolare di S. S.

quocumque idiomate, dummodo versio sit fidelis, iaculatoriam precem ipso in numismate inscriptam: « *O Maria sine labe concepta pro nobis ad te recurrentibus ora* » contrito saltem corde recitent, toties de poenalium dierum numero in forma Ecclesiae consueta centum expungimus. Sed largimur fidelibus iisdem, liceat, si malint, partiali eadem indulgentia vita functorum labes poenasque expiare. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuo valituris. Praecipimus vero ut praesentium litterarum authenticum exemplar de more exhibeatur Secretariae Congregationis Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae, secus nullae sint; utque' earumdem transumptis seu exemplis etiam impressis manu alicuius Notarii publici subscriptis et sigillo praemunitis personae in ecclesiastica dignitate constitutae, eadem prorsus adhibeatur fides, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die VI Iunii MCMIV, Pontificatus Nostri anno primo.

L. «J* S. Pro Dno Card. MACCHI

Nicolaus Marini, *Substitutus.*

Praesentium litterarum authenticum exemplar exhibitum fuit huic Secretariae S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae. In quorum fidem etc.

Datum Romae ex Secretaria praedicta, die 7 Iunii 1904.

L. «f S. Ios. M. Coselli, *Substitutus.*

**Pius PP. X Deiparam Virginem a Bono Consilio et S. Petrum Clavér eligit in caelestes Patronos pii Sodalitii a S. Petro Claver nuncupati.**

PIUS PP. X

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ad Apostolicae Sedis fastigium divinae dementiae munere erecti, in omnes christiani orbis partes vel longo terrarum marisque spatio dissitas vigilantis Nostrae mentis oculos convertimus, et divinis praeceptis obsequentes, et clarissima Decessorum Nostrorum exempla sectantes, ea potissimum praestare satagimus quae ad patefaciendum Evangelii lumen conducere videantur. Hoc quidem consilio pias societates ad finem institutas proferendi Ecclesiae terminos penes populos in errorum umbra sedentes, ac praesertim penes gentes interioris Africae plagas incolentes, immanitate barbaras cultuque efferatas, ut simul et recte factis praemium ferant, atque ad potiora capessenda incitamentum peculiaribus voluntatis Nostrae significationibus cohonestandas existimamus. Haec inter pia opera, praestat sodalitium a S. Petro Glaver nuncupatum ; hoc enim provinciam unicam sibi demandatam habet Africam, atque ad unicum hunc finem canonice erectum est nempe adiuvandi Missionarios universos cuiusque nationis atque instituti Apostolicum munus in Africa obeuntes. Hinc quasi cohors auxiliaria societas huiusmodi omnium sacrarum in Africam expeditionum emolumento eminus consulit, atque assidua et constanti opera ad Catholicam illis in regionibus fidem provehendam, servandam; ad mancipia in libertatem vindicanda; simulque ad aeternam nigritorum salutem procurandam intendit. Sodalitium sub dependentia positum est Congregationis de Propaganda Fide. Summa pii operis manet penes institutum religiosarum sodalium a S. Pe-

tro Claver appellatum; cuius Moderatrix generalis et soda litio praeest; easdem vero adiuvant utriusque sexus soci ubique terrarum existentes. Hi iuxta societatis tabulas, diversaque munera quibus operam navant, sodales, zelatores, zelatrices, vel externi appellantur, omnesque quo propositum sibi finem facilius assequi valeant, stipe, precibus, typis editis scriptis, sacris ephemeridibus, aliisque piis id genus ope ribus Africae Missionariis student subvenire. Nunc autem cum dilecta in Christo filia Maria Teresia Ledóchowska moderatrix generalis pii ipsius operis, enixas Nobis preces humiliter adhibuerit, ut peculiari illud voluntatis Nostrae pignore decorare dignaremur; Nos haec Nobiscum tam frugiferi sodalitii promerita reputantes, votis hisce ultro libenterque censuimus annuendum. Quae cum ita sint, omnes et singulos quibus hae Nostrae Litterae favent, a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, quo sodalitium ipsum pluribus nominibus iam de sacra re optime meritum, uberiora capiat, Deo favente, incrementa, et cum externis illius praesidiis, tutela quoque et gratia de superis congruat, Deiparam Virginem a Bono Consilic, et Sanctum Petrum Claver, Auctoritate Nostra Apostolica, praesentium vi caelestes eidem patronos eligimus, damus, eisque volumus omnes honorificentias tribui caelestibus patronis competentes. Has vero ambas festivitates, ut ad amplificandam ipsarum dignitatem, ne desit quidem amplioris lithurgiae accessio, Apostolica similiter Nostra Auctoritate per praesentes, quoad Ecclesias ubique terrarum piis instituti eiusdem domibus continentes, ad ritum duplicem maiorem, .servatis rubricis, evehimus. Placet autem Nobis caelestem Patronam ipsi societati a Bono Consilio Virginem adsignare, spem enim prope certam fovemus, futurum ut ipsa sodalium coeptis propitia favens, bona illis suggeret consilia, eorumque actus omnes in sacrarum in Africam ex-

peditionum bonum atque emolumentum vertat. Petro autem Claver est ipso cum opere ratio quaedam singularis et propria. Hic enim coeles, qui cum mortale aevum ageret, omni christianae charitatis studio animum appulit ad levandas pauperum Afrorum in vincula coniectorum aerumnas, et nigritorum Apostolus iure meritoque vocatus fuit, procul dubio sodalibus addet vires, ut propositum sibi finem, nigritorum nempe salutem, satius consequantur. Quapropter spes Nos bona tenet, societatem ipsam auspice Virgine a Bono Consilio, ac deprecatore Petro Claver, brevi et aucto sodalium numero, et fidelium stipem conferendum diligentia et liberalitate, tot tantaque suscepturam incrementa, ut in omnes gentes ac nationes prolata, universos unanimi consensu fideles ad Afrorum spirituale bonum provehendum rapiat. Salvator autem et instaurator humani generis Christus, cuius sanctissimo propugnando nomini et ipsa societas incumbit, tegat ipsam gratia praesidioque ; Nosque interea tum Moderatrici cum sodalibus, aliisque ex utroque sexu fidelibus pium ipsum in opus rite adlectis, coelestium munerum auspicem Nostraeque voluntatis pignus, Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.. Haec mandamus, edicimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas, et efficaces semper existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortire et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum esse et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut praesentium Litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur quae

adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die X Iunii MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.

L. ✠ S. ALOIS. Card. MACCHI.

**Conceditur indulgentia recitantibus invocationem: «Nostra Domina a Sacro Corde, ora pro nobis ».**

PIUS PP. X

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Benigne annuentes oblatis Nobis piis precibus a dilecto filio Praeposito Generali Missionariorum Sacri Cordis, omnibus et singulis fidelibus ex utroque sexu, ubique terrarum nunc et in posterum existentibus, quocumque idiomate, dummodo versio sit fidelis, invocationem hanc contrito saltem corde ac devote recitantibus : « *Nostra Domina a Sacro Corde, ora pro nobis* », quoties id agant, toties de poenalium dierum numero in forma Ecclesiae solita centum expungimus. Largimur insuper fidelibus iisdem, si malint, liceat partiali ipsa indulgentia functorum vita labes poenasque expiare. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Sed praecipimus ut praesentium authenticum exemplar transmittatur ad Secretariam Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositam; alioquin nullae sint ; simulque ut praesentium litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis manu alicuius Notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXVIII Iunii MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.

L. «₰» S. Pro Dno Card. MACCHI

Nicolaus Marini, *Substitutus.*

Praesentium Litterarum authenticum exemplar transmissum fuit ad hanc Secretariam S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae.

In quorum fidem etc.

Datum Romae ex eadem Secretaria, die 9 Iulii 1904.

L. «£• S. Ios. M. Can. Coselli, *Substitutus,*

# EX SECRETARIA STATUS

## Inculcatur unio inter componentes Comitatum Permanentem Operis Conventuum Catholicorum in Italia.

*Illmo Signore,*

Ho ricevuto il foglio direttomi dalla S. V Illma il 4 del corrente, e non ho indugiato a portarne il contenuto a conoscenza del Santo Padre. Sua Santità ha appreso con dispiacere che, nel seno del Comitato Permanente dell' Opera dei Congressi, manchino ancora quella concordia e quell' unità di propositi che sono gli elementi più necessarii a rendere efficace e fruttuosa l'azione cattolica in Italia. Fa voti pertanto perchè un tale difetto non si debba lamentare più a lungo, e a farlo cessare sprona 1' attività e lo zelo della S.V.

All' augusto Pontefice è nota la perfetta ortodossia di tutti i membri del Comitato Permanente, specialmente sui due punti della questione Papale e della dipendenza dall'autorità ecclesiastica. Gli è inoltre palese lo zelo e il disinteresse

della Presidenza dell' Opera nel compiere il difficile mandato che le è stato commesso. Vuole pertanto che nessuno dubiti della Sua benevolenza verso le egregie persone che dirigono T Opera dei Congressi e che mettendo da parte ogni discussione irritante, si lavori concordemente al bene in conformità di quelle norme che la Santità Sua ha già tracciato e che potrebbe in seguito riconoscere opportuno di dichiarare e spiegare sempre meglio (i).

Nel manifestarle questi benevoli sensi e questi augusti intendimenti dell'animo del Santo Padre, godo raffermarmi con sensi di distinta stima

Di V. S. Illma

Roma, 6 luglio 1904.

Affmo per servirla

R. Card. MERRY DEL VAL.

*Sig. Conte Giovanni Grosoli*
*Presidente Generale*
*dell'Opera dei Congressi Cattolici in Italia*
*Ferrara.*

(i) Praeses Generalis Operis Conventuum catholicorum in Italia post coetus Comitatus Permanentis eiusdem Operis habitos Bononiae diebus 2 et 3 iulii volventis anni, de omnibus ibidem dictis et actis Emum et Rmum Cardinalem Secretarium Status S. S. certiorem fecit. Qui deinde, nomine Sanctitatis Suae, supra relatis litteris dum orthodoxam fidem omnium Comitatum Permanentem Operis efformandum, praecipue quoad Causam Papalem et ab ecclesiastica auctoritate dependentiam, profitetur, eos tamen vehementer hortatur ad animorum concordiam inter ipsos fovendam.

At quum optata concordia haberi non possit, nec aliunde ex actuali rerum ordine boni sperentur fructus, Sanctitas Sua infrascriptis litteris Secretariae Status omnino dissolvit ipsum Comitatum Generalem Permanentem Operis cum respectivis Divisionibus et Sectionibus, perseverante solummodo immutata II Divisione, cui peculiare modo actio popularis christiana seu Democratia christiana concredita est. Quapropter in posterum, praeter huiusmodi II Divisionem, vigebunt tantum Comitatus Dioecesani et Regionales sub immediata Episcoporum tutela, vigilantia et approbatione. Et ita actio popularis christiana in Italia, quemadmodum omnibus sperare datum est, expeditior ac tutior erit incessura atque uberiores fructus allatura. *(N. R.).*

## epistola circularis E.mi Cardinalis Secretarii Status S. S. ad R.mos Italiae Ordinarios de actione populari christiana moderanda.

LETTERA CIRCOLARE
DELL' EMO CARDINALE SEGRETARIO DI STATO DI SUA SANTITÀ
AI REVERENDISSIMI ORDINARI D' ITALIA'

*Illmo e Rmo Signore,*

La Santità di Nostro Signore Pio Papa X, deplorando i tristi effetti della mancanza d'intesa, concordia, ed unità di propositi nella direzione dell'Opera dei Congressi e dei Comitati Cattolici d'Italia, principalmente in seno al Comitato 'Generale Permanente, e prendendo in matura considerazione l'intiero sviluppo dell'Opera coi documenti e fatti più 0 meno recenti che la riguardano, ha ordinato al sottoscritto Cardinale Segretario di Stato di rendere note ai Revmi Ordinari <d' Italia ed alle altre persone interessate le seguenti risoluzioni e prescrizioni:

I. Riconoscendo i meriti e facendo plauso alla rettitudine e buona volontà dei singoli membri del Comitato Generale Permanènte, e in modo particolare dell' egregio Conte •Grosoli, nondimeno per provvedere più efficacemente alle attuali esigenze dell' Azione Cattolica, si dichiara sciolto definitivamente lo stesso Comitato Generale Permanente. L'archivio del disciolto Comitato sarà per intiero consegnato all'Emo Cardinale Vicario di Sua Santità.

II. L' Azione popolare cristiana (o democrazia cristiana secondo gli intendimenti della Santa Sede) la cui somma utilità •e morale necessità è. stata proclamata più volte dalla s. m. •di Leone XIII e dal regnante Pontefice, è cosa senza dubbio della massima importanza. Il S. Padre avendo affidato detta Azione popolare Cristiana in modo speciale al II Gruppo dell' Opera dei' Congressi, sotto la sapiente direzione del

Coate Stanislao Medolago-Albani, ne riconosce gli ottimi, successi e vuole che il II Gruppo rimanga immutato sotto- la stessa direzione ; anzi intende concedere più ampii poteri, al Presidente, e perciò gli accorda tutte quelle facoltà che non poteva esercitare senza dipendere dal Comitato Generale Permanente o dalla Presidenza di detto Comitato.

III. Gli altri Gruppi e Sezioni Permanenti istituiti in Italia, ossia i Gruppi Generali I, III, IV e V, colle relative Sezioni Generali rimangono sciolti, come il Comitato Generale Permanente. I relativi archivi per ora saranno conservati presso le stesse persone che attualmente li ritengono- in custodia. I poteri dei Gruppi Generali I, III, IV e V, sono devoluti ai Gruppi Regionali e Diocesani, sotto l'immediata tutela, sorveglianza ed approvazione dei Vescovi.

IV. La nomina del Presidente Generale del II Gruppo è. riservata alla Suprema Autorità Ecclesiastica. Si conferma nel suo officio di Presidente Generale del II Gruppo il Conte Stanislao Medolago-Albani con facoltà di eleggere quelle persone che dovranno occupare gli altri uffici dello stesso Gruppo, nonché di ammettere nel medesimo, d'intesa con. i componenti la presidenza, tutti quelli che potranno prestare utili servizi all'Opera. Sua Santità vuole che non sia ammesso nel IP Gruppo alcun ecclesiastico, senza l'autorizzazione del proprio Vescovo e di quello nella cui diocesi temporaneamente risiede; vuole altresì che dal II' Gruppo sia. eliminato ogni elemento di discordia, e con ferma dolcezza siano sempre esclusi quegli individui, ecclesiastici o laicis che sono noti per poca esattezza dottrinale in questioni di Azione popolare Cristiana, amatori e seminatori di novità malsane, poco schietti nella difésa degli intendimenti e dei diritti della Sede Apostolica, o poco sinceri nell'osservanza costante delle direzioni pontificie.

V. Non si potrà adunare alcun Congresso Generale senza speciale facoltà della Santa Sede. I Congressi Regionali e

Diocesani potranno essere tenuti sotto la piena dipendenza dei Vescovi e previa la loro licenza per iscritto. Se però il Congresso sarà Regionale, il permesso e la sorveglianza immediata spetteranno al Ven. Presidente delle Conferenze episcopali della Regione; e se il Congresso Regionale avrà luogo in una diocesi differente da quella del suddetto Presidente, dovrà farsi d'accordo coli' Ordinario della stessa- diocesi.

VI. In detti Congressi si osservino le seguenti norme generali : *a)* Nessun sacerdote o chierico vi sia ammesso senza licenza del proprio Vescovo e di quello del luogo dove è tenuto il Congresso, *b)* Si evitino in quanto è possibile le forme più proprie di parlamenti politici che di adunanze fraterne di cattolici, *c)* Non si conceda mai la parola alle Signore, benché rispettabili e pie. Se alcuna volta i Vescovi crederanno opportuno di permettere adunanze di sole Signore, -queste parleranno sotto la presidenza e sorveglianza di gravi persone ecclesiastiche, *d)* Se in ogni tempo nelle discussioni di Azione Cattolica deve evitarsi il volere far trionfare la propria opinione, citando parole del Sommo Pontefice che si pretendono dette ed udite in private udienze, molto più deve ciò evitarsi nei Congressi; poiché oltre il poco rispetto "verso il Sommo Pontefice vi è non lieve pencolo di malintesi a seconda delle proprie personali " vedute. La via sicura per sapere ciò che veramente vuole il Papa è di attenersi agli atti e documenti pubblici emanati dalla competente autorità.

VII. Ogni Vescovo che ha la facoltà di-nominare il Presidente e i membri del Comitato diocesano può per gravi' motivi sciogliere i Comitati, i Gruppi e le Sezioni esistenti nella sua diocesi, può porre il *veto* a nomine e risoluzioni •emanate dalle diverse direzioni dell' Opera dei Congressi ih cose appartenenti alla sua diocesi, qualóra non le credesse "vantaggiose ai suoi diocesani; giacché, salvo il giudizio della Santa Sede, in tale materia il solo Vescovo è giudice com-

petente. Senza l'approvazione del Vescovo non si possono* fondare Comitati nè^opere di Azione Cattolica nel territorio-delia sua giurisdizione. Quanti hanno a cuore il vero progresso e i risultati dell' Opera dei Congressi in tutte le sue manifestazioni ricordino sempre questa grave sentenza: *È preferibile che un' opera non si f accia anziché farla all'infuori o contro la volontà del Vescovo.* Perciò abbiano sempre sotto-gli occhi ed osservino fedelmente gli Avvertimenti ed il Programma di Azione popolare Cristiana, che si trovano annessi allo Statuto e^Regolamento dell' Opera dei, Congressi (App. *A*, e *B)*, l'Istruzione della S^ C. degli Affari Ecclesiastici Straordinari del 27 Gennaio 1902 ed il recente *Motu-propria* emanato dal Santo Padre sopra la stessa Azione popolare Cristiana (1). — Molti deplorevoli inconvenienti non si sarebbero verificati, se tutti i fedeli amanti dell'Azione Cattolica, e tutti i giornalisti cattolici avessero ricordato, letto con pia frequenza ed osservato con più lealtà quanto vien stabilito-in quei gravi documenti. Vuole perciò il Santo Padre che i Vescovi con particolare sollecitudine e con paterna fermezza esigano la piena sottomissione dottrinale e pratica alle- prescrizioni e norme di quei documenti medesimi.

Il Santo Padre con queste disposizioni intende assicurare un più opportuno indirizzo alle opere cattoliche in Italia, le quali, senza l'efficace e costante azione dei Vescovi, che hanno-dal Cielo grazia di stato e lumi speciali per il buon governa delle loro Diocesi, saranno sempre languide, incerte e confuse. I Cattolici, animati da vero spirito di fede, comprenderanno di leggieri che le norme presenti non devono e non possono significare un regresso nell'Azione Cattolica in Italia nè una diminuzione di fiducia da parte della Santa Sede verso quanti si dedicarono allo sviluppo dell' Opera dei Congressi; ma al contrario importano una ferma volontà nel

(i) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 04, p. 401 \ necnon vol. 36, p. 339.

Sommo Pontefice di dare più vigorosa vita a tutta l'Opera ed in particolare all'urgente e necessario progresso della Azione popolare Cristiana. Esorta perciò i vecchi come i giovani dell' Azione Cattolica a dimenticare ogni motivo di amarezza tra loro, a lavorare tutti d'accordo con piena e filiale sottomissione ai Vescovi, ben sicuro che tutti i Sacri Pastori considereranno come cosa di primaria importanza nel loro ministero il promuovere ed incoraggiare con costante e paterna sollecitudine le opere suddette.

Questa circolare dovrà esser letta in ogni associazione cattolica e pubblicata per intero ed in un solo numero nei giornali cattolici d'Italia.

Nel renderla informata di quanto sopra, con sensi di distinta stima passo a dichiararmi

della S. V. Illma e Rma

Vaticano 28 Luglio 1904.

Servitore
R. Card. MERRY DEL VAL.

# ACTA ROM. CONGREGATIONUM

## EX S. CONGR. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

**Regulares habitualem facultatem obtinere valent assequendi academicos in S. Scriptura gradus.**

Il S. Padre, desiderando che i membri del Clero Regolare, i quali abbiano coltivato gli studi biblici, possano anche essi conseguire i gradi accademici che la Commissione Biblica è autorizzata a conferire in virtù delle lettere Apostoliche di quest'anno (i), si è benignato disporre che la speciale facoltà di cui abbisognano gli alunni di Ordini religiosi per conseguire gradi accademici, sia accordata dalla S. C. dei Vescovi e Regolari per ciò che riguarda gli studi biblici, *in modo abituale,* e non solo per modo di atto nei singoli casi, come determinano gli statuti dei vari Ordini religiosi, per le altre classi di gradi accademici (2).

Nel partecipare alla P. V. tale disposizione Pontificia, le auguro dal Signore ogni bene.

19 Aprile 1904.

D. Card. FERRATA, *Praefectus.*

L. + S.

Philippus Giustini, *Secretarius.*

(1) Cfr. *Acta* S, *Sedis,* vol. 36, p. 53o.

(2) *(Versio R.).* Sanctitas Sua, cupiens ut alumni quoque Cleri Regularis, qui studia biblica excoluerint, gradus academicos, quos Commissio Biblica vi Litterarum Apostolicarum volventis anni concedendi facultate pollet, consequi pos* sint, statuere dignata est ut peculiaris facultas, qua alumni Ordinum religiosorum ad academicos gradus consequendos indigent, a S. C. Episcoporum et Regularium concedatur quod pertinet ad studia biblica *per modum habitualem,* non autem per modum actus singulis vicibus, veluti statuta plurium Ordinum religiosorum pro aliis gradibus academicis praescribunt.

## ORDINIS CARTUSIENSIS

### Super iure suffragii pro receptione ad Ordinem.

Beatissime Pater,

Prior Cartusiae ac Minister Generalis Ordinis Cartusiensis, ad pedes Sanctitatis Vestrae humiliter provolutus, exponit quod iuxta Statuta praefati Ordinis, Monachi, saltem ad subdiaconatum promoti, statim ac professionem emiserint, voce gaudent pro receptione eorum qui in Ordine admitti postulant. Sed quia, ex terminis declarationum a S. Congregatione super Statu Regularium die J2 Iunii 1858 editarum, professi votorum simplicium suffragium habent in actis Capitularibus sui conventus quatenus et prout habent solemniter professi, sequitur in re tanti momenti voce gaudere etiam simpliciter professos, ex quo haud levia oriri incommoda exploratum est.

Proinde enixe petit orator ut, non obstantibus praedictis declarationibus et quibuscumque contrariis, professi votorum solemnium soli vocem habeant pro qualibet receptione aut admissione in Ordine. — Et Deus...

Sacra Congregatio Emorum ac Rmorum S. R. E. Cardinalium, perpensis omnibus, decernendum esse censuit, prout praesentium tenore decernit, professos votorum simplicium quamvis in subdiaconatus Ordine constitutos, vocem non habere pro qualibet receptione. Eadem tamen S. C. omnes et singulas receptiones aut admissiones ad Ordinem hucusque peractas, in quibus contigerit etiam professos votorum simplicium in subdiaconatus Ordine constitutos suffragium tulisse, ratas habet atque confirmat.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis, hac die 20 Maii 1904.

D. Card. FERRATA, *Praefectus.*

Philippus Giustini, *Secretarius.*

**Utrum magister novitiorum munere examinatoris fungi valeat pro admissione ad habitum et ad professionem.**

Beatissime Pater,

Prior maioris Cartusiae ac Minister Generalis Ordinis Cartusiensis ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, sequentium dubiorum solutionem humiliter postulat:

I. Utrum Magister Novitiorum munere Examinatoris, iuxta Decretum *Regulari Disciplinae,* fungi valeat, etiam pro admissione ad professionem et quando agitur de suis Novitiis.

Quatenus negativer

II. Utrum saltem officium hoc exercere possit pro receptione ad habitum ; imo, si agetur de Novitiis, quorum curam non habet, pro admissione ad professionem. Et Deus etc.

Sacra Congregatio Emorum et Remorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, omnibus mature perpensis, propositis dubiis respondendum censuit, prout respondet:

Ad I. *Negative.*

Ad II. *Affirmative.*

Romae, 14 iunii 1904.

D. Card. FERRATA, *Praefectus.*

L. «f S.

Philippus Giustini, *Secretarius.*

MISSIONARIORUM SSMI CORDIS IESU

**De electionibus consanguineorum regularium ad idem Capitulum Consiliariorum.**

Beatissime Pater,

Victor Bourdenne, Superior Generalis Presbyterorum a Sacratissimo Corde Iesu a Betharram, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, humiliter petit solutionem casus sequentis, qui nuper in Collegio Sancti Ioseph in civitate Bonearensi Americae meridionalis occurrit:

Renovata est, iuxta Instituti Constitutiones, huius Collegii Administratio, Superior scilicet et locale Capitulum ex quatuor Consiliariis constans. In quo Consiliariorum numero duofratres carnales beneficio suffragiorum simul admissi sunt.

Ex duobus maior natu in primo scrutinio pene unanimi omnium consensu electus est cum duobus aliis Patribus. Minor vero, postquam in tribus aliis scrutiniis ne medietatem quidem votorum tulit, tandem in quinto, quod est ultimum, maioris eligentium partis suffragia obtinuit.

Quum autem illa duorum fratrum in Capitulo de quoagitur praesentia legibus civilibus et Sacris Canonibus adversari videatur, ut ex Constitutione *Exponi nobis* Urbani Papae VIII liquet, et tamen de hoc Constitutiones nostrae sileant, potius habui ad Beatitudinem Vestram querelas hac occasione exortas deferre et pro solutione recurrere, suppliciter postulando quid summae Vestrae auctoritati

i°. Decernere in casu libeat;

2°. An prohibitio Constitutionis *Exponi nobis* applicanda sit in similibus consanguineorum in gradu haud remotiori electionibus, sive pro Capitulo cuiusque domus, sive pro Capitulo Generali totius Instituti, si forte obvenerint, puta si avunculus et nepos, si duo consobrini simul ad idem Capitulum Consiliariorum electi fuerint. — Et Deus...

Et Sacra Congregatio Emorum ac Revmorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, attentis expositis, super praemissis dubiis respondendum censuit

Ad i. Electionem esse validam in casu.

Ad 2. *Negative* in omnibus.

Datum Romae e Secretaria eiusdem S. Congregationis die 2 Iulii 1904.

D. Card. FERRATA, *Praefectus.*

Philippus Giustini, *Secretarius.*

# EX S. CONGREGATIONE CONCILII

## TRIDENTINA

### COMMUTATIONIS VOLUNTATIS

**Denegatur alienatio domus ad causam piam ligatae, quia non necessaria, nec periculis vacua, nec utilis ac proficua.**

**Species facti.** Dominicus Mattivi, oppidi Regnana-Bedollo in dioecesi Tridentina, testamento diei 15 aprilis 1896 quatuor suae substantiae instituit haeredes, inter quos Fundum •Curatiale (paroeciam) dicti oppidi, cui pro quota haereditaria quamdam domum assignavit, hac tamen sub conditione ut eam •locare quidem posset, nunquam vero alienare; secus aliis haeredibus illam cedere debuisset sub eadem omnino conditione. Aperta testamentaria successione et peracto bonorum inventario, quatuor vocati haeredes die 27 octobris 1897 dictam acceptarunt haereditatem, sed communi consensu clausulam a testatore appositam de inalienatione domus iuridice declararunt tamquam non adiectam.

Quapropter administratores Fundi Curatialis, praefatam domum alienare cupientes, necessariam facultatem a S. Sede petierunt; quamque petitionem Episcopus Tridentinus, ad hoc rogatus, enixe commendat.

**Animadversiones.** Inter plures rationes ab ipsis adductas praecipua in eo sita est quod ita maiores haberentur redditus; domus enim locata 16 annuas coronas tantum prodit, quae demptis expensis ad io reducuntur, dum e contra quidam ex haeredibus eam emeret pretio 600 coronarum, ex quibus perciperentur annui fructus coron. 25,20. Hoc modo melius provideretur congruae sustentationi Sacerdotis curae spirituali praepositi, quum praesens patrimonium cor. 14.700, additis quoque fidelium oblationibus, nondum sufficiat. Accedit summa difficultas renovandi contractum locationis, quae duobus

abhinc mensibus desinit, sive quia omnes ibidem propriam habent domum, praesertim vero post emigrationem in Americam, sive etiam quia plures aliae domus sunt incolis vacuae»

Nec consulenda sunt praefatae domus melioramenta, quum haec ob eiusdem positionem et constructionem fere impossibilia videantur, eaque de cetero Fundus Curatialis defectu reddituum peragere non possit. Denique domus licitatio sub hasta publica, etiamsi adessent emptores, minus sortiretur pretium eo, quod dictus haeres offert, quia ipsa auctoritas iudiciaria in haereditatis inventario domum cor. 160 aestimavit. Quibus rationibus plura videntur obstare. Et in primis contradicit expressa voluntas testatoris ; extremas enim decedentium voluntates sancte religioseque servandas esse tum leges civiles tum canonicae praecipiunt. Quod maxime valet quando dispositio testatoris est ad pias causas ut in casu, tum quia ea praesumitur facta in remedium animae propriae, tum quia, si ea pessumdaretur, fideles ab huiusmodi elargitionibus erga Ecclesiam retraherentur. Accedit quod domus alienatio non una vice sed iterato a testatore fuit interdicta; quod in eo ita firmiorem et praecisam intentionem portendit, ut nullus benignae interpretationi locus fieri debeat.

Insuper expetita alienatio non est neque necessaria, neque periculis vacua, neque utilis et proficua causae piae. Non est primo necessaria, quia domus, potiusquam vendi, dari posset in emphyteusim congruo statuto canone et sub onere meliorationis; sic voluntas testatoris quodammodo servaretur, cum emphyteusis referat quamdam locationis speciem, uti tradit Richerius *(Universal. Iurisp., tom. io, n. 1364-65).*

Sed secundo non est tuta seu periculis expers. Sane alienatio eatenus admitti videtur, quatenus haeredes nominati clausulam a testatore appositam de inalienabilitate domus declararunt tamquam non adiectam, et sic iuri substitutionis valedixerunt. At haec declaratio et resignado interesse habentium non undequaque firma apparet, siquidem inter vo-

catos substitutos in casu alienationis adsunt minores Ioannes et Virgilius Mattivi, pro quibus tutrix mater Margarita assensum praebuit, et cum non constet de servata solemnitate seu de speciali tribunalis ad hoc obtento decreto, fieri potest ut hi minores post adeptam maioritatem utantur beneficio restitutionis in integrum et sic alienationis contractus rescindatur.

Tertio demum proposita alienatio non est utilis et proficua causae piae ; tum quia domus non sub hasta sed privato tractatu venditur, et sic via praecluditur ad obtinendum maius pretium ex oblatorum concursu, tum quia urbano praedio substituitur pecunia, quae investienda sive in fundis publicis sive in capsis privatis non ea securitate pollet, praesertim in his temporibus, prout fruuntur bona immobilia.

Verum haec non ita valida apparent ut gratiae obicem pariant. Re quidem vera licet voluntates testatorum inviolabiliter sint observandae, tamen id intelligendum facile quisque percipit, quatenus illarum executioni nullum legitimum obstet impedimentum. Interveniente enim iusta utilitatis vel necessitatis causa, ac praesertim ubi voluntatis executio perdifficilis aut etiam impossibilis reddatur, prudens illius commutatio non modo rationabilis, sed etiam necessaria deprehenditur iuxta monitum Barbosae *(in Concil. Trid., sess. 22, Cap. 6, de Reform.),* et Pignatelli *(Tom. 4, cons. 148, n. 12)* et docet H. S. Congregatio in *bossanen. — Commutationis voluntatis* 25 ian. 1851. Aliunde non desunt apud H. S. C. exempla commutatae voluntatis, uti videre est inter alias resolutiones in *Baren.* 22 nov. 1823; *Forolivien.* 3 iunii 1843, etc.

Nec officere videtur adductus solemnitatis defectus quoad consensum praestitutum a Margarita Mattivi minorum tutrice, sive quia, cum eius declaratio a tribunali fuerit recepta, implicite censeri debet ab eo fuisse habilitatam, sive quia agitur in themate de immobili exigui valoris (domus enim in inventario iudiciali aestimata fuit pro cor. 160), et iuxta Ri

cherium *(Loc. cit., lib. i, tom. i, n. 681)* solemnitates quoad res minorum non requiruntur « cum de re immobili quidem quaestio est sed exigui pretii, ne plus impendatur in solemnitatibus adhibendis, quam ex rei venditione redigi potest»*

Quod autem domus alienatio sit necessaria et utilis patet tum ex eo quod Commissio administratrix expensas pro eius restauratone sustinere nequit, tum ex eo quod reditus ex pretio domus distractae derivandi maiores sunt quam fructus ex locatione hucusque retracti, nec ulla spes adest eam maiori summa in posterum locandi propter domus et loci conditionem. Iam vero quod hae circumstantiae constituant necessitatem et utilitatem in sensu iuris canonici docet Petra *(Comment, ad Const. I D. Leonis Magni, sect. 4, n. 121 et seq.).*

Dopo queste riflessioni giova sperare che il Governo francese sarà persuaso che da parte della Santa Sede non vi è stata alcuna violazione del Concordato e che, inspirandosi a sentimenti di equanimità, non vorrà insistere sul ritiro della lettera della quale è questione, risparmiando così al proprio paese profonde agitazioni religiose. Questo ritiro infatti equivarrebbe alla completa abdicazione dell' autorità pontificia sufi" episcopato ; abdicazione che non è nelle facoltà del Santo Padre e non può essere nelle intenzioni del Governo della Repubblica. Soltanto per dare novella prova delle sue concilianti disposizioni e dimostrare che in tutti questi penosi incidenti egli si è inspirato sempre ed unicamente al sentimento del proprio dovere, il Santo Padre non sarebbe alieno dal prorogare di un mese il termine assegnato a Monsignor Vescovo di Lavai, purché questi in tal frattempo si rechi in Roma per giustificarsi ed ove rifiutasse di recarvisi o non riuscisse a giustificarsi, il Governo si mostri disposto ad intendersela con la Santa Sede per provvedere all' amministrazione della diocesi. Da quest' atto di deferenza si può agevolmente argomentare quanto interesse la Santa Sede annetta al mantenimento delle buone relazioni col Governo della Republica, fondate sull'esatta osservanza delle disposizioni concordatarie. Il S. Padre per 1' affetto tutto particolare che suir esempio del suo illustre Predecessore nutre per la nobile nazione francese, vedrebbe col più gran dolore che il Governo della Repubblica, solo per impedire la giustificazione di un Vescovo presso l'autorità competente, si lasciasse andare a misure di ostilità non giustificata, delle quali però la Santa Sede non potrebbe portare alcuna responsabilità né innanzi a Dio, nè innanzi agli uomini.

Il sottoscritto Cardinale Segretario di Stato nel pregare il Signor Incaricato d'Affari di Francia di portare quanto precede a conoscenza del suo Governo, coglie *Y* opportunità di confermargli i sensi della sua più distinta stima.

Roma, 26 Luglio 1904.

R. Card. MERRY DEL VAL.

### DOCUMENTO XII.

*L'Emo Signor Cardinale Segretario di Stato a Mons. Nunzio Apostolico in Parigi.*

(Telegramma)

Roma, 10 Marzo 1904 - ore 20,30.

Prego V. S. di significare immediatamente al Vescovo Dijon che è volontà del S. Padre che sospenda ordinazioni fino a nuovo ordine.

Riferisca V. S. risposta del Vescovo.

Card. MERRY DEL VAL.

### DOCUMENTO XIII.

*Monsignor Nunzio Apostolico in Parigi a Monsignor Vescovo di Digione.*

Parisiis, 11 Martii 1904.

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Iussus a Beatissimo Patre Nostro, notum Amplitudini Tuae facere festino, Sanctitatem Suam velle ut, usque ad novam dispositionem eiusdem Sanctitatis Suae, Sacram Ordinationem tu, Praesul Amplissime, suspendas.

Semper paratus aut Romam transmittere quae Amplitudo Tua vellet, aut in re alia quacumque, mihi possibili, Tibi

servire, cum fraterno affectu et obsequio Amplitudini Tuae Illustrissimae et Reverendissimae permaneo.

Humillimus Servus
f BENEDICTUS LORENZELLI, Arch. Sard.,
*Nuncius Apostolicus in Gallus.*

DOCUMENTO XIV,

*L' Emo Signor Cardinale Segretario di Stato a Mons. Vescovo di Digione.*

Illustrissimo e Reverendissimo Signore,

Il Santo Padre mi ha dato incarico di invitare la S. V. Illustrissima e Reverendissima a volersi recare a Roma al più presto possibile. Neil' eseguire il venerato incarico di Sua Santità, La prego di volermi prevenire del suo arrivo appena abbia Ella determinato il giorno della sua partenza, é frattanto colgo 1' opportunità ecc.

Roma, 24 Aprile 19Ö4.

R. Card. MERRY DEL VAL.

DOCUMENTO XV.

*Mons. Vescovo di Digione all' Emo Signor Cardinale Segretario di Stato.*

Dijon, le 3 Mai 1904.

Eminence,

J'ai eu l'honneur d'exprimer à Votre Eminence le vif regret que j'éprouvais de tarder à répondre à la lettre que j'avais reçu d'Elle.

J'ai désiré, en effet, joindre à ma lettre un Rapport que Votre Eminence pût placer sous yeux du Saint Père, et il m'a fallu y consacrer les deux derniers jours.

Je commence samedi ma tournée Pastorale de Confir-

mations ; toutes les paroisses y sont prêtes, tous les enfants préparés et la chose annoncée officiellement depuis un mois.

Mon absence et mon départ pour Rome eussent produit le plus grand trouble et 1' effet en eût été profondément regrettable, en ce moment surtout, où le 'calme est revenu dans les esprits. Ma tournée se terminera vers le milieu de juin et je serai alors à la disposition du Saint-Père.

Au milieu des peines qui m'ont été faites, ma pensée s'est bien souvent portée vers Sa Sainteté ; je souhaite ardemment me prosterner à ses pieds et aussi, je ne le cache pas, me faire connaître d'Elle. Car n'a-t-on pas cherché à L'indisposer contre moi et à me dépeindre à Elle sous un jour qui n'est pas celui de la vérité.

J'ose Vous prier, Eminence, de soumettre à Sa Sainteté la Note que je joins à cette lettre. Il y a un mois, j'écrivis à S. E. le Nonce Apostolique à Paris, que je souhaitais d'éclairer Sa Sainteté par un rapport précis et sincère; il me tardait de le faire.

Je prie Votre Eminence d'agréer l'hommage de mon profond respect.

f ALBERT. *EV. de Dijon.*

## DOCUMENTO XVI.

*L'Emo Signor Cardinal Segretario dì Stato a Mons. Vescovo di Digione.*

Illustrissimo e Reverendissimo Signore,

Per incarico del Santo Padre mi affretto a significare a V. S. Illustrissima e Reverendissima che Sua Santità è rimasta dolorosamente maravigliata nel rilevare come V. S., dopo di avere promesso di recarsi in Roma prima della fine del p. p. Giugno, non abbia poi mantenuto tale parola. La Santità Sua pertanto le ingiunge di portarsi a Roma entro quindici giorni dalla lettera, sotto pena della sospensione

*latae sententiae ab exercitio ordinis et iurisdictionis,* da incorrersi *ipso facto,* spirato appena inutilmente il termine stabilito.

Neil' eseguire questo Pontificio incarico, passo ecc.

Roma, 9 Luglio 1904.

R. Card. MERRY DEL VAL.

DOCUMENTO XVII.

*Il Sig. Incaricato d'Affari di Francia all' Emo Sig. Cardinale Segretario di Stato.*

(Nota).

D'informations parvenues à M. le Président du Conseil, Ministre de l'Intérieur et des Cultes, dont M. Combes a dû et pu vérifier 1' exactitude, il résulte que Son Excellence, le Nonce Apostolique à Paris a transmis, à la date du 11 Mars dernier, à l'Evêque de Dijon un ordre du Saint-Père d'avoir à suspendre les ordinations dans son diocèse jusqu'à nouvel avis.

Le Gouvernement de la République est obligé de protester contre une pareille démarche faite sans son assentiment; pour le fond, parce que toute mesure tendant à diminuer les prérogatives d'un Evêque et à lui infliger, en quelque sorte, une déposition partielle , est en opposition avec le pacte concordataire; - et pour la forme, parce que le Nonce du Pape n'a pas le droit de correspondre directement avec les Evêques français.

C est pourquoi ordre a été donné au soussigné de faire savoir à Son Eminence le Cardinal Secrétaire d'Etat que se tenant à l'esprit et à la lettre du Concordat, le Gouvernement doit considérer comme nulle et non avenue la lettre du 11 Mars.

Le Chargé d'affaire de France soussigné saisit cette oc-

casion pour assurer Son Eminence le Cardinal Secrétaire d'Etat de sa très haute considération.

Rome, le 15 Juillet 1904.

ROBERT DE COURCEL.

## DOCUMENTO XVIII.

*Mons. Vescovo di Digione all' Emo Sig. Cardinale Segretario di Stato.*

Paris, le 19 Juillet 1904.

*Eminence,*

J'ai reçu à l'extrémité du Nord de la France, où je prenais un peu de repos, la Lettre que Votre Eminence m'a adressée. Elle m'est parvenue le 12 Juillet à midi.

La veille de ce même, M. Bizouard, curé de S. Bénigne de Dijon, principal moteur des troubles dont mon Diocèse est le théâtre depuis sept mois, déclarait aux prêtres de son doyenné réunis en conférence qu'il « venait de recevoir du Pape une lettre lui annonçant les mesures prises contre moi », « et de Votre Eminence une autre lettre lui déclarant que les clercs de mon Diocèse n'avaient pas à s'inquiéter dé l'ordination, laquelle serait donnée en septembre, dans ma Cathédrale, par un évêque étranger ».

Je n'ai pas hésité un instant à regarder comme mensongères les sources alléguées par M. Bizouard. Mais j'ai été frappé de voir les décisions du S. Siège à mon endroit, connues de cet ecclésiastique avant de l'être de moi.

Il y a eu certainement divulgation illégitime par quelque subalterne: c'est à cette source que j'attribue les articles de presse, publiés en France depuis huit jours et j' ai tenu à en avertir Votre Eminence.

Pour moi j'ai gardé secrète la lettre que j'ai reçue de Vous.

Mis en demeure par le gouvernement Français de lui en donner communication, je n'ai pas cru avoir le droit de

m'y refuser. J'ai fait cette communication ce matin, passant par Paris pour regagner mon évêché.

J'ai eu T honneur de l'écrire à Votre Eminence il y a un peu plus de deux mois: j'ai hâte de me rendre près du St. Père, de lui rendre les devoirs de mon profond respect, d'assurer Sa Sainteté de mon attachement au Saint Siège, lequel attachement *ni rien ni personne* ne pourra affaiblir. J'ai hâte d'être connu du Pape, parceque je suis sûr que la moitié d'une heure me suffira pour gagner son estime , sa confiance et dissiper les préjugés que la haine, le mensonge et la calomnie ont pu inspirer à Sa Sainteté envers ma personne.

Mais après sept jours de réflexions devant Dieu, je suis dans le devoir de déclarer à Votre Eminence que je ne crois pas pouvoir me rendre à Rome dans les conditions où j'y suis convié.

J'en éprouve une *douleur profonde,* je vois les maux qui menacent l'Eglise de France, les complications déplorables que cet incident ajoute à 1' état des choses religieuses déjà si gravement compromis. Mais, je ne puis.

Voici sept mois queje suis l'objet d'outrages aussi odieux que grossiers de la part de quelques prêtres de mon Diocèse. Ils ont ameuté contre moi les jeunes clercs de mon Séminaire, des jeunes laïcs de dévotion, des femmes pieuses et crédules. Ils ont récemment employé le mensonge, la menace et *Xargent* pour amener des pauvres enfants à refuser de mes mains le sacrement de Confirmation.

Ils ont fondé leur action sur l'accusation haïssable autant qu'imbécile queje faisais partie d'une secte dont je n'ai jamais connu même un membre, et dont je rougirais d'écrire ici même le nom.

Je me suis tu; j'ai tout supporté dans le calme, attendant le jour de la vérité.

Ils ont répété mille fois que j'étais, à ce titre, dénoncé

au St. Siège, et voici six mois qu'ils disent chaque jour que je vais être déposé.

Le St. Siège ne m'a jamais fait savoir même par le moindre mot que je fusse accusé à ce titre près de Lui.

J'ai, il y a cinq mois, par l'intermédiaire du Nonce Apostolique, déclaré que j'étais à l'entière disposition du S. Père pour toutes explications ou justifications, on ne m'en a demandé aucune.

Il y a deux mois, j'ai eu l'honneur, par l'entremise de Votre Eminence, d'adresser à Sa Sainteté un Rapport, dont, j'ose le dire, ni la clarté, ni la sincérité ne laissent rien à désirer. Je le terminais en me déclarant prêt à y ajouter tous les détails que Sa Sainteté pourrait souhaiter. — On ne m'en a pas demandé encore.

Aujourd'hui, Eminence, je reçois l'ordre, de me rendre à Rome sous peine de suspense de ma juridiction. Et voilà la 'seule communication que l'on ait bien voulu me faire ; le seul appui qui me soit donné, dans cette lutte que je soutiens patiemment et vaillamment pour la défense de la justice et du caractère dont Dieu et le St. Siège m' ont révêtu. — Et tout cela est dévoilé, donné en patûre à la presse et aux passions populaires.

Quel coupable pense-t-On donc que je sois? quel évêque me juge-t-on? Ma vie de solitude, de labeur et de devoûment à l'Eglise et à mon Diocèse ne merite-t-elle donc que cette sentence?

J'ose le déclarer, il n'y a pas en France un évêque plus étroitement attaché au Saint Siège que moi; quiconque l'attaquera, me trouvera sur son chemin. Mais faut-il donc que je jette aussi aux gémonies, ma personne et mon caractère sacré?....

Non, cela ne se peut pas ; le mensonge ne peut vaincre ainsi. Pie X est juste et bon autant que ferme. Il ne trai; tera pas de cette manière l'évêque que je suis.

J'attendrai donc, Eminence, une notification définitive des censures dont je suis menacé. Le Saint Père peut, du reste, être assuré que, pas une heure, je n'hésiterai à donner à mon clergé l'exemple du respect de l'autorité que tant de fois je lui ai prêché.

Je prie Votre Eminence d'agréer l'expression de mes sentiments de profond respect.

f ALBERT, *EV. de Dijon.*

DOCUMENTO XÍX.

*L'Emo Signor Cardinale Segretario di Stato a Mons, Vescovo di Digione.*

Rome, le 22 Juillet 1904.

*Monseigneur,*

Je viens de recevoir la lettre que V. G. m'a adressée le 19 de ce mois. J'en ai donné immédiatement connaissance au Saint Père. De la façon la plus formelle je puis vous assurer que S. S. n'a pas écrit un seul mot à M. l'abbé Bizouard et que moi même je ne lui ai fait aucune communication au sujet des ordinations à Dijon. Si M. Bizouard s'est permis de faire les assertions rapportées à V. G., il devra nécessairement en répondre à qui de droit. — Mais, Monseigneur, indépendamment de tout ce qu'on ait pu vous dire, je suis chargé par le S. Père d'attirer encore une fois votre attention sur l'extrême gravité de votre situation présente. Après avoir été invite par le S. Père de venir à Rome dans la première quinzaine du mois de Juin, vous avez promis à Sa Sainteté de vous présenter ici dans la seconde moitié du mois dernier, et vous lui disiez que ce retard vous était imposé par la nécessité de faire une tournée de confirmations déjà annoncée. Vous n'êtes pas venu et vous êtes parti pour Paris et le Nord de la France. Le S. Père a attendu jusqu'au 9 Juillet et alors il Vous a donné l'ordre

formel sous peine de suspension de vous rendre à Rome dans l'espace de quinze jours. Votre Grandeur, elle le dit-elle-même, a donné communication de cette lettre au Gouvernement, sans tenir compte des prescriptions de la Bulle « *Apostolicae Sedis* ». Vous me dites, Monseigneur, qu' une demie heure vous suffirait pour expliquer votre position au S. Père, pour gagner son estime, sa confiance et dissiper les préjugés que la haine, le mensonge et la calomnie ait pu inspirer à Sa Sainteté envers votre personne. C'était pour vous accorder cette demie heure et plus encore que le Pape vous appelait auprès de Lui, mais au lieu d'obéir et d'accomplir votre promesse vous êtes parti pour Paris. Le S. Père n'a prononcé aucun jugement sur les faits allégués et c'est précisément parcequ'Il ne voulait pas en prononcer sans vous entendre et vous donner l'occasion de gagner sa confiance et de dissiper toute accusation, qu'il vous appelait à Rome. Vous avez préféré rester en France et donner communication à l'autorité civile d'un ordre qui vous a été adressé par le S. Office au nom du S. Père lui même. Je suis chargé par S. Sainteté de vous inviter aujourd'hui à faire votre devoir et pourvoir à votre conscience, maintenant surtout que le terme, qui vous a été accordé, est sur le point d'expirer.

Votre Grandeur déclare « qu'il n'y a pas en France un évêque plus étroitement attaché au Saint-Siège que V. G. » et que « quiconque l'attaquera vous trouvera sur son chemin ». — Le Saint Père ne veut pas douter de vos sentiments et il ne pourrait en douter que si vous manquiez aujourd'hui à votre devoir. La notification, qui vous a été faite, est définitive. — J'ose ajouter Monseigneur pour ma part que vous écris d'un cœur bien affligé et que j' aurais voulu vous épargner cette lettre si j'avais pu le faire, sans manquer aux ordres reçus. Je vous conjure d'agir comme évêque, comme évêque français sincèrement attaché au Siège

Apostolique et de ne pas ajouter l'amertume qu'éprouve en ce moment le cœur du S. Pontife et que partagent si vivement tous ceux qui aiment l'Eglise et la France.

R. Card. MERRY DEL VAL,

DOCUMENTO XX.

*// Signor Incaricato a" Affari di Francia all' Emo Signor Cardinale Segretario di Stato.*

(Nota).

S. E. le Nonce Apostolique à Paris ayant transmis à la date du 11 Mars dernier à l'Evêque de Dijon un ordre du Saint-Père d'avoir à suspendre les ordinations dans ce diocèse jusqu'à nouvel avis, le soussigné a fait savoir à S. E. le Cardinal Secrétaire d'Etat par une Note du 15 de ce mois que le Gouvernement de la République, se tenant à l'esprit et à la lettre du Concordat, protestait contre une pareille démarche faite sans son assentiment et devait considérer comme nulle et non avenue la lettre de Mgr. Lorenzelli en date du 11 Mars.

Malgré cette protestation, S. E. le Cardinal Secrétaire d'Etat a renouvelé à M. le Nordez, par une lettre qu'il lui a adressée directement le 9 Juillet au nom du Saint-Père l'injonction de se rendre à Rome dans le délai de quinze jours à partir de cette communication, sous peine de la suspension *latae sententiae ab exercitio ordinis et iurisdictionis;* qui serait encourue *ipso facto,* dès l'expiration du délai fixé.

En mandant à Rome directement, et à l'insu du Gouvernement, un Evêque qui en sa qualité d'Administrateur d'un diocèse, relève du Ministre des Cultes, le Saint-Siège méconnaît les droits du Pouvoir avec lequel il a signé le Concordat.

En enjoignant à cet Evêque de se rendre à Rome dans le délai de quinze jours sous peine de la suspension *latae sententiae ab exercitio ordinis et iurisdictionis,* qui serait encourue *ipsofacto* dès l'expiration du délai précité, le Saint-Siège méconnaît la disposition du Concordat de laquelle il résulte qu'un Evêque ne peut être suspendu ou déposé sans l'accord des deux autorités qui ont contribué à le créer.

Une pareille attitude dicte la conduite du Gouvernement de la République.

C'est pourquoi le soussigné a l'ordre de déclarer à S. E. le Cardinal Secrétaire d'Etat, que, si la lettre du 9 Juillet à l'Evêque de Dijon n'est pas retirée, si une suite est donnée aux menaces qui y sont exprimées, le Gouvernement français devra comprendre que le Saint-Siège n'a plus souci de ses relations avec le Pouvoir qui, remplissant les obligations du Concordat, a le devoir de défendre les prérogatives que le Concordat lui confère.

Et le Gouvernement de la République laisse au Saint-Siège toute la responsabilité des résolutions auxquelles on l'aura réduit.

Le Chargé d'Affaires de France soussigné saisit cette occasion pour assurer son Eminence le Cardinal Secrétaire d'Etat de sa très haute considération.

Rome, le 23 Juillet 1904.

ROBERT DE COURCEL.

## DOCUMENTO XXI.

*L'Emo Signor Cardinale Segretario di Stato al Signor Incaricato d'Affari di Francia.*

(Nota).

Il sottoscritto Cardinal Segretario di Stato ha portato la debita attenzione sulla Nota, in data 23 del volgente mese,

con la quale il Sig. Incaricato d'Affari dì Francia, dopo avere accennato all' ordine fatto pervenire a Mons. Vescovo di Digione, in data 9 Luglio, di recarsi a Roma, afferma che la S. Sede, chiamando direttamente un Vescovo all' insaputa del Governo « disconosce i diritti del Potere col quale ha firmato il Concordato », e minacciando il Vescovo della pena della sospensione « disconosce la disposizione del Concordato, dalla quale risulta, che un Vescovo non può essere sospeso e deposto senza l'accordo delle due Autorità, che hanno contribuito a crearlo ». Dopo tali affermazioni il Sig. Incaricato d'Affari in nome del suo Governo dichiara, che se la lettera citata del 9 Luglio non è ritirata, e se si dà seguito alle minacce in essa espresse « il Governo francese dovrà comprendere, che la S. Sede non ha più interesse delle sue relazioni col Potere, che, nel mentre compie gli obblighi del Concordato , ha il dovere di difendere le prerogative, che il Concordato gli conferisce ».

Lo scrivente Cardinale non si ferma in primo luogo a rilevare che, indirizzando a Monsignor Le Nordez la citata lettera del 9 Luglio, egli non poteva evidentemente tener conto della protesta rimessagli dal Sig. Incaricato d' Affari in data 15 dello stesso mese. Prescindendo da questa osservazione, il sottoscritto Cardinale passa a rispondere a ciò che forma la sostanza dell' ultima Nota.

Sono presenti alla memoria di tutti i penosi incidenti verificatisi nello scorso mese di Febbraio nella Diocesi di Digione, ove i giovani seminaristi rifiutarono di ricevere la sacra ordinazione dalle mani di Monsignor le Nordez, preferendo piuttosto esser espulsi dal Seminario, seguiti da quasi tutti i colleghi che si dichiararono solidali con loro. Una dilazione delle sacre ordinazioni si imponeva sia per indagare i motivi di questa riluttanza dei giovani, sia per, dare ai medesimi il tempo necessario per la riflessione e per la calma di spirito; quindi Monsignor Nunzio con lettera dell'i 1 Marzo

fece sapere a Monsignor Vescovo di Digione essere volontà del S. Padre che si astenesse dalle sacre ordinazioni fino a nuovo ordine. Fu questa una semplice misura prudenziale, richiesta dalle circostanze, che non importava alcuna pena; e lo stesso Monsignor Le Nordez con lettera diretta allo scrivente Cardinale ebbe a riconoscerla giusta ed opportuna.

Frattanto le imputazioni che si facevano a Monsignor Vescovo di Digione, venivano aggravandosi così da rendere necessarie alcune spiegazioni. Quindi la Santa Sede lo invitò a recarsi in Roma; e siccome egli, non ostante la sua promessa di trovarvisi presente nella seconda metà di Giugno p. p., dilazionava di obbedire, gli fu ripetuto con lettera del 9 Luglio u. s. l'ordine di venire, aggiungendovi la sanzione canonica richiesta dalla gravità dell'obbligo di obbedire, sanzione del resto che doveva aver luogo soltanto in caso di contumacia e doveva cessare coli'atto stesso dell'obbedienza. Non si trattava adunque di deposizione, nel qual caso la Santa Sede ne avrebbe informato il Governo, nè di altre disposizioni penali, ma di una semplice chiamata in Roma per dare spiegazioni sulle accuse che si formulavano contro di lui. Venuto in Roma, gli sarebbero state comunicate le imputazioni che lo riguardano con pienissima facoltà di esaminarle e difendersi; e se fosse riuscito a ribatterle, il S. Padre sarebbe stato felicissimo di proclamare la insussistenza delle accuse.

Il Governo francese ritiene come nulla e non avvenuta la lettera di Monsignor Lorenzelli dell' 11 Marzo, e domanda il ritiro di quella della S. Sede del 9 Luglio a Monsig. Vescovo di Digione, giudicandole ambedue contrarie al Concordato; ma è facile dimostrare l'inesattezza di questo suo giudizio. Infatti in primo luogo il Concordato è ben distinto dai posteriori *Articoli organici* che sono un atto unilaterale del Governo francese, contro i quali la Santa Sede non ha mai cessato di protestare; e in nessuno dei 17 articoli del Con-

cordato sia nello spirito che nella lettera si legge che la Santa Sede non possa, senza il previo consenso del Governo, ordinare ad un vescovo, come misura prudenziale richiesta dalle circostanze, di astenersi temporaneamente da qualche atto del suo ministero, o di chiamarlo in Roma per fornire spiegazioni sulla sua condotta. Nè ciò poteva concedere il Romano Pontefice senza venir meno ai sacri doveri di Supremo Pastore della Chiesa, poiché se nessuno contesta che i Vescovi in Francia debbono avere col Governo i necessari rapporti definiti dal Concordato, però nella loro giurisdizione dipendono dal Romano Pontefice che gliela conferì per mezzo della canonica istituzione e gliela conserva, ed il Romano Pontefice non può rendere questa dipendenza subordinata al consenso della autorità civile. Invero che il Romano Pontefice, anche dopo il Concordato, conservi sui Vescovi in Francia la sua piena autorità, chiaro apparisce anche dal solenne e speciale giuramento che il Governo francese non può ignorare, facendo esso parte della istituzione canonica che va unita alle Bolle, e con il quale i Vescovi si obbligano senza alcuna restrizione di ricevere sommessamente e fedelissimamente eseguire le ingiunzioni del Romano Pontefice: *Mandata Apostolica humiliter recipiam et quam diligentissime exequar.* Ed in particolare che il Romano Pontefice anche dopo il Concordato possa chiamare in Roma, anche sotto pene da incorrersi *ipso facto,* i Vescovi di Francia a render conto del loro operato, si conferma dalla legge notissima, che certamente il Governo francese conosce e che, senza alcuna subordinazione al consenso del Governo, obbliga i Vescovi di Francia, come di altri paesi di Europa, sotto pene *latae sententiae,* a recarsi ogni quattro anni in Roma o almeno inviare un loro rappresentante, allo scopo principale di esporre al Romano Pontefice lo stato della loro diocesi e riceverne istruzioni, consigli, comandi.

Dopo queste riflessioni giova sperare che il Governo francese sarà persuaso che da parte della Santa Sede non vi è

stata alcuna violazione del Concordato e che, inspirandosi a sentimenti di equanimità, non vorrà insistere sul ritiro della lettera della quale è questione, risparmiando così al proprio paese profonde agitazioni religiose. Questo ritiro infatti equivarrebbe alla completa abdicazione dell'autorità pontificia sul-r episcopato ; abdicazione che non è nelle facoltà del S. Padre e non può essere nelle intenzioni del Governo della Repubblica. Soltanto per dare novella prova delle sue concilianti disposizioni e dimostrare che in tutti questi penósi incidenti egli si è inspirato sempre ed unicamente al sentimento del proprio dovere, il Santo Padre non sarebbe alieno dal prorogare di un mese il termine assegnato a Monsignor Vescovo di Digione, purché questi in tal frattempo si rechi in Roma per giustificarsi; ed ove rifiutasse di recarvisi o non riuscisse a giustificarsi, il Governo si mostri disposto ad intendersela con la Santa Sede per provvedere all' amministrazione della diocesi. Da quest'atto di deferenza si può agevolmente argomentare quanto interesse la Santa Sede annetta al mantenimento delle buone relazioni col Governo della Repubblica, fondate sull'esatta osservanza delle disposizioni concordatarie. Il S. Padre per l'effetto tutto particolare che sul-r esempio del suo illustre Predecessore nutre per la nobile nazione francese, vedrebbe col più gran dolore che il Governo della Repubblica, solo per impedire la giustificazione di un Vescovo presso l'autorità competente, si lasciasse andare a misure di ostilità non giustificata, delle quali però la S. Sede non potrebbe portare alcuna responsabilità nè innanzi a Dio, nè innanzi agli uomini.

Il sottoscritto Cardinale Segretario di Stato nel pregare il Signor Incaricato d'Affari di Francia di portare quanto precede a conoscenza del suo Governo, coglie l'opportunità di confermargli i sensi della sua più distinta stima.

Roma, 26 Luglio 1904.

R. Card. MERRY DEL VAL.

## DOCUMENTO XXII.

### *Concordato del i So i tra Pio VII e il Governo francese.*

Gubernium Reipublicae recognoscit religionem Catholicam Apostolicam Romanam, eam esse religionem quam longe maxima pars civium Gallicanae Reipublicae profitetur.

Summus Pontifex pari modo recognoscit eamdem religionem maximam utilitatem maximumque decus percepisse, et hoc quoque tempore praestolari ex catholico cultu in Gallia constituto, necnon ex peculiari eius professione, quam faciunt Reipublicae Cónsules.

Haec cum ita sint atque utrinque recognita, ad religionis bonum internaeque tranquillitatis conservationem, ea, quae sequuntur, inter ipsos conventa sunt:

ART. I. Religio Catholica Apostolica Romana libere in Gallia exercebitur. Cultus publicus erit, habita tamen ratione ordinationum quoad politiam, quas Gubernium pro publica tranquillitate necessarias existimabit.

II. Ab Apostolica Sede, collatis cum Gallico Gubernio consiliis, novis finibus Galliarum dioeceses circumscribentur.

III. Summus Pontifex titularibus Galliarum Ecclesiarum Episcopis significabit se ab iis, pro bono pacis et unitatis, omnia sacrificia firma fiducia expectare, eo non excepto quo ipsas suas episcopales sedes resignent.

Hac hortatione praemissa, si huic sacrificio, quod Ecclesiae bonum exigit, renuere ipsi vellent (fieri id autem posse Summus Pontifex suo non reputat animo), gubernationibus Gallicanarum Ecclesiarum novae circumscriptionis de novis titularibus providebitur, eo qui sequitur modo.

IV. Consul primus Gallicanae Reipublicae, intra tres menses qui promulgationem Constitutionis Apostolicae consequentur, Archiepiscopos et Episcopos novae circumscriptionis dioecesibus praeficiendos nominabit. Summus Pontifex

institutionem canonicam dabit iuxta formas, relate ad Gallias, ante regiminis commutationem statutas.

V. Item Consul primus ad Episcopales sedes, quae in posterum vacaverint, novos Antistites nominabit, iisque, ut in articulo praecedenti constitutum est, Apostolica Sedes canonicam dabit institutionem.

VI. Episcopi, antequam munus suum gerendum suscipiant, coram primo Consule iuramentum fidelitatis emittent, quod erat in more ante regiminis commutationem, sequentibus verbis expressum:

« Ego iuro et promitto ad Sancta Dei Evangelia, obe-
« dientiam et fidelitatem Gubernio per Constitutionem Gal-
« licanae Reipublicae statuto. Item, promitto me nullam com-
« municationem habiturum, nulli consilio interfuturum, nul-
« lamque suspectam unionem neque intra, neque extra con-
« servaturum, quae tranquillitati publicae noceat; et si tam
« in dioecesi mea quam alibi, noverim aliquid in Status da-
< mnum tractari, Gubernio manifestabo ».

VII. Ecclesiastici secundi ordinis idem iuramentum emittent coram auctoritatibus civilibus a Gallicano Gubernio designatis.

VIII. Post divina officia, in omnibus catholicis Galliae templis, sic orabitur:

*Domine, salvam fac Rempublicam;*
*Domine, salvos fac Cónsules.*

IX. Episcopi, in sua quisque dioecesi, novas paroecias circumscribent; quae circumscriptio suum non sortietur effectum nisi postquam Gubernii consensus accesserit.

X. Item Episcopi ad paroecias nominabunt; nec personas seligent nisi Gubernio acceptas.

XI. Poterunt iidem Episcopi habere unum capitulum in cathedrali ecclesia, atque unum seminarium in sua quisque dioecesi, sine dotationis obligatione ex parte Gubernii.

XII. Omnia templa metropolitana, cathedralia, parochia-* lia, atque alia quae non alienata sunt, cultui necessaria, Episcoporum dispositioni tradentur.

XIII. Sanctitas Sua, pro pacis bono felicique religionis restitutione, declarat eos qui bona Ecclesiae alienata acquisierunt, molestiam nullam habituros, neque a se, neque a Romanis Pontificibus successoribus suis, ac consequenter proprietas eorundem bonorum, redditus et iura. iis inhaerentia, immutabilia penes ipsos erunt atque ab ipsis causas habentes.

XIV. Gubernium Gallicanae Reipublicae in se recipit, tum Episcoporum, tum Parochorum, quorum dioeceses atque parochias nova circumscriptio complectetur, sustentationem quae cuiusque statum deceat.

XV. Idem Gubernium curabit ut catholicis in Gallia liberum sit, si libuerit, Ecclesiis consulere novis fundationibus.

XVI. Sanctitas Sua recognoscit in primo Consule Gallicanae Reipublicae eadem iura ac privilegia quibus apud Sanctam Sedem fruebatur antiquum regimen.

XVII. Utrinque conventum est quod in casu quo aliquis ex successoribus hodierni primi Consulis catholicam religionem non profiteretur, super iuribus et privilegiis in superiori articulo commemoratis, nec non super nominatione ad archiepiscopatus et episcopatus, respectu ipsius, nova conventio fiet.

Ratificationum autem traditio Parisiis fiet quadraginta dierum spatio.

Datum Parisiis, die 15 mensis Iulii 1801.

HERCULES CARDINALIS CONSALVI *(L. S.)*
I. BONAPARTE *(L. S.)*
I. ARCHIEP. CORINTHI *(L. S.)*
CRETET *(L. S.)*
FR. CAROLUS CASELLI *(L. S.)*
BERNIER *(L. S.)*

## DOCUMENTO XXIII.

*// Sig. Incaricato d'Affari di Francia all' Emo Sig. Cardinale Segretario di Stato.*

(Nota verbale).

Après avoir, à plusieurs reprises, signalé les graves atteintes que l'initiative du Saint Siège, s'exerçant directement auprès des Evêques français, porté aux droits concordataires de l'Etat, le Gouvernement de la République a, par deux Notes en date du 25 Juillet courant, prévenu le Saint Siège de la conclusion qu'il serait amené à tirer de la méconnaissance persistante de ses droits.

Obligé de constater, par la réponse de Son Eminence le Cardinal Secrétaire d'Etat en date du 20 Juillet courant, que le Saint Siège maintient les actes accomplis à l'insu du Pouvoir avec lequel il a signé le Concordat, le Gouvernement de la République a décidé de mettre fin à des relations officielles qui, par la volonté du Saint Siège, se trouvent être sans objet.

Rome, le 30 Juillet 1904.

## DOCUMENTO XXIV.

*// Sig. Ministro degli Esteri di Francia a Mons. Nunzio Apostolico in Parigi.*

Monseigneur,

Ce matin le Chargé d'Affaires de France a eu l'honneur de déclarer à son Eminence le Cardinal Secrétaire d'Etat que le Gouvernement de la République avait décidé de mettre fin à des relations officielles qui, par la volonté du Saint Siège, se trouvent être sans objet.

Il a ajouté que le Gouvernement de la République considère comme terminée la Mission du Nonce Apostolique. J'ai l'honneur d'en informer Votre Excellence.

Je vous prie, Monseigneur, d'agréer l'assurance de ma très haute considération.

Paris, 30 Juillet 1904.

DELCASSÉ.

•^$9$0?2^——

# ACTA ROMANI PONTIFICIS

## LITTERAE

**Quibus Pius PP. X gratulatur de italica versione Historiae universalis Ecclesiae a Cardinali Hergenröther conscriptae.**

DILECTIS FILIIS
IOSEPHO FARAONI SAC. ET TITO DINI.

PIUS PP. X

*Dilecti Filii, salutem et Apostolicam benedictionem.*

Quum optimo consilio institueritis, quae apud exteras gentes praeclarae in maioribus disciplinis lucubrationes hodie existèrent, eas ad communem Italorum usum vulgando transferre, recte vos quidem non praetereundos censuistis Ioseph Hergenröther Cardinalis libros, quibus ille universam Ecclesiae Catholicae historiam complexus est. Id enim opus ob doctrinae copiam, gravitatem sententiarum, sinceritatem iudicii summis prudentium laudibus celebratum illustrem sane locum auctori suo vindicavit inter claros scriptores, qui recenti memoria, ita res Ecclesiae gestas tractarunt, ut a studio artis criticae debitam antiquitati reverentiam non seiungerent. Quoniam autem hoc intervallo, ex quo is excessit e vita, progressiones in hisce studiis factae sunt tam magnae, ut ipsius opus partim reconcinnandum videretur, non parva dilecto filio Ioanni Petro Kirsch habenda est gratia, qui eiusmodi sibi provinciam sumpserit in eaque exequenda exploratam suam sollertiam peritiamque demonstret.

Iamvero Eminentissimi viri scripta, hoc pacto ad monumentorum fidem restituta, vehementer gaudemus, quod vos

italice conversa, interprete diligenti dilecto filio Henrico Rosa e Soc. Iesu, edere suscepistis. Itaque cum gratum vobis animum de accepto exemplari voluminis primi significamus, tum meritam tribuimus laudem propter institutam rem, quam valde fructuosam clero italico fore confidimus.

Auspicem coelestium munerum et benevolentiae nostrae testem, vobis, dilecti filii, ac ceteris omnibus, qui consociationem vestram participant, Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die V Maii an. MCMIV, Pontificatus Nostri anno primo.

PIUS PP. X

# EX SECRETARIA BREVIUM

## Usus sacri Pallii conceditur Episcopo Barcinonensi.

PIUS PP. X

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ad Hispanas Nos quidem oras, pro exploratissimo eius gentis in Romanum Pontificem studio, studiose respicientes, oculos Tarraconensi provinciae in praesens adiicimus. Movemur quippe vetustissima eius nobilitate ecclesiae quam ipsis exorientis christianae rei temporibus aequalem reperimus. Etenim memoriae traditum est Iacobum et Paulum Apostolos Tarraconem, ob celebritatem opportunitatemque loci, siquidem Hispaniae Citerioris caput erat, quum appulissent, ibidem prima apud Hispanos christiani nominis initia posuisse. Extat autem ex monumentorum fide testatum Archidioecesim Tarraconensem inter praecipuas catholici orbis mature haberi coeptam, eiusque Metropolitas magna semper Aposto-

licae Sedis existimatione et gratia floruisse. His certe accepimus id tributum esse antiquitus, ut quae Romanus Pontifex praescripsisset, ea non suae solummodo provinciae, sed cunctis Hispaniae ecclesiis denuntiarent, servandaque curarent ; quo pertinet S. Siricii ad Himerium, S. Hilarii ad Ascanium, S. Hormisdae ad Ioannem litterae. Deinceps ad hanc usque aetatem, complura eaque praeclara extiterunt Decessorum Nostrorum testimonia, quae Metropolitanae Sedis Tarraconensis, eiusque provinciae dignitatem illustrarent. Iamvero Archidioecesis eiusdem decora, non ita in Metropolitana consistunt ecclesia, ut non etiam in subiectis sedibus, Barcinonensi nominatim, niteant. Etenim non est dubium quin inter splendidiores Hispaniae urbes numeranda sit Barcino, vel civium copia, vel advenarum affluentia, vel mercaturae atque artium spectetur vigor. In eo autem, quod caput est, nimirum in amore cultuque religionis avitae, in obsequio observantiaque erga Beati Petri Cathedram, sic sese gerere intelligimus Barcinonensem civitatem, ut nulli concedere videatur. Profecto vulgaria non sunt, quae catholici homines, praesertim vario consociati foedere, dant ibi sollertiae et alacritatis exempla ad tuendum in omni genere vitae christianum decus : quarum consociationum benefica virtus, in bonum maxime operariae plebis, non solis Catalauniae finibus continetur. Haec Nos animo reputantes, par esse omnino ducimus, quod iam pluries a Decessoribus novimus factum, ut insignem aliquam Episcopalem ecclesiam sacri Pallii honore decorarent , id ipsum praestari a Nobis ad Barcinonensem ornandam sedem; eo magis quod eamdem qui hodie obtinet, virtutum suarum non minus quam Romanae purpurae splendore condecorat. Porro ecclesiae quoque Tarraconensi, cuius caeteroquin praestantiam metropoliticam volumus, uti antehac, ita nunc et in posterum esse salvam, rem Nos pergratam facturos arbitramur; siquidem ad ipsius amplificandam dignitatem recidit subditae Sedi collatus honor. Simul hinc fore confidimus ut

arctiora si possint, fiant necessitudinis vincula quae utramque ecclesiam cum Romana iungunt. Itaque Dilecto Filio Nostro Salvatori S. R. E. Presbytero Cardinali Casañas y Pages, hodierno Barcinonensi Episcopo, eiusque in dicto Episcopatu futuris successoribus Pallii usum in sollemnibus secundum sacros Canones praescriptis, et in Dioecesi Barcinonensi dumtaxat et non alibi, etiamsi Ordinarii consensus accedat, gestandi, Apostolica auctoritate Nostra concedimus atque indulgemus. Quod vero attinet ad futuros in eodem Episcopatu successores, volumus et mandamus, ut novus semper Episcopus Pallium a Sede Apostolica postulet, illudque de corpore Beati Petri Apostolorum Principis sumptum, a Romano Pontifice accipiat, omniaque ea serventur, quae servari solita sunt, quum Archiepiscopis Pallia traduntur. Haec concedimus et mandamus decernentes praesentes Litteras firmas, validas et efficaces, semper existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum esse et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XI Aprilis MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.

L. ✠ S.

A. Card. MACCHI.

**Indulgentiae largiuntur occasione sacrarum Missionum, quas Fratres Ordinis Minorum in Foederatis Americae septentrionalis Statibus peregerint.**

PIUS PP. X

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Nobis exponendum curavit dilectus filius hodiernus Procurator Generalis Ordinis Minorum, in bonum sacrarum Missionum quas Fratres Ordinis ipsius in Foederatis Americae septentrionalis Statibus habebunt, cessurum esse si quidem eas Indulgentias tam plenarias quam partiales Christifidelibus pro hac re impertiamur, quas felicis recordationis Leo Papa XIII Decessor Noster per similes Apostolicas Litteras die XII mensis Aprilis MDCCCLXXVIII datas Fratribus dicti Ordinis in regionibus Gallicae ditioni subiectis eadem sacrarum Missionum occasione largitus est. Quare a Nobis impense postulavit, ut in praemissis opportune providere ac ut infra indulgere de Apostolica benignitate dignaremur. Nos autem piis hisce precibus benigne annuentes, de Omnipotentis Dei misericordia ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac Sacra Communione refectis, qui coram Cruce in fine Missionum, •quas Fratres Ordinis Minorum in Foederatis Americae septentrionalis Statibus peregerint, erecta, die erectionis eiusdem Crucis, die anniversario huiusmodi aut Dominica proxime sequenti, insuper Inventionis et Exaltationis Sanctissimae Crucis Domini Nostri Iesu Christi diebus Festis, vel Dominica respective insequenti per aliquod temporis spatium pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione, ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint et ecclesiam parochialem loci ubi Crux erecta est devote visitaverint, quo präefatorum die id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum Indul-

gentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Iisdem vero fidelibus, qui ter saltem concionibus Missionum a dictis Fratribus peragendarum interfuerint et vere poenitentes et confessi ac Sacra Communione refecti parochialem loci ecclesiam, ubi Missio habita est, devote visitaverint, ibique ut supra oraverint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum Indulgentiam et' remissionem misericorditer in Dominó concedimus, quam quidem pro extraneis, etiamsi alibi, idest extra paroeciam in qua Missio habetur, sacramentalem Confessionem et Communionem faciant, ad quindecim usque dies post finitam Missionem prorogamus. Iisdem vero fidelibus corde saltem contritis qui cuilibet e dictis concionibus devote interfuerint, et quamlibet ecclesiam publicam visitaverint, ibique ut supra oraverint, septem annos totidemque quadragenas: quoties vero ante Crucem in fine Missionum ut supra erectam septies Salutationem Angelicam vel in honorem Vulnerum Sacrorum Christi Domini quinquies Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam pie recitaverint, toties trecentos iis dies de numero poenalium in forma Ecclesiae consueta expungimus. Denique largimur fidelibus ipsis, si malint, liceat plenariis hisce ac partialibus Indulgentiis vita functorum labes poenasque expiare. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuo valituris. Volumus autem ut praesentium Litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis manu alicuius Notarii publici subscriptis et personae in ecclesiastica dignitate constitutae sigillo praemunitis, eadem prorsus adhibeatur fides quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXVIII Maii MCMIV, Pontificatus Nostri anno primo.

L. *£• S. Pro Dno Card. MACCHI

Nicolaus Marini, *Substitutus.*

ACTA ROM. CONGREGATIONUM

# EX S. CONGR. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

## Superiorissa, etiam ob motiva extrinseca, confessarium ex« traordinarium suis monialibus ex seipsa denegare nequit.

*Beatissime Pater,*

P. D. Maurus Serafini, Abbas Generalis Congregationis Cassinensis a primaeva Observantia O. S. B., ad pedes Sanctitatis Tuae provolutus, humiliter proponit dubium prout sequitur circa Decretum quod incipit « *Quemadmodum* » datum die 17 decembris 1890 de Confessariis Monialium (i).

Licet die 17 augusti 1891 (2) Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium responderit ad 2: «Superiorem teneri subditi precibus semper indulgere quamvis plane videat necessitatem esse fictam, et vel scrupulis vel alio mentis defectu ut veram ab ipso petente apprehensam » ; insuper ad 3 : « Religiosam petèntem eligere posse inter diversos ab Ordinario deputatos, qui sibi munus Confessarii impleat » ; nihilominus nonnullae Sanctimonialium vel Sororum Religiosarum Superiores adhuc contendunt sibi licere, decisis non obstantibus, Sorori petenti Confessarium, quem prae caeteris mavult, denegare ex motivis, uti aiunt, extrinsecis (3).

Quaeritur utrum, saltem ob motiva huius generis, Supe-

(1) Cfr. *Acta S. Sedis*, vol. 23, p. 5o5.

(2) Cfr. ibid., vol. 25, p. 109.

(3) Haec autem motiva, quae extrinseca vocantur, esse possunt ex. gr. quod forte confessarius extraordinarius a moniali vel sorore electus parum faveat monasterio, vel quod idem iudicio Superiorissae aliquam Communitatis perturbationem inducere possit, et alia similia *(N. R.)*.

riorissa licite possit Confessarium ex deputatis a Sorore electum ipsi denegare? Et Deus etc.

Et S. Congregatio Negotiis et Consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, omnibus sedulo perpensis, die 5 Augusti 1904 respondit: « *Negative;* sed si adsint rationes vere graves, Superiorissa eas subiiciat Ordinario, cuius iudicio standum erit» (i).

D. Card. FERRATA, *Praefectus.*

L. + S.

Philippus Giustini, *Secretarius.*

(i) Ecclesia, ad magis tutandam libertatem monialium in confessione explenda, omnimodam Superiorissis monasteriorum adimit facultatem denegandi propriis subditis confessarium extraordinarium. Et sane in citato Decreto *Quemadmodum* diei 17 decembris 1890 n. 4 statuitur quod « Sanctitas Sua Superiorissas admonet ne extraordinarium denegent subditis confessarium quoties, ut propriae conscientiae consulant, ad id subditi adigantur, *quin eaedem Superiorissae ullo modo petitionis rationem inquirant, aut aegre id ferre demonstrent».* Praeterea Rescripto item supra citato diei 17 augusti 1891 ad 2 decernitur quod Superiorissa « *tenetur subditi precibus* (petentis confessarium extraordinarium) *semper indulgere,* quamvis plane videat necessitatem esse fictam et vel scrupulis, vel alio mentis defectu ut veram ab ipso petente apprehensam ». Quinimo hodierna decisione quaelibet videtur praecludi via ut vel parum coarctari possit sancta illa conscientiae libertas, qua Ecclesia non solum fruantur vult omnes utriusque sexus fideles, sed etiam iuxta modum sive moniales sive sorores sive etiam Instituta virorum penitus laicorum. Proinde districte praecipitur Superiorissis ut, quando adsunt rationes verae ac propriae graves denegandi confessarium extraordinarium, non agant ex proprio arbitrio, sed consulant Ordinarium, ad cuius iudicium omnino acquiescere tenentur. Ordinarius autem est Episcopus relate ad moniales eidem immediate subiectas, vel Praelatus.Regularis quoad moniales, quae Regularium regimini subsunt.

Abusibus autem, qui forte timeri possunt ex parte petentium confessarium extraordinarium, iam praesto sunt opportuna remedia. Nam Rescripto diei 17 augusti 1901 ad 2 S. C. Episcoporum et Regularium vult ut « Subditi moneantur non posse extraordinarios confessarios petere, nisi ad id adigantur, ut propriae conscientiae consulant». Insuper Rescripto diei i februarii 1892 ad 2 (cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 3o, p. 121) eadem S. G. decrevit confessarios extraordinarios in conscientia teneri ad non audiendas confessiones sororum, quae rationabile motivum non habent ut ad eos recurrant. Demum in eodem Rescripto,

## DERTHONEN.

### IURISDICTIONIS PAROCHIALIS

**Consuetudo privative exercendi parochialem iurisdictionem super hospitale pluribus paroeciis . commune non extinguitur per eiusdem hospitalis derelictionem ac per alterius iuridice identici et in eodem paroeciae territorio extructionem.**

**Species facti.** In civitate *Novi Ligure*, Derthonensis dioeceseos, ab immemorabili extabat hospitale S. Iacobi, cuius maxima pars in ambitu paroeciae S. Petri, reliqua vero in illo paroeciae S. Nicolai sita erat. Item ab immemorabili parochus S. Petri in valetudinarii parte sibi subiecta ius funerandi super defunctos sive propriae sive alienae paroeciae exercebat, in alia parte idem ius parocho S. Nicolai exercente.

At paucis abhinc annis Comes Raggio novum extruxit nosocomium, quod praefatae civitati liberaliter cessit; proinde, veteri derelicto, a. 1902 novum sub eodem S. Iacobi titulo inauguratum fuit. Ex qua domus mutatione quaestio exorta est inter tres civitatis parochos, nempe inter parochum S. Petri ex una parte et inter parochos S. Nicolai et S. Andreae ex altera. Ille sibi vindicat exclusivum ius funerandi omnes defunctos novi hospitii in proprio districtu nunc

ad 4, quum nonnullae moniales aut earum maior pars persaepe peterent aliquem ex confessoribus extraordinariis, tunc S. C. decrevit ut « Moneat Ordinarius moniales et sorores, de quibus agitur, dispositionem articuli IV Decreti *Quemadmodum* exceptionem tantum legi communi constituere, pro casibus dumtaxat verae et absolutae necessitatis, quoties ad id adigantur, firmo remanente quod a S. Concilio Tridentino et a Constitutione s. m. Benedicti XIV incipiente *Pastoralis curae* praeceptum habetur ». Lex communis, quae a tota antiquitate fideliter observata fuit et quae a Tridentino et a Benedicto XIV praecipitur, est: « ut pro singulis monialium et sororum monasteriis unus dumtaxat confessarius deputetur » atque « praeter ordinarium confessarium alius extraordinarius ab Episcopo aut aliis Superioribus bis aut ter in anno offeratur » (N. R.).,

totaliter extantis ; e contra isti sustinent ob derelictionem veteris nosocomii atque novi erectionem antiquum funerandi ius, ad parochum S. Petri privilegio consuetudinario pertinens, extinctum esse, ideoque hodie ad tramites iuris communis quemque parochum pollere facultate funerandi proprios filíanos in novo xenodochio demortuos.

Eapropter parochi S. Nicolai et S. Andreae hoc sensu supplicem libellum obtulerunt Ordinario Derthonen., qui « attento quod iura et privilegia a parocho S. Petri asserta ad summum valere poterant pro veteri valetudinario non autem pro novo nondum canonice erecto; attento quod parochus S. Petri super vetus hospitale minime fruebatur parochiali iurisdictione, quum ibidem suam exerceret etiam parochus S. Nicolai; attentis denique Decisionibus praesertim S. C. Concilii in *Apuana-Funerum,* diei 19 maii 1888, necnon S.R. Rotae *(Pars XI, dec. 348, recent.)* etc. » die 24 augusti 1903 inter alia decrevit : « *quemlibet ex tribus parochis administrandi Sacramenta propriis parochianis in novo ho spitali degentibus eosque funerandi ius habere...* ». Sed huic decreto non acquiescens parochus S. Petri apud H. S. C. appellationem instituit.

**Deductiones parochorum S. Nicolai et S. Andreae.** Hi defendunt Decretum episcopale, ipsumque neque nullum ex defectu solemnitatum neque iniustum, utpote laesivum iurium parochi S. Petri, dici posse sustinent.

Sane quoad primum nihil obstat quod parocho S. Petri ostensae non fuerint rationes partis adversae, quum hoc non necessarium imo impossibile esset, quia hae complectebantur in ipsa petitione Episcopo exhibita et parocho S. Petri nota; qui ex adverso proprias deductiones adducere tenebatur ad praetensam exclusivam iurisdictionem in novo xenodochio probandam, utpote quae sit contra ius commune ac aliorum iurium laesiva. Item non officit quod parochus S. Petri ad suas deducendas rationes in forma valida et de iure vocatus

non fuerit ; nam, praeterquamquod formalis invitatio non est absolute necessaria, • ipse falso innititur supposito de legitima possessione exclusivae iurisdictionis in novo hospitale Ceterum parochus S. Petri, licet fortasse forma externa destitutam, quamdam invitationem a Curia accepit.

Quoad secundum, nempe circa meritum causae duo praedicti parochi, praetermisso Episcopi argumento de erectione non canonica novi hospitalis, advertunt quod non solum eiusdem physica sed nec iuridica existentia minime identica invenitur cum illa veteris, quae ob huius totalem interitum est extincta. Sane iurisprudentia classica logice docebat extinctione rei omnia iura eidem inhaerentia omnino extingui, nec revivisci etiamsi res in sua primaeva forma restitueretur. Iustinianus autem hanc temperavit iurisprudentiam ita ut vetera iura tantum reviviscerent si antiqua forma in re nova restitui posset. Ius canonicum suam fecit hanc Iustinianaeam doctrinam, quia iuxta *cap. 42 de Regul. iuris in 6* « Accessorium naturam sequi congruit principalis ». Unde Ferraris *(Bibl. Can., v. privilegium, art. III, n. 6)* habet quod « Privilegium reale cessat et extinguitur extincta rei, cui inhaeret, si ipsa res privilegiata extinguatur sine spe restitutionis ». In themate autem cum habeatur totalis intentus rei, quin res restitui possit ad primaevam formam, eiusdem quoque iura reviviscere nequeunt. Etenim ad hoc requireretur ut res nova si non physice, saltem moraliter sit eadem cum veteri ; e contra novum nosocomium nec moraliter idem est ac vetus, quum sit idem in genere nosocomii, non autem in determinata specie veteris nosocomii quod ob derelictionem exsistere desinit.

Nec parochus S. Petri probare valet ipsum privilegiata iurisdictione gavisum fuisse in vetus hospitale tamquam in genere hospitalis, secus eam habere debuisset in aliis hospitalibus, quae forte in civitate *Novi Ligure* aedificarentur ; quod est absurdum. Ceterum in dubio an privilegium parochi

S. Petri extendatur etiam ad novum nosocomium, negative respondendum est, quia « privilegium est ius singulare contra tenorem iuris communis » ac proinde valet principium quod *« odia sunt restringenda »,* quin huic alterum opponatur principium *« favores sunt ampliandi »,* quia in Casu privilegium est iuris alterius laesivum, Cfr. Maschat. *(Inst, IV, îjj et z6o)* necnon Ferraris *(BibL Can. v. privilegium, art. II, n 18).*

Neque sustineri potest, aiunt oratores, privilegium parochi S. Petri adhuc perseverare, quia novum xenodochium totaliter erectum est in eiusdem parochia, nam privilegium ex consuetudine acquisitum adhaerere nequiverat territorio parochiali et eo mediante hospitali, sed immediate aedificio hospitalis.

Praeterea hoc confirmatur ex eiusdem privilegii origine, quae in Relatione quadam S. Visitationis diei 15 martii 1645 peractae exhibetur ; ibi enim legitur : « In hoc hospitali (S. Iacobi) recipiuntur infirmi expositi et peregrini, etsi sit fundatum solummodo pro recipiendis peregrinis... ». Quapropter inferre licet huiusmodi xenodochium ab initio pro solis peregrinis fundatum fuisse, sicut ex veteri titulo S. Iacobi peregrinorum liquet ; hinc nil mirum quod peregrini ad iuris communis tramitem subiicerentur iurisdictioni parochi S. Petri. At tractu temporis, quum dicti hospitii conditio fuerit mutata per expositorum admissionem, parochus S. Petri, nemine reclamante, etiam in alios suam iurisdictionem extendit.

Demum praefati parochi concludunt, super quamdam veteris hospitalis partem etiam parochus S. Nicolai suam exercebat iurisdictionem ; ideoque hospitale a Comite Raggio nuper extructum vel uti vetus vel uti novum habendum est. Si primum, cur parochus S. Petri modo excludere vult parochum S. Nicolai ? Si secundum, tunc servandum est ius commune ab episcopali Decreto restitutum. Imo hoc secundum confirmatur ex eo quod soluta mercede et divites infirmi admittuntur, qui ob maiorem utilitatem et commodum

curari cupiunt in hospitali potiusquam in propria domo, quique proinde ibidem fortuito decedentes nulla est ratio cur a parocho S. Petri sint sepeliendi. Quibus omnibus accedunt testimonia tum Syndici localis, qui deponit Episcopi Decretum omnibus acceptum fuisse, eo vel magis quod etiam divites in hospitali ingrediuntur valetudinis curandae causa, quin timeant in casu decessus se funeribus propriae paroeciae privatos esse ; tum Praesidis Administrationis hospitalis, qui testatur indolem novi xenodochii radicaliter mutatam fuisse, quia ibi prius tantum pauperes, nunc vero etiam divites recipiuntur.

**Deductiones parochi S. Petri.** Eiusdem patronus inprimis probare nititur parochum S. Petri ab immemorabili plenam iurisdictionem parochialem in veteri hospitali S, Iacobi exercuisse. Hoc testantur undecim testes, inter quos quatuor presbyteri ; quibus accedit Praeses Commissionis hospitii, addens praeterea parochum S. Petri de iure omnia sacramenta praesertim vero Eucharistiam in Paschate ibi administrasse, atque novum nosocomium iuridice identicum esse ac vetus sub eodem nomine, administratione et statuto. Eadem habet actualis Syndicus civitatis, qui addit populum nunquam reclamasse ut suorum funera ab aliis quam a parocho S. Petri fierent.

Imo a. 1813 Syndicus tunc temporis Episcopum rogavit, qui ab imperatore Napoleone obtineret ut sacellum in hospitali existens in commodum parochi S. Petri pro sacramentis infirmis administrandis conservaretur. Idem confirmat statutum hospitalis a. 1864 approbatum, quod praecipit ut cappellanus admoneat parocho S. Petri, sub cuius iurisdictione extat nosocomium, pro administrando infirmis S. Viatico, et in casu decessus, praeter eumdem parochum, etiam Syndico. Hinc ait advocatus, consuetudo 40 annorum ad praescribendum favore parochi S. Petri valet, quum idem tempus sufficiat ad praescribendum contra ecclesiam, iura episcopalia

et decimas. Decretales *(lib. II, tit. 26 de Praescriptionibus, c. 9)*, Reiffenstuel *(lib. I Decret., tit. 4, n 105).*

Quinimo in quodam manuscripto a. 1801 de statu paroeciae S. Petri legitur quod « omnes ibi commorantes statim fiunt eiusdem parochiani, uti constat ex eo quod infirmi ad alias civitatis paroeciae etiam pertinentes statim ac hospitale ingrediuntur fiunt filiary paroeciae S. Petri ; hinc idem parochus illico acquirit ius eos funerandi ac sepeliendi in propria paroecia ». Ab altero documento vetustissimo omnia parochialia iura parocho S. Petri attribuuntur super defunctos hospitalis, ita ut, si aliquis eorum eligat sepeliri in diversa paroecia, dimidia emolumentorum pars ei tradenda sit.

Consuetudo autem centenaria eiusdemque relativa praescriptio, arguit advocatus, aequivalet privilegio et meliorem titulum de mundo praebet, nullum requirit titulum et locum habet etsi ius résistât, iuxta *cap. I De Praescriptionibus in 6.* Et Benedictus XIV *(De Syn. dioec, Lib. 12, c. 8, n. 8),* ita se exprimit : « Nihil magis tritum quam legem quamlibet humanam, etiam canonicam, posse contraria consuetudine, quae sit rationalis et legitime praescripta, abrogari, iuxta textum in *cap. fin. de consuetudine* ». Schmalzgrueber *(Ius Can., part. I, tit. 4, n. 20),* Pignatellus *(Cons. Can. 25, n. 2, tom. io).* Ceterum alii duo parochi contra iurisdictionem a parocho S. Petri in hospitali exercitam usque ad hodiernum tempus nunquam reclamarunt.

Deinde patrocinator descendit ad rationes adversariorum refutandas. Et sane, ait, Decreto episcopali, edicenti novum hospitale non esse canonice- erectum ac proinde habere non posse veteris iura ac privilegia, opponuntur omnes citati testes, qui deponunt de identitate utriusque nosocomii, muris tantummodo mutatis. Ens igitur morale, quod unice spectari debet, quodque per plura saecula existentiam canonicam saltem ex consuetudine praesefert, a dioecesanis Episcopis recognitam, non indiget certe alia canonica erectione. Revera

Pitonius *(Pars. I, discept. 8, n. ij et 18)* observat: «....Civitas, Collegia, Ecclesia... possunt destrui auctoritate superioris causa cognita, et tunc perdunt omnia privilegia... ». Igitur ens tunc tantum amittit iura quando supprimitur ce *auctoritate superioris causa cognita »,* non autem quando destruitur causa violenta vel etiam voluntaria sed ob maius commodum et bonum.

Nec valet dicere, clamat advocatus, quod parochus S. Nicolai ius funerandi exercuit in quibusdam hospitii cubiculis ; nam ipse hoc fecit consentiente parocho S. Petri, qui praeterea absque ecclesiasticae auctoritatis interventu ius suum parochiale invalide cessit. Ceterum, excepto iure funerandi, porochus S. Petri etiam in dictis cubiculis integram iurisdictionem quoad sacramenta, functiones etc. exercebat. Hodie autem illud funerandi ius a parocho S. Nicolai iam pridem exercitum omnino peremptum est, quia praefata cubicula non amplius extant in districtu S. Nicolai.

Praeterea Resolutio S. C. Concilii in *Apuana-Funerum* (Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 21, pag. 201) ab episcopali Decreto citata non facit ad rem. Facti species enim in eo est quod a. 1747 Episcopus dioecesanus asservandi SSrñum Sacramentum in cappella hospitalis S. Antonii Ab. facultatem concessit, ea tamen declaratione « ut numquam intelligatur inducta praescriptio ». Quum autem Cappellanus a. 1888 a parocho locali exemptum se dictitasset, hic ex ipsa clausula exemptionem illum habere non posse probavit et S. C. eidem fuit favorabilis. Quod verificatur et in themate, quia existit immemorabilis consuetudo favore parochi S. Petri. Sic in *Auxitana-Funerum* diei 9 iulii 1881, quum ab anno 1824 usus invectus fuerit quod canonicus hebdomadarius mnerabat canonicos Cathedralis ad quamvis paroeciam pertinentes , et a. 1881 Archipresbyter Cathedralis ipsius sibi reputans spectare hanc potestatem vi iuris communis, causam instituent apud S. C. C; haec dubio proposito: «An et cui compe-

tat ius peragendi exequias canonicorum in paroecia ecclesiae metropolitanae obeuntium in casu », reposuit: « Affirmative favore hebdomadarii et amplius ». Cuius decidendi ratio in eo erat quod aderat consuetudo 57 annorum; in themate autem etiam immemorabilis habetur consuetudo.

Deinde quod a S. Rota traditur *(Pars. XI, dec. 348, recent.)* praesertim n. 41 potius favet parocho S. Petri, quia « nec ex eo quod in hospitali Sacramenta administrantur, aut quod in eo ius sepeliendi sit, ius parochiae concluditur; cum ex praescriptione seu privilegio haec omnia competere possint ».

Insuper Decretum episcopale non solum laedit statutum ipsius hospitalis, quod praescribit ut in casu decessus alicuius infirmi Cappellanus monere teneatur Syndicum et parochum S. Petri, sed etiam ius commune subvertit, quum facultatem tribuat tribus civitatis parochis ius per turnum administrandi Sacramenta infirmis hospitalis. Mixta haec iurisdictio vetatur et a Conc. Trid. *(Sess. 24, c. iß, de Reform.),* quod mandat Episcopis ut « in iis locis, ubi parochiales ecclesiae certos non habent fines, et earum Rectores... promiscue petentibus Sacramenta administrant... distincto populo in certas propriasque parochias unicuique suum perpetuum, peculiarem parochum assignent ». Quo iure igitur poterunt alii duo parochi suam exercere iurisdictionem etiam super infirmos paroeciae S. Petri? Quinam erit parochus proprius matrimonii eorum, qui in hospitali degunt?

Unde concludit advocatus quum parochus S. Petri fuerit iniuste expoliatus de possessione suae iurisdictionis in nosocomio S. Iacobi, petit ut funera peracta ab aliis duobus parochis abusiva declarentur ac sibi emolumenta ab ipsis percepta restituantur.

**Dubium.** *An decretum diei 24 augusti ipoß sit confirmandum vel infirmandum in casu ?*

**Resolutio.** S. Congr. Episcoporum et Regularium, die

20 februarii 1904, sequens responsum dedit: *Ad mentem. Mens est quod exclusiva iurisdictio novi hospitalis S. Iacobi in civitate* Novi Ligure, *Derthonensis dioecesis, ad parochum S. Petri pertinet, tamen pro illis omnibus ad alias duas eiusdem civitatis paroecias pertinentibus, qui in praefato nosocomio soluta mercede admittuntur, atque ibidem absque gentilitia vel electiva sepultura decedunt, parochus S. Petri dimidiam emolumentorum funerum partem proprio defuncti parocho dare teneatur ».*

## Colliges

i°. Nisi constet de sepultura electiva aut gentilitia, ius funerandi defunctos in nosocomiis non exemptis vi iuris communis pertinet ad proprium ipsorum parochum, domicilii nempe aut quasi domicilii.

2°. Hoc principium prono alveo fluit *ex cap. Is qui, De sepult, in 6;* eiusdemque ratio in eo est quod ordinarie loquendo infirmi perfunctorie seu valetudinis curandae causa in hospitalibus commorantur.

3°. Tamen huiusmodi ius parochi proprii locum habere nequit quando nosocomium est saltem quoad funera exemptum, Vel ex apostolico aut episcopali privilegio, Vel ex consuetudine legitime praescripta.

4°. In themate favore parochi S. Petri consuetudo immemorialis extat funerandi, privative quoad parochos S. Nicolai et S. Andreae, demortuos in communi hospitali S. Iacobi.

5°. iura et privilegia realia alicui rei materialiter vel formaliter inhaerere possunt. Si directe cohaereant rei materiali, tunc extinguantur per translationem ad alium locum aut extinctionem rei privilegiatae ; si autem inhaereant principaliter rei formali, tunc etiam translata aut extincta re privilegiata cum spe restitutionis non cessant.

6°. In casu novum hospitale est iuridice idem est ac vetus ; atque in eodem paroeciae territorio extructam ,

proinde retinet omnia sua privilegia ac iura, inter quae recensetur ius consuetudinarium parochi S. Petri ibidem exercendi iurisdictionem parochialem.

7°. Denique eidem parocho onus imponitur tradendi quartam funerariam, quae hic pro dimidia emolumentorum parte computatur, aliis duobus parochis pro funeribus divitum, quum in non tantum hospitali admitti coeperunt.

# EX S. CONGREGATIONE CONCILII

## MELEVITANA

### EMOLUMENTI FUNERARI!

**Emolumentum, a Gubernio solutum pro cadaveribus pauperum ad coemeterium associandis, exigitur a Capitulo et, demptis expensis pro decenti delatione, dividitur aequis partibus inter Capitulum et Vicarium curatum.**

**Species facti.** In comitiis generalibus H. S. Congregationis diei 20 decembris 1902 (Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 35, p. 346) agitata est causa relate ad nonnullas functiones parochiales inter Capitulum insignis Collegiatae ecclesiae B. M. Virginis Immaculatae in civitate *Cospicua,* quod adnexam habet curam animarum habitualem et actualem, et eius Vicarium curatum, cui delegatum est exercitium eiusdem curae.

Ex dubiis tunc propositis quintum ita se habebat : *«An Vicario curato, vel potius Capitulo spectet emolumentum a Gubernio solutum pro associatione cadaverum pauperum in casu* ». Dubium enim respiciebat spectantiam cuiusdam emolumenti, quod Municipium Vicario curato assignavit pro associandis cadaveribus pauperum ad publicum coemeterium, qui antea in ecclesia Collegiata gratuito sepeliebantur, quodque sicut aliae taxae pro funeribus a Capitulo recipitur. Et

S. C. C. dicto dubio reposuit: « *Dilata et ad mentem* », Mens autem fuit: cut Episcopus partes ad concordiam inducere curaret, ita ut Capitulum integrum emolumentum, quod Gubernium solvere solet, sibi retinere non praesumat, sed congruam portionem Vicario curato assignet, ut iustam compensationem consequatur ob augmentum laboris pro associatione cadaverum ad publicum coemeterium >.

Episcopus Melevitanus, die 13 martii 1903, respondit propositam concordiam inter partes instaurari non posse, nisi eo sensu quod a Capitulo, tamquam administratore proventuum parochialium, recipiatur emolumentum, sed integrum deinde solvatur favore Vicarii curati, qui solus novum incommodum associandi pauperes ad coemeterium persentit. At postea idem Episcopus, partibus super praescripta concordia interpellans, die 14 maii eiusdem anni, retulit quod Vicarius curatus integrum praetendit emolumentum, dum e contra Capitulum Parocho solvere vult tantum illud emolumentum, nempe lib. r, quod eidem persolvit pro divitibus assoeiandis.

Rebus sic stantibus, iterum proposita fuit quaestio.

**Deductiones Parochi.** Patronus Vicarii curati propugnat eidem non autem Capitulo deberi integrum controversum emolumentum, quia hoc non a fidelium oblationibus aut ab ecclesiastica auctoritate, sed a civili Gubernio insulae Melevitanae post publici coemeterii institutionem dérivât. Quinimo huiusmodi assignatio est quaedam gratificado propter incommodum, quod subit parochus in translatione cadaverum pauperum ad coemeterium, uti testantur Vicarius Generalis Mereiera actualis Vicarii curati praedecessor, necnon Episcopus et ipse Gubernii Praeses. Quod adeo verum esse contendit advocatus ut praefatum emolumentum augetur vel minuitur, aucto vel imminuto incommodo ratione distantiae; ita fidem facit parochus S. Pauli civitatis Valletta, atque ita factum est in aliis paroeciis, prout congruis liquet testimoniis.

Si itaque, concludit advocatus, Gubernium in assignanda hac pecunia intendit, aequitate suadente, illis gratificare qui pauperum cadavera usque ad coemeterium associant, si hoc incommodum non Capitulum sed Vicarius curatus sustinet, aequum est, ut ipse sentit Episcopus, quod pecuniam tantum Vicarius lucretur.

Neque obiiciatuf hoc emolumentum censeri inter fructus stolae, qui Capitulo sunt reservati; nam hi fructus a fidelibus persolvuntur et pro sacris ministeriis ; at in casu pecunia assignatur a Gubernii Praeside sectae anglicae addicta et non rependitür ratione sacri ministerii, sed potius tamquam merces pro labore et incommodo. Neque item spectari potest ceu fructus stolae ad normam Pianae Constitutionis, quia in assignandis trecentis annuis scutatis Melitensibus (i. e. lib. 600) Vicario curato ob delegatum a Capitulo curae animarum exercitium, de novo onere, quod postea a Gubernio fuit impositum, haberi ratio non potuit.

Demum patrocinator observat quod Capitulum pro assodandis* divitum cadaveribus Vicario curato aliquam summam ob novum hoc onus rependit, reliquam vero summam sibi retinens; at non eadem est causa quando agitur de funeribus pauperum, in quibus nec utensilia quae usu consumuntur nec alia Vicario suppeditare solet. Denique parochi in his lu'cris habent pro se iuris adsistentiam; ita Reiffenstuel *(Ius can. univ., lit. 30 de Decimis, § p, n. i po) i* « Omnes et singulae oblationes, quae intra limites alicuius parochiae fiunt, de iure communi ad loci parochum spectant, ita ut hic pro se fundatam in iure intentionem habeat ». Idem tradit Rota coram Merlino in *Alexänd?ina~Fune?alium, diei i iunii 1630, (P. V, I. I, dec. 402, § 8 recent.).* Totum igitur emolumentum Vicario curato est necessario tribuendum.

**Deductiones Capituli.** Ipsum praemittit quod ab anno 1852 usque ad a. 1872, quo publica instituta sunt coemeteria per Vice-parochos aut alios sacerdotes curavit associatio-

nem divitum, qui alias in ecclesias deferendi erant ob sepulturas gentilitias inibi existentes. Instituto autem publico coemeterio etiam cura pro pauperibus associandis ad coemeterium ad Capitulum obvenit, cui proinde a Gubernio statuta indemnitas semper est repensa. Id confirmatur ex voluntate ipsius Gubernii, quod concorditer cum auctoritate ecclesiastica voluit hoc emolumentum esse exclusive Capitulo devolutam. Nec alia est praxis apud Capitulum S. Pauli Naufragi in civitate Valletta, quod pariter habet curam actualem et habitualem, et tamen assignatum stipendium a Gubernio post publici coemeterii erectionem non a parocho sed a Capitulo obtinetur,

Deinde Capitulum assertionem Vicarii curati réfutât quod tiihil ab ipso praestetur in associatione cadaverum pauperum animadvertens emolumentum Gubernii, praeter retributionem parocho cadavera pauperum Gomitanti, solvi etiam uti compensationem utensilium a Capitulo in pauperum exequiis confessorum, necnon damni eidem illati ob ius sepeliendi in ecclesia prohibitum. Insuper, prosequitur Capitulum, Praedecessores actualis Vicarii curatio et ipse Vicarius curatus semper •contenti fuere de congrua portione a Capitulo ipsis assignata, nec unquam sibi arrogarunt emolumentum Gubernii, quamvis ab institutione publici coemeterii in deferendis pauperum cadaveribus idem persentirent incommodum. Quinimo Capitulum in Vicarii curati subsidium deputavit Vice-curatos, •qui ei suppetias ferunt in totali exercitio curae animarum et praesertim in associandis defunctis ad coemeterium.

Attestationes nonnullorum parochorum, ait Capitulum, in exemplum adduci nequeunt, quum agitur de parochis habentibus curam actualem et habitualem paroeciae absque ulla relatione ad Capitula, et proinde mirum non est quod assignatio honorarii facta a Gubernio exclusive spectet ad parochos.

Demum Capitulum adnotat quod adiudiçatio totius emolumenti Vicario curato directe opponitur menti H. S. C, quae

vult « ut Capitulum integrum emolumentum... sibi retinere non praesumat, sed congruam portionem Vicario curato assignet'»; ac proinde concludit se velle acceptare propositam concordiam et Parocho solvere idem honorarium quod ei solvit cum comitatur divitum cadavera ad coemeterium; imo se promptum esse eidem tribuere eamdem retributionem pro defunctis pauperum in antecessum ad coemeterium comitati s.

**Dubium.** *An Vicario curato, vel potius Capitulo spectet emolumentum a Gubernio solutum pro associatione cadaverum pauperum in casu.*

**Resolutio.** Emi Patres, utriusque partis deductionibus ad trutinam revocatis, die 20 februarii 1904, responsum dederunt : *Emolumentum dividendum esse aequis partibus inter Capitulum et Vicarium curatum > sub lege ut in posterum pauperum cadavera decenter deferantur ad ecclesiam parochialem iuxta praescriptum Ritualis Romani, et cum onere Vicario curato comitandi eorumdem cadavera ad coemeterium sive per se sive per alium.*

Hac habita responsióne procurator Capituli petiit atque obtinuit beneficium novae audientiae; unde causa iterum iudicanda proponitur.

Capituli procurator, licet monitus, nullam allegationem exhibuit, sed tantum eiusdem protestationem. Nam Capitulum vadaverat coram laico tribunali eos, qui in causa contra ipsum testati fuerant, ut suas depositiones iuramento firmarent. Hic recursus ab ecclesiastica auctoritate fuit interdictus; et ' Capitulum dicto audiens fuit, quamvis ab hac iniunctione appellare intendat, cum compulsalo contrariarum depositionum ope iuramenti, sibi necessaria sit ad defensionem in nova causae propositione peragendam.

E contra Vicarii curati patronus novas exaravit conclusiones. Et sane ex H. S. C. responso haud clare erui sibi videtur a quonam pecunia, de qua quaeritur', sit exigenda»

an a Capitulo vel a Vicario. Cum enim ex una parte ius eam exigendi sibi vindicet Capitulum, attributa caeteroquin Vicario illius parte, ex altera Vicarius pecuniam sibi solvendam esse contendat, ita ut ipsam ab eo Capitulum repetat; quaestionem pro eodem Vicario diiudicandam esse contendit patronus. Siquidem recolit pecuniam a Gubernio solvi ad incommodum Vicarii compensandum deferendi pauperes ad coemeterium ; hoc autem incommodum Vicarius curatus non autem Capitulum persentit, hinc Vicario merces tribuenda est.

Praeterea idem patronus explicationem quaerit circa dimidiam partem Capitulo et insimul Vicario tribuendam. Cum enim in posterum pauperum cadavera decenter prius deferri debeant ad ecclesiam parochialem, et cum id secumferat ut vespillonum opera adhibeatur, (qui quidem quamvis cadavera de domo ad currum et de curru ad coemeterium portent, nullo tamen pacto ad ecclesiam accedendi adstringuntur) cereisque insuper ad sacra piacularia celebranda in ecclesia uti oporteat; profecto hi sumptus e pecuniae parte Capitulo attributa detrahendi videntur. Nam Vicario incommodum ferenti, postulante iustitia, tota merces debetur; eo magis quod, praeter istiusmodi sumptus in pauperibus efferendis, Capitulum alios nec unquam fecit, nec in posterum facturum est, prout testimonia alias exhibita confirmant.

Pariter notum est, ait patronus, reipublicae administratores mandantes parochis ut de celebratis matrimoniis testimoniales litteras in acta referenda sibi mitterent, pro eorum remunerando incommodo certam summam destinasse. Hanc autem Vicarius curatus, Capitulo assentiente, totam sibi vindicat ; cur igitur, subdit, ubi eadem concurrunt adiuncta non idem iudicandum ?

Quod si minime placeat totam pecuniam attribuere Vicario, animadvertit patronus ipsum, ea sibi attributa, sumptis facere pro pauperibus efferendis paratum esse, imo et Capitulo solvere quod pro divitibus efferendis ipsi solvi solet.

**Dubium.** *An sit standum vel recedendum a decisis in casu.*

**Resolutio.** Et S. Congregatio Concilii, omnibus denuo perpensis, die 27 augusti 1904, respondendum censuit: *In decisis; et quoad exactionem emolumenti servetur solitum; quo vero ad expensas pro decenti delatione defuncti, deducendis esse ex integro emolumento, antequam dividatur in duas partes et amplius.*

## Colliges

i°. Animarum cura dividi potest in actualem et in habitualem. Generatim utraque in eodem subiecto seu in parocho residet; aliquando autem cura in habitu ad corpus morale, et cura in actu ad Vicarium parochialem pertinet.

2°. Parochus sive habitualis, qui vocatur etiam rector principalis, sive actualis est verus ac proprius parochus, quia sicut tota cura habitualis residet in parocho habituali, ita et tota cura actualis in actuali parocho residet.

3°. Interdum vero, licet rarissime, accidit ut parochus principalis non solum habitualem sed etiam actualem curam sibi unitam retineat ; tunc Vicarius curatus habet tantum exercitium curae actualis, dependenter et nomine parochi principalis exercendae ac proinde non est verus parochus sed merus ac nudus Vicarius (i).

4°. In casu iuxta Apostolicas Bullas ecclesia Collegiata Conspicuensis unitam sibi habet totam habitualem et actualem curam, cuius tantummodo exercitium Vicario curato delegatum est (2).

5°. Proinde emolumentum a Gubernio solutum pro associatione pauperum per se loquendo competeret ad Capitulum

(1) **Cfr. Buix** ***(Tract. De Parocho, part. I, sect 3, c. 6, prop. 5)*** **et Lombardi** ***{Vol. I, de Vicario parochiali, pag. 331).***

(2) **Hoc confirmatum fuit a praecedenti Resolutione H. S. C. in eadem causa,** **<Jie** 2o **decembris** 1903 **ad** *I* **(Cfr,** ***Acta*** *S.* ***Sedis,*** **vol** 3-5, p. 346).

tamquam ad verum parochum, a quo proinde est exigendum; tamen aequitate suadente S, C. vult ut, prius demptis expensis pro decenti delatione defunctorum, dimidia pars tribuatur Vicario curato in iustam compensationem ob laboris argmentum pro associandis pauperum cadaveribus ad publicum coemeterium.

6°. Demum praecipitur ut pauperum cadavera decenter deferantur ad ecclesiam parochialem iuxta Rituale Romanum, quia ibidem usus vel melius abusus invaluerat eorum cadavera deferendi directe a domo ad coemeterium, quin prius ad ecclesiam deferrentur.

# EX S, C. DE PROPAGANDA FIDE

## DECRETUM

**Quo erigitur Praefectura Apostolica de Stanley-Falls in Africa et Instituto Presbyterorum a S. Corde Iesu conceditur.**

Cum in Generalibus Comitiis huius S. C. de Propaganda Fide, habitis die 25 superioris mensis Iulii, relatum fuit sacerdotes quosdam Instituti Presbyterorum a S. Corde Iesu profectus fuisse ad sacrum ministerium sub iurisdictione Vicarii Apostolici Congi Independentis seu Belgici exercendum, in quadam plaga eiusdem missionis eis a praedicto Ordinario excolenda designata: ac insuper per plures annos ibidem cum magno animarum fructu adlaborasse: Emi Patres, consentiente Vicario Apostolico, voluerunt ut territorium in quo praefati sacerdotes usque nunc apostolicas curas impenderunt, a Vicariatu Apostolico Congi Belgici distraheretur ac in separatam Praefecturam Apostolicam erigeretur. Huius vero Praefecturae Apostolicae, titulo de Stanley-Falls nuncupandae, ac Instituto praedicto concedendae, limites sequentes

erunt; nempe: Ad Septentrionem confinia meridionalia Praefecturae Apostolicae de Uellé; ad Orientem confinia occidentalia Vicariatus Apostolici Victoriae Nyansae Septentrionalis, scilicet gradus 30 longitudinis orientalis (Greenwich); ad Meridiem limes septentrionalis Vicariatus Apostolici Congi Superioris: id est linea ducta ab ora meridio-occidentali lacus Alberti Eduardi usque ad ostium fluminis Lela, scilicet usque ad locum Lokandu; hinc vero alia linea usque ad locum Bena-Kamba ad flumen Lomani; ad Occidentem vero cursus fluminis Lomani a praedicto loco Bena-Kamba usque ad ostium eiusdem in flumen Congo, et dein cursus huius fluminis usque ad confinia Praefecturae Apostolicae de Uellé.

Hanc vero Emorum Patrum sententiam, per infrascriptum huius S. C. Secretarium, in Audientia hesterna die habita, SSmo D. N. Pio divina providentia PP. X relatam, Sanctitas Sua in omnibus ratam habuit ac confirmavit, praesensque ad id S. C. Decretum confici iussit.

Datum Romae die 3 Augusti 1904.

H. M. Card. GOTTI, *Praefectus.*

L. © S.

A. Veccia, *Secretarius.*

# EX S. CONGREGATIONE RITUUM

## UTINËN.

**Missa de festo SS.mi Rosarii B. M. Virginis transferendo ob populi concursum.**

R. D. Iosephus Fantoni, sacerdos archidioeceseos Utinen., de consensu sui Rmi Archiepiscopi, sequens dubium Sacrorum Rituum Congregationi pro opportuna solutione humillime proposuit, nimirum:

In paroecia Glemonae, Utinensis dioeceseos, adest antiquissima consuetudo, ut Dominica prima Octobris, in solemnitate scilicet Sanctissimi Rosarii B. M. V., Archipresbyter parochus cum suo Clero et populo conveniat ad Sacra solemniter peragenda in ecclesia S. Antonii apud Fratres Minores, in qua exstat altare eidem Beatissimae Virgini sub titulo SSmi Rosarii dicatum.

Cum vero interdum contingat ut solemnitas SSmi Rosarii occurrat eadem die ac festum S. Francisci Assisiensis, quod sub ritu duplici primae classis cum Octava in omnibus Fratrum Minorum ecclesiis celebratur, hinc quaeritur:

Utrum in occurrentia solemnitatis SSmi Rosarii B, M. V. cum festo S. Francisci possit in praedicta ecclesia S. Antonii, ratione concursus populi, cani Missa de festo transferendo, nempe de Rosario, iuxta Rubricas Generales Missalis tit. VI?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito etiam voto Commissionis Liturgicae, rescribendum censuit: *«Affirmative»* (i).

Atque ita rescripsit. Die 6 Maii 1904.

k A g S. Card. CRETONI, *Praefectus.*
' *v* f D. Panici Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

(i) Rubricae generales Missalis Romani Tit. VI *De Translatione Festorum* generatim statuunt, quod : « In dicendis Missis servetur Ordo Breviarii de Translatione Festorum Duplicium, quando maiori aliquo Festo, seu Dominica impediuntur ». Deinde eaedem aliquam inducunt exceptionem vel melius privilegium quoddam concedunt : « In Ecclesiis autem ubi Titulus est Ecclesiae, "vel concursus populi ad celebrandum Festum quod transferri debet, possunt cantari duae Missae, una de die, alia de Festo ». Duo igitur recensentur casus, in quibus a Rubricis permittitur ut, praeter Missam de Officio occurrenti, etiam Missa votiva de festo transferendo cani possit. Primus enim casus est *Titulus ecclesiae,* nimirum quando festum Titulare alicuius ecclesiae, ob occurrentiam cum festo vel Dominica maioris ritus, ad aliam diem liberam transferri debet. Alter casus est *populi concursus,* quando nempe festum, ad quod celebrandum in aliqua ecclesia populus accurrit, propter eiusdem occurrentiam cum festo vel Dominica altioris ritus transferendum est. Ex decreto S. R. C. *Clodien.,* die

# ORDINIS FRATRUM MINORUM

## PROVINCIAE PORTUGALUAE

### Dubia circa SS.mi Sacramenti expositionem, asservationem et distributionem, necnon circa locum Crucis super Altare.

Reverendus Pater Dominicus Consalves Sánchez, Seraphicae Provinciae Portugalliae olim Minister Provincialis et Kalendarista, ut in functionibus ecclesiasticis omnia ex ordine procedant iuxta Sanctae Romanae Ecclesiae praescripta,

7 augusti 1875, n. 3365 ad X quando iuxta Rubricas cantari potest Missa solemnis de festo transferendo, licet etiam canere Vesperas votivas de eodem festo cum unica Oratione. Supra relatum Rescriptum, uti liquet, se refert ad secundum casum, quia agitur de festo SSmi Rosarii B. M. Virginis, quod ob ipsius occurrentiam cum maiori festo S. Francisci Assisiensis transferri debet, et de quo ratione concursus populi Missa votiva in dicta die cani potest.

Concursus autem debet esse extraordinarius, qualis nempe verificatur quum agitur de aliquo peculiari festo solemniter celebrando, uti declaravit S. Rituum Congregatio Decreto *Mulinen.*, diei 23 septembris 1837, n. 2769 àd VIII, q. 4. Missa votiva de festo transferendo ratione tituli ,vel concursus cani debet sicuti Missa votiva solemnis pro re gravi seu publica Ecclesiae causa, nempe cum *Gloria, Credo,* unica Oratione, ac Evangelio S. Ioannis in fin.e.

Praeterea notandum est quod Rubricae dicunt: « *possunt cantari duae Missae* » non autem cantari debent. Hinc, quemadmodum in utroque praefato casu omitti potest Missa votiva de festo transferendo et cantari tantummodo Missa de die currenti, imo (exceptis Capitulis Cathedralibus et Collegiatis qui Missam Conventualem canere tenentur) nec ipsa cantari valet; eadem ratione cani potest (non autem legi) sola Missa de festo transferendo et omnes aliae Missae de Officio occurrenti legi valent, nisi uti supra particularis extet aliunde obligatio. Cfr. Decreta S. R. C. *Bergomen.*, diei 17 augusti 1709, n. 2198 ad i, necnon *Massae et Populoniae,* diei 3 septembris 1746, n. 2392 ad i.

Denique aliqui habentur dies, in. quibus Missa de festo transferendo prohibetur, veluti sunt, iuxta Rubricas reformatas a S. R. C. Decreto diei 11 decembris 1897 (cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 3o, p. 461) Dominicae maiores primae classis, festa duplicia Domini item primae classis (excepto festo SSmi Cordis Iesu) et feriae privilegiatae. Ad rem confer De Herdt *(Praxis Sacrae Liturgiae, Tom. I, p. 80, n. 6g)* et Van Der Stappen *(Sacra Liturgia, Tom. U, p. 244, q. 265 et seq.) (N. R.).*

hisque adversantes consuetudines tamquam abusus omnino tollantur, de consensu sui Reverendissimi Procuratoris Generalis, sequentia Dubia Sacrorum Rituum Congregationi humillime proposuit, nimirum :

**I.** Mos invaluit pluribus in Ecclesiis, etiam in Capellis ubi Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum non asservatur, frequenter Festa Domini, Beatae Mariae vel Sanctorum celebrandi cum eiusdem Sanctissimi publica expositione in Ostensorio etiam perdurante Missae celebratione ad maiorem solemnitatem, praehabita Ordinarii licentia, quae semper concedi solet. Saepe vero contingit quod in Capellis, ubi Sanctissimum non asservatur, pyxis non adsit; ideoque sacra Hostia pridie consecranda, in quadam tabernaculi specie inter corporalia asservetur, ibique deinde reponatur, ut sequenti die in Missa celebranda consumetur. Quaeritur, an huiusmodi usus saltem tolerari possint ?

Et quatenus affirmative ad primum et ad primam partem ;

II. An praedicta expositio Sanctissimi in Ostensorio adhuc fieri possit ante Missam solemnem celebrandam, in qua Communio puerorum vel aliorum fidelium solemniter ministranda sit?

III. An tantummodo a tempore ad tempus quo Missa celebrari permittitur, Communio Christifidelibus ministranda sit, iuxta Decretum 2572, ad XXIII (i); aut etiam ultra prae-

(1) En citatum Decretum *Tuden.*, diei 7 septembris 1816, n. 2572 ad 23: « An die magni concursus ad indulgentiam plenariam vel iubilaeum possit ministrari sacra Eucharistia fidelibus aliqua hora ante auroram et post meridiem ? » Èt S. R. C. respondendum censuit: « In casu de quo agitur, *affirmative* a tempore ad tempus, quo in illa ecclesia Missae celebrantur ; vel ad formam Rubricae, vel ad formam indulti eidem ecclesiae concessi ». Rubricae Generales Missalis *(Tit. XV, n. i)* habent: « Missa privata... quacumque hora ab aurora usque ad meridiem dici potest ». Tempus autem aurorae ac meridiei sumi non debet mathematice sed moraliter, ac proinde Missa terminari potest in aurora et inchoari paulo ante meridiem. Insuper S. R. C. Decreto *Bona'èren.*, 7 iulii 1899, n. 4044 ad 4 reliquit « prudenti arbitrio Ordinarii ut in aliqua solemnitate Missa

dictum tempus, nempe usque ad occasum solis ministrari liceat?

IV. An Crux cum imagine Crucifixi, in medio altaris inter candelabra collocanda, etiam in altari, ubi Sanctissimum asservatur, collocari possit immediate ante eius tabernaculum; aut super ipsum vel in postica eius parte collocari debeat?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, omnibusque mature perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. Quoad primam partem, id passim ne fiat, et cum venia Ordinarii in singulis casibus obtenta (1). Quoad alteram partem nempe quod, deficiente pyxide, sacra Hostia

incipiat in meridie, ita ut ob solemnitatem cantus et concionem, Missa se protrahat usque ad horam secundam vel amplius ». Item attendendum est privilegium aliquibus ecclesiis concessum prius inchoandi Missam vel serius eam finiendi. Quapropter regulariter toto tempore, quo in aliqua ecclesia permittitur celebratio Missae, etiam Communio fidelibus distribui potest *(N. R.)*.

(1) Concilium Tridentinum *(Sess. XIII, can. VI De Eucharistia)* SSmum Sacramentum venerationi fidelium exponi posse definivit hisce verbis: « Si quis dixerit... (SSmum Sacramentum) non publice, ut adoretur, populo proponendum... anathema sit ». Doctores autem non conveniunt num magis expediat Eucharistiam raro vel frequenter exponere; quidam enim raram expositionem sustinent ob irreverentias quae exinde oriri possunt, alii e contra frequentem defendunt ad devotionem fidelium magis fovendam. Omnes tamen in hoc concordant, teste Benedicto XIV *(Inst. XXX, n. S)* « ut cultus divinus Eucharistiae debitus augeatur ». Proinde nobis cum S. Alphonso *(Theol, mor., lib. 6, n. 424)* concludere licet quod expositio Sanctissimi magis vel minus frequens est facienda prout cultus Eucharistiae augetur vel minuitur. Et ubi huiusmodi cultus augetur idem S. Doctor *(loc. cit.)* laudat expositionem frequentem « modo non sit nimis frequens », quum nimia frequentia minuat reverentiam.

Hinc S. C. Rituum Decreto *De Nicaragua,* diei 27 septembris 1864, n. 3124 ad 5 permittit ut retineatur consuetudo exponendi per totam diem SSmum Sacramentum in solemnitatibus B. M. Virginis aliorumque Sanctorum, sed eodem tempore per hodiernam decisionem moderatur usum nimis frequentem expositionis SSmi, quae ob causam publicam et de licentia Ordinarii tantummodo fieri debet *(N. R.)*.

inter corporalia asservetur, huiusmodi abusus est omnino eliminandus.

Ad II. Non licere.

Ad III. *Affirmative* ad primam partem; *negative* ad secundam.

Ad IV. Crux collocetur inter candelabra, nunquam ante ostiolum tabernaculi. Potest etiam collocari super ipsum tabernaculum, non tamen in throno ubi exponitur Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum.

Atque ita rescripsit, die II Iunii 1904.

S. Card. CRETONI *Praefectus.*

L. S.

f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

## ROMANA

**Decretum beatificationis et canonizationis Ven. Servi Dei Gasparis Del Bufalo, Canonici Basilicae S. Marci de Urbe, Institutoris Congregationis Missionariorum Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C.**

Super Dubio : « *An stante approbatione virtutum et duorum miraculorum* Tuto *procedi possit ad solemnem Ven. Servi Dei Beatificationem* ».

Educta ex Christi latere Ecclesia, quasi campus divino fecundatus cruore, saeculorum decursu protulit uberes fructus eosque varios, iuxta varia charismata eorum, quibus datus est excolendus, aut iuxta temporum opportunitatem, quae Dei providentia gubernantur. Inter sanctos viros Dominicae messis operarios, peculiari quadam ratione ab ipso sanctitatis ac salutis fonte suum Apostolatum auspicatus est inclytus ille parens Congregationis Pretiosissimi Sanguinis, ad quam piae quoque Sorores eiusdem nominis referuntur, Ven. Dei Ser-

vus Gaspar Del Bufalo. Videtur enim similitudinem gerere Angeli « habentis signum Dei vivi », quo illa nuntiantur: «Erit sanguis Agni vobis iii signum».

Ortus Romae, post actam innocentissime adolescentiam, enituit sacerdotalis virtutis exemplar. Dei amore et proximorum vehementer incensus, nullum pietatis aut caritatis officium a se alienum putavit, nullis laboribus pepercit ut hominum genus quodvis Christo lucrifaceret, ita ut potenti eius ministerio convenire verba prophetae possint: « In die illa erit fons patens domui David et habitantibus Hierusalem in ablutionem peccatorum ». Canonicus S. Marci de Urbe perinsignis illius Basilicae decori atque utilitati prospexit. Pauperum pater, moerentium consolator, divini verbi praeco impiger per Italiae regiones, christianae pietatis excitator in omni coetu, vere salus populi exstitit; ipsum vere Dominus « redemptionem misit populo suo ». Venerabilis aeque et carus, dum in mortali peregrinatione versatus est, non plebi solum sed viris quoque dignitate ac virtute amplissimis, quos inter Summis Pontificibus Pio VII et Leoni XII, famam sanctitatis post obitum non modo confirmavit, sed auxit etiam prodigiis.

Denuo igitur agitata causa est atque instituta quaestio super duplici miraculo; quo de utroque Sanctissimus Dominus constare decrevit quarto calendas Iunias volventis anni (i). Nihil aliud institutae disceptationi adhuc supererai, nisi ut de dubio ageretur, utrum honores Beatorum Caelitum Venerabili Servo Dei Gaspari Del Bufalo *Tuto* decerni possent. Itaque in coetu universo S. Rituum Congregationis decimo octavo cal. quintiles habito coram SSmo D. N. Pio Papa X, Rmus Cardinalis Dominicus Ferrata Causae Relator dubium discutiendum proposuit : « *An stante approbatione virtutum et duorum miraculorum* Tuto *procedi possit ad solemnem huius*

(i) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 36, p. 741.

*Ven. Servi Dei Beatificationem* ». Quotquot aderant Revmi Cardinales et S. huius Congregationis Consultores *Tuto* procedi posse affirmarunt. Sanctitas tamen Sua a supremo iudicio illico edendo abstinuit, rem gravem differens in alium diem, monuitque praesentes ut supernum lumen implorarent.

Hodierno vero die, qui Natali faustissimo Ioannis Praecursoris festus elucet, SSmus Pater, Sacro religiosissime litato in domestico Sacello, Vaticanae aulae nobiliori succedens ac pontificio solio assidens, coram se sistere iussit Rmos Cardinales Aloisium Tripepi S. R. C. Pro-Praefectum et Dominicum Ferrata causae Ponentem, una cum R. P. Alexandro Verde S. Fidei Promotore meque infrascripto Secretario, iisque adstantibus solemni Decreto sanxit : « Tuto *procedi posse ad solemnem Ven. Servi Dei Gasparis Del Bufalo Beatificationem ».*

Hoc autem Decretum publici iuris fieri, et in Acta S. Rituum Congregationis referri, Litterasque Apostolicas in forma Brevis de Beatificationis solemnibus in patriarchali Basilica Vaticana, ubi primum licuerit, habendis expediri praecepit, octavo calendas Iulias an. MDCCCCIV.

S. Card. CRETONI, *Praefectus.*

L. S.

f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

## ROMANA SEU TRIDENTINA ET PRAENESTINA

**Decretum beatificationis et canonizationis Ven. Servi Dei Stephani Bellesini, Ordinis Eremitarum S. Augustini, parochi in oppido Genestano.**

Super Dubio : « *An et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum- de quo agitur* ».

Felici sane connubio et religiosae solitudinis et saluberrimi apostolatus, quasi *in spiritu et virtute Eliae,* viri sancti

complures, quum cetero christiano gregi, tum iis potissimum, quibus animorum cura commissa est, insigni exemplo exstiterunt. Duplici hac laude florentem, et coenobitae integerrimi et operarii indefessi in vinea Domini, Ecclesia Christi Sponsa exhibet hodie antiqui Ordinis Filium, qui Ordo a legifero Patre suo haud nomen tantum mutuatus videtur, sed haereditate acceptum una cum doctrina servasse flagrantissimum studium et suae et aliorum procurandae salutis. Eiusmodi fuit Ven. Dei Servus Stephanus Bellesini.

Ortus Tridenti saeculo XVIII, futurae sanctitatis auspicem et quasi altricem, pueritiam exegit. In Augustinensem Eremitarum Familiam cooptatus, sodalibus aeque ac praepositis admirationi fuit. Theologiae studiis Bononiae vacantem, ab eo domicilio dura tempora gallicarum perturbationum cito amoverunt, et occupata pontificia illa urbe coëgeruut natale solum repetere. Ibi nondum sacerdotio auctus, sacris concionibus tam strenuam operam dedit, ut confertam multitudinem templa vix caperent; tam sedulo in proximorum salutem incubuit, ut, viribus fractis, ad sacerdotalem inunctionem fuerit lecticâ deductus. Non ita multo post, deturbatis undique per Italiam religiosis viris, Ven. Dei Servus privatam in domum cum matre sua et fratre secessit, ubi inter cetera pietatis et caritatis officia ludos aperuit pueris e populo christianae doctrinae cibo nutriendis et a miseria relevandis. Horum numerus brevi mire auctus, perditorum hominum iras in sanctum virum et vexationes provocavit, donec restitutis rebus civilis Austriae potestas Ven. Dei Servum scholis omnibus Tridentini principatus praefecit.

At brevi, redintegratis religiosis Familiis, ad suum Bononiense coenobium Stephanus, velut ad aream columba, retulit pedem. Mox et Romae, et in Civitate Plebis, et Genestani, sui Ordinis tironibus datus magister pietatis, sapienti regimine ostendit, quanto uberiorem ex latiore campo messem foret collecturus. Patuit autem apostolico ardori Ven. Servi Dei Genestani paroecia, in qua regenda, caritate complexus virtutes

omnes, animis corporibusque iuvandis ita se dedit, - ut non modo meruerit appellari *pater pauperum,* sed nec dubitant, ad similitudinem *Boni Pastoris,* animam suam dare pro ovibus suis. Cui supremo sacrificio optatam sancto viro attulit occasionem dira exorta contagio anno MDCCCXXXVIII. Eâ grassante, Stephanus, dum propero incessu ad aegrotos accurrit, ex tibiae ictu, eundem contraxit morbum, quo brevi raptus •est victima caritatis, die undecima mensis Februarii memorati anni.

Haec summatim pietatis et caritatis monumenta sunt, quae Ven. Stephanus posteritati reliquit ; haec exempla sanctitatis, cui illustrandae quum signa et miracula non defuissent, eiusdem Ven. Dei Servi causa ad S. RR. Congregationem delata est. Edito autem Decreto approbationis virtutum a SSmo Dno Nostro Leone Papa XIII fel. rec. pridie idus maias an. MDCCCXCVI de duobus miraculis actum est, quae, illo deprecante, patrata ferebantur (i).

Horum primum in ordine propositionis accidit in oppido Genestano an. MDCCCLXXV. Ioannes Sarti, agricola, acuto morbo correptus, gravi leptomeningite spinali chronica, eo sensim devenit, ut plane paralyticus, contractis cruribus, macie enectum corpus fulcris traheret. Is, audito anniversariam verti diem ab obitu Ven. Stephani, templum Deiparae a Bono Consilio, miserrimo, quo solebat, incessu adiit, ibique ad sepulcrum Ven. Dei Servi procumbens, magna voce ,cum lacrimis eius opem implorare suaque accusare peccata publice coepit. Ecce autem, stupentibus omnibus, confestim assurgit, proiectisque fulcris, cursu repetit domum, receptis, quibus antea vigebat, integris viribus.

Alterum contigit miraculum anno MDCCCXLV. Soror Maria Hyacintha Rebora hernia inguinali decimum septimum iam annum in civitate Ianuensi laborabat. Cuius acerbitate

(i) Cfr. *Acta S. Sedis,* -vol. 28, p. 689.

non minus quam diuturnitate oppressa, ita concidit ut se ac£ supremum iter comparare!, praesertim cum medici malum insanabile pronuntiaverint, et aegrotam certis diebus elapsis- morituram. Sororis 'cuiusdam hortatu, novendiales inchoavit preces Stephano Bellesini, et defixis in eius imaginem oculis, eumque in illa pie alloquens lacrimis, suspiriis non temperabat. Vix ultimus ab inita supplicatione processerai dies,, quum illico perfecteque morbo sanata est, nullo relicto vestigio.

De utroque miraculo diligenti inquisitione instituta, confectis Apostolicis tabulis earumque agnita probataque validitate, instaurata est deinde actio primum in antepraeparatorio conventu in aedibus Revmi Cardinalis Vincentii Vannutelli habito pridie calendas apriles superioris anni; iterum in praeparatorio ad Apostolicum Palatium Vaticanum coacto octavo- calendas martias volventis anni ; tertio denique in coetu universo coram SSmo D. N. Pio Papa X congregato postridie idus iunias eiusdem anni; quo in coetu, a Rmo Cardinali Vincentio Vannutelli Episcopo Praenéstino causae Relatore,, ingenti sane animi gaudio propositum est dubium : « *An ef de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur* >. SSmus Pater, Revmorum Cardinalium et Consultorum: agnitis exceptisque suffragiis, a supremo proferendo iudicio- supersedit, rem differens in alium diem, hortatus omnes qui aderant, ut interim in re tam gravi supernum lumen exposcerent.

Hodierno autem laetissimo die, qui Ioannis Praecursoris natalis festus recolitur, Sacris ante pientissime operatus, nobiliori aulae Vaticanae succedens ac pontificio solió assidens •ad se accivit Rmos Cardinales Aloisium Tripepi S. R. C. Pro-Praefectum et Vincentium Vannutelli Episcopum Praenestinum causae Relatorem una cum R. P. Alexandro Verde. S. Fidei Promotore meque infrascripto Secretario, iisque adstantibus solemni Decreto edixit constare de duobus mira-

•culis ; de primo : « *Instantaneae perfectaeque ^sanationis Ioannis Sarti a gravi lepto-meningite spinali chronica cum virium immediata recuperatione* » ; de altero : « *Instantaneae perfectaeque sanationis Hyacinthae Rebora ab hernia inguinali bilaterali, enormi et inveterala* ».

Hoc autem Decretum promulgari et in Acta SS. RR. Congregationis referri iussit octavo calendas iulias an. MDCCCCIV.

S. Card. CRETONI, *Praefectus.*

L. «£• S.

f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

## NOLANA

**Simplex sacerdos iure proprio reconciliare nequit ecclesiam violatam, licet tantum benedictam, absque Episcopi delegatione.**

Rituale Romanum docet, Ecclesiam violatam, si sit consecrata, ab Episcopo; si vero benedicta tantum, a Sacerdote •delegato ab Episcopo esse reconciliandam. Quum vero circa •delegationem ab Episcopo obtinendam pro Ecclesia benedicta non sit unanimis Doctorum sententia, ad inordinationes praecavendas , hodiernus Rmus Episcopus Nolanus a S. Rituum Congregatione humiliter petiit: « Utrum simplex Sacerdos possit iure suo Ecclesiam benedictam, ubi violata fuerit, reconciliare sine ulla Ordinarii sui delegatione?»

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito etiam voto Commissionis Liturgicae, propositae quaestioni respondendum censuit : « *Negative,* et servetur Rituale Romanum, tit. VIII, cap. 28 » (i).

Atque ita rescripsit. Die 8 Iulii 1904.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. «f* S.

f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

(i) Ecclesia, quae polluitur, potest esse solemniter consecrata vel tantum

# ORDINIS FRATRUM MINORUM

## PROVINCIAE ANGLICAE

## De partibus officiorum propriis adhibendis, de limitibus in recolendo anniversario ecclesiae cathedralis, de lectionibus Confessoris non Pontificis, de festo Translationis almae Domus Lauretanae pro anno 1905, de kalendario adhibendo a Regularibus in Oratorio Sororum celebrantibus, de tertio cereo in Canone, de genufiexionibus in functione vespertina etc.

R. P. Thaddaeus Hermans, Kalendarista Provinciae Anglicae Ordinis Fratrum Minorum, de consensu sui Procura-

simpliciter benedicta. In utroque casu ad eiusdem reconciliationem deveniendum est. Quapropter, si ecclesia fuerit consecrata, reconciliari solummodo potest ab Ordinario loci, aut etiam a simplici presbytero sed ex Papae delegatione. Quod si ecclesia fuerit tantum benedicta, absque dubio Episcopus est reconciliationis, minister ordinarius. Sed ulterius quaeritur utrum simplex sacerdos iure proprio seu absque Episcopi delegatione reconciliare possit ecclesiam violatam sed tantum benedictam.

Quaestio tota versatur circa liceitatem actus, non autem circa eiusdem validitatem, quia certum est etiam simplicem sacerdotem sine Episcopi iicentia. valide reconciliare posse ecclesiam benedictam ; hoc enim eruitur praesertim ex Decreto S. C. Rituum *Imolen.,* diei 15 decembris 1646, n. 904, in quo declaratur valide reconciliatam fuisse ecclesiam a quodam Provinciali Ordinis Servorum, non praeobtenta Episcopi dioecesani auctoritate.

Quoad liceitatem igitur huiusmodi reconciliationis, quidam putarunt posse simplicem presbyterum, etiam irrequisito Episcopo, licite reconciliare ecclesiam* simpliciter benedictam. Ipsi innitebantur Decretali Gregorii IX *(Decret, lib. III, tit. 40, c. ro):* « Si ecclesia non consecrata.... fuerit polluta, aqua protinus exorcizata lavetur, ne divinae laudis organa suspendantur » ; necnon auctoritati Glossae ad hanc Decretalem *v. Lavetur.* Si enim expectanda esset Episcopi licentia *protinus* ecclesia lavari non posset, ac proinde frustraretur finis a Pontifice intentus « ut divinae laudis organa non suspendantur ». Cfr. Schmalzgrueber *(h. tit., n. 84)',* Reiffenstuel *(Ius can., tom. III, tit. 40, n. 28)* qui praeterea hanc sententiam habet uti communem et certam, quemadmodum Benedictus XIV *(De Syn. dioec. lib. i3, c. l5, n. 2);* Ferraris *(Bibl. can., art. 4, n. 71 et 72 v. Ecclesia);* De Herdt *(Praxis S. Liturgiae, pars III, n. 164),* etc.

Alii e contra, ut habet Vecchiotti *(Inst. can., Lib. III, cap. V, § 556)* Episcopi delegationem ita tuebantur ut munus reconciliationis presbytero in dignitate eccle-

toris Generalis, solutionem sequentium dubiorum a Sacrorum Rituum Congregatione humillime postulavit, nimirum:

I. Num in Festis, non autem infra Octavam et in die Octava, partes Officiorum propriae debeant in casu impedimenti loco illarum poni, quae vel de Communi accipiuntur vel sunt iam in iisdem Officiis recitatae, ita nempe, ut in Festo S. Antonii Patavini primis Vesperis carente, antiphonae in hisce Vesperis propriae ponendae sint in secundis Vesperis, omissis antiphonis quae secus ex Laudibus forent repetendae?

**siastica constituto solum committi posse autumarent, innixi decisione S. Rituum Congr. in** *Cameracen.,* **diei 9 februarii 1608, n. 246, ubi dicitur: « Simplicem benedictionem ecclesiae vel coemeterii non consecrati posse committi alicui (non autem** *alieno)* **presbytero in dignitate ecclesiastica constituto ».**

**Tandem nonnulli asserebant reconciliationem ecclesiae benedictae ita esse Episcopo reservatam ut ipse valeat quemlibet sacerdotem delegare, ac proinde simplicem sacerdotem non posse eam licite peragere iure proprio seu absque Ordinarii licentia. Et ratio potissima desumitur ex Rituali Romano, quod** *Tit. VIII De Benedictionibus, cap. 28,* **loquens de praefata reconciliatione praescribit: « Ecclesiae violatae reconciliatio per sacerdotem ab Episcopo delegatum fiat hoc modo ». Quod confirmatur a citato Decreto** *Cameracen.,* **edicente reconciliationem ecclesiae non consecratae** *committi* **posse presbytero, necnon ab alio Decreto item citato** *Imolen.,* **quod postquam declaravit ecclesiam benedictam a Provinciali Ordinis Servorum valide fuisse reconciliatam, subdit « sed in futurum abstinendos esse fratres in similibus ». Cfr. De Angelis** *(Praelect. iuris can., Lib. III, tit. 40, n. 4) >* **Cavalieri** *(Tom. 4, dec. igi ad 2 et 3)* **praesertim vero Giraldi** *(Expositio iuris Pont., part I, sect. 6o3)* **qui pluribus argumentis hanc sententiam demonstrat.**

**Quod si Gregorius IX in supra relata Decretali expressionem « requiri Episcopi delegationem » omisit, illam sufficienter indigitavit in praecedenti Decretali, quum dixit Episcopum posse simplicibus sacerdotibus committere quae iurisdictionis episcopalis existunt. Verbum autem** *protinus* **intelligendum est, quatenus rite ac recte reconciliatio fieri potest. Praeterea in Decreto** *Cameracen.* **edicitur quidem « sacerdoti in dignitate constituto** *posse* **committi », sed a** *posse* **ad** *debere non* **tenet iüatio.**

**Ceterum hodierna S. C. decisio omnem dubitationem hac in re adimit, ac proinde simplex sacerdos obtinere tenetur Episcopi licentiam pro licita ecclesiae benedictae reconciliatione; excepto tamen casu in quo tempus eidem non suppetat et gravis urgeat necessitas** (N. **R.).**

II. Num restitui debeant ac servari nonnullae Rubricae peculiares in corpore Breviarii Romano-Seraphici per Summum Pontificem Pium VI approbato insertae, atque in postremis editionibus, privato nomine, expunctae ; uti nempe Rubrica quae lectiones octavam et nonam in casu impedimenti iungendas praecipiebat?

III. Utrum Regulares in Anglia et alibi commorantes, in recolendo anniversario Ecclesiae Cathedralis, uti limites Civitatis intelligere debeant etiam suburbia Civitatis hodiernae; an potius eos restringere fines ad primitivam Civitatem seu Burgum, quandoque sat exiguum, ubi Ecclesia Cathedralis aedificata fuerat? (1)

IV. Utrum in festo B. Marci de Montegallo Conf. I Ordinis qui septuagesimo aetatis suae anno vitam explevit, aliorumque Confessorum post aetatem quadraginta annorum vita excedentium, intra quadragesimale tempus legendae sint in primo nocturno lectiones « *Iustus* » de Communi 1°. loco, an potius lectiones « *Beatus vir* » de Communi II°. loco?

(1) Decretum generale S. R. C, diei 9 iulii 1885, n. 3863 ad 4 (Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 36, p. 492 in nota) aperte declarat Anniversarium Dedicationis ecclesiae cathedralis recolendum esse sub ritu duplici primae classis cum Octava a Sacerdotibus saecularibus in civitate episcopali existentibus, extra vero civitatem in tota dioecesi sub eodem ritu sed sine Octava. Insuper Regulares in universa dioecesi commorantes non tenentur celebrare Anniversarium Dedicationis cathedralis ecclesiae, exceptis tantummodo iis, qui in civitate episcopali degunt et quidem sub ritu duplici secundae classis absque Octava.

Haec apud omnes in propatulo sunt; quaestio autem, quae hodie S. Rituum Congregationi resolvenda proponitur, praecise respicit limitum determinationem in ipsa episcopali civitate. Et eadem S. Congregatio reposuit etiam suburbia aliaque loca civitati adnexa censenda esse partem constituere civitatis ipsius. Hinc sive Clerici Saeculares sive Regulares in Suburbiis aliisque locis civitati adiacentibus celebrare tenentur Anniversarium Dedicationis ecclesiae cathedralis ac si in ipsa civitate extarent. Quam quaestionem et resolutionem iam nos praeoccupavimus in *Meliten.,* diei 18 decembris 1903, uti videre est in *Actis S. Sedis,* vol. 36, p. 492 in calce *(N. R.).*

V. Anno proxime insequenti nempe 1905, quum redigatur ad instar simplicis, ob occursum Dominicae privilegiatae et carentiam diei liberae, Festum Translationis Almae Domus Láuretanae, ideoque Octava Immaculatae Conceptionis per se suspensa remaneat, quaeritur: utrum conclusio Hymnorum per annum communis debeat in Officio adhiberi, atque ad Missam sumi Praefatio SSmae Trinitatis ; an potius conclusio Hymnorum ut in Festis B. M. V. per annum et ad Missam Praefatio « *Et Te in Festivitate* » esse debeant, perinde ac si Translatio Almae Domus integrum Officium ac Missam obtineret?

VI. Utrum Sacerdotes regulares celebrantes in Oratorio interno Sororum cuiuspiam modernae Congregationis et Fidelibus minime patenti, Missam iuxta Kalendarium sui Ordinis debeant celebrare, an -potius iuxta Ordinem Dioeceseos, in quo Sorores huiusmodi Kalendarium proprium ex privilegio vel usu legitimo non habentes, moram trahunt?

VII. Utrum in die Rogationum, Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, et quando ex praecepto Rubricarum peculiarium, Breviarii Romano-Seraphici Officium Defunctorum in Choro persolvitur, Missa Conventualis de Rogationibus cum Processione coniunctis aut respective de Requie debeat celebrari ; an potius de duplici vel semiduplici occurrente in Ecclesiis Monialium Officium divinum habentibus, si una tantum Missa celebretur?

VIII. Num Ordinarius praecipere possit, ut Sacerdotes tam saeculares quam regulares in Missis lectis tertium Cereum accendant in Canone apud eam Dioecesim, ubi sicut in universa regione, mos illum accendendi in oblivionem ac desuetudinem iamdudum abierit?

IX. Utrum in functione vespertina officiator et assistens genuflexionem utroque genu cum profunda inclinatione capitis agere debeant, ex. gr. antequam assistens, col-

locata Hostia in Ostensorio, eam in throno collocet, vel priusquam celebrans, accepto velo numerali et conscenso suppedaneo, Ostensorium pro impertienda Benedictione appréhendât; an potius in hisce aliisque casibus simplicem genuflexionem cum unico genu debeant praestare?

X. Cum anniversaria late sumpta ex Decreto S. R. C. diei 2 Decembris 1891, n°. 3753, sint ea quae *semel m* anno a Communitatibus fieri solent: num Ritus duplex sit retinendus pro Officio generalissimo Omnium Defunctorum Ordinis Seraphici et pro anniversario *Omnium Parentum nostrorum* ; atque in aliis tribus anniversariis, sic vocatis, in Ordine celebrari solitis, Ritus semiduplex sit assignandus, tresque Orationes in Vesperis et Laudibus ac Missa recitandae?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito voto Commissionis Liturgicae, omnibusque sedulo perpensis rescribendum censuit:

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. *Affirmative,* quia privato nomine nihil expungi potest, quod auctoritate S. Sedis ordinatum est.

Ad III. *Affirmative* ad primam partem, *Negative* ad secundam.

Ad IV. *Negative* ad primam partem, *Affirmative* ad secundam (i).

(I) Quando lectiones in primo Nocturno Matutini pro Sanctis, qui in suo Officio proprias non habent, sumendae sunt de Communi Sanctorum, ut facile dignosci possit quaenam legendae sint in primo vel secundo loco assignatae, infrascriptae regulae prae oculis haberi debent:

i°. Si lectiones huiusmodi in Breviario assignentur, eaedem omnino legendae sunt, quum Ecclesia ipsa authentice iudicaverit has et non alias esse lectiones festo magis convenientes et accommodatas.

2°. Si autem lectiones, de quibus agitur, in Breviario non sint assignatae, desumendae tunc sunt ex assignatis primo vel secundo loco, prout Evangelium Missae aut Oratio Officii est de Communi primo vel secundo loco, uti patet ex S. C. R. Decreto *Namurcen.,* diei 11 septembris 1841, n. 283a. ad 6.

Ad V. *Negative* ad primam partem, *Affirmative* ad secundam.

Ad VI. *Negative* ad primam partem, *Affirmative* ad secundam iuxta Decretum, n°. 3927, *Parisien, seu Congregationis Fratrum S. Vincentii a Paulo* 17. Iulii 1896 ad i (1).

Ad VII. *Affirmative* ad primam partem, *Negative* ad secundam.

Ad VIII. *Affirmative* ex Rubrica generali Missalis tit. XX, et accedente auctoritate Ordinarii non obstat Decretum n°. 4029 *Resolutionis dubiorum* 9 Iunii 1899 ad II (2).

3°. Si neque Evangelium, neque Oratio sit de Communi, lectiones sumuntur ex primo loco assignatis, nisi, quae in secundo loco habentur, sint magis Sanctis convenientes et accommodatae; hoc enim constat ex S. C. R. Decreto *Einsiedeln,,* diei 5 maii 1736, n. 2319 ad 17.

4°. Demum, nisi aliter statuatur in Rubrica particulari, pro Sanctis Confessoribus non Pontificibus, qui ante quadragesimum aetatis suae annum obierunt, lectiones magis accommodatae et convenientes censentur lectiones *Iustus* de Communi primo loco, et lectiones *Beatus vir* de secundo loco pro Sanctis, qui post quadragesimum aetatis annum decesserunt. Hoc probatur ex Decreto S. R. C. *Calaguritana et Calceaten,,* diei 13 februarii 1892, n. 3767 ad dubium VIII, praesertim vero ex hodierna decisione, quae hac de re omnem ambigendi locum aufert. Cfr. De Herdt *(Praxis S. Liturgiae, tom. II, n. 343);* Vander Stappen *(Sacra Liturgia, Tom. I, q. 20g, n. 3 in nota) (N. R.).*

(1) Citatum Decretum ad i ita se habet: « Utrum, quum Sacerdotes Congregationis Fratrum S. Vincentii a Paulo Missas celebrant in Oratoriis piarum Sororum seu Religiosarum, quae proprium Kalendarium non habent, Missae debeant esse conformes Kalendario Congregationis Fratrum S. Vincentii a Paulo, an Kalendario dioecesano? » S. R. C. reposuit « *Negative* ad primam partem, *Affirmative* ad secundam ». Et quamvis hoc Decretum datum sit in casu particulari, tamen veluti generale est habendum, quia respicit praescriptiones ad universam Ecclesiam spectantes. Ad rem confer etiam quae diximus in *Actis S. Sedis,* vol. 36, p. 485 in secunda nota *(N. R.).*

(2) Missale Romanum tit. XX *De praeparatione Altaris et ornamentorum eius* habet: « Et ab eadem parte Epistolae paretur cereus ad elevationem Sacramenti accendendus »; item tit. VIII, n. 6 *de ritu celebrandi Missam.* At in pluribus ecclesiis usus contrarius, a praxi ecclesiarum Urbis confirmatus, invaluit minime accendendi tertium cereum in Missis lectis a consecratione ad communionem. Quapropter die 9 iunii 1899 dubio: « utrum huiusmodi consuetudo servari possit »; S. R. C. Decreto n. 4029, *Resolutionis Dubiorum* ad II re-

Ad IX. *Negative* ad primam partem, *Affirmative* ad secundam.

Ad X. *Affirmative* ad primam partem, et, quoad secundam tria anniversaria fieri posse ritu duplici.

Atque ita rescripsit die 29 Iulii 1904.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. «Þ S,

f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

ORDINIS CARMELITARUM EXCALCEATORUM

**Regulares Borussiae, etiam proprium Kalendarium habentes, festa Assumptionis et Nativitatis B. M. Virginis transferre tenentur.**

Hodiernus Rmus Procurator Generalis Carmelitarum Discalceatorum, Sacrorum Rituum Congregationi humillime exposuit, quod per Litteras Apostolicas in forma Brevis Pii PP. VI ad Episcopum Paphensem Vicarium Apostolicum Wratislaviensem datas die 19 Aprilis 1788, concessa fuit toti regioni Borussiae facultas « ut solemnia Assumptionis et Nativitatis Beatae Mariae Virginis festa (quae omnino retinenda sunt) transferantur in Dominicam diem infra Octavam, ita ut ea ipsa die officia et missae, tamquam illa festa suo loco mota non fuerint, celebrentur, facta in officio et missa commemoratione Dominicae, ipsoque etiam translato in antecedentem sabbati diem ieiunio ». Quum vero a quibusdam dubitetur, num huic legi subdantur Regulares qui proprii respective Ordinis sequuntur Kalendarium, et iuxta illud officia

posuit: « *Affirmative* ». Hoc tamen Decreto non obstante, quemadmodum ex hodierna decisione liquet, potest Episcopus derogare vigenti consuetudini non accendendi tertium cereum in propria dioecesi atque praecipere observantiam Rubricarum Missalis. Sane, quum S, R. G. huiusmodi consuetudinem permisit, non ideo Rubricis generalibus Missalis derogare intendit. *(N. R.).*

Sanctorum ordinata habent, ideo idem Orator, duplicis sequentis dubii solutionem enixe expostulavit, nimirum :

I. Num Regulares qui proprio gaudent Kalendario teneantur legi translationis festorum Assumptionis et Nativitatis B. Mariae Virginis in Regno Borussiae?

II. Et quatenus negative ; num possint tamen praedictae legi se conformare?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, reque mature perpensa, rescribendum censuit:

Ad I. *Affirmative uti mos est.*

Ad II. *Provisum in primo.*

Atque ita rescripsit die 5 Augusti 1904.

S. Card. CRETONI, *Praefectus.*

L. ✠ S.

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

# EX S. C. INDULGENTIARUM ET SS. RELIQUIARUM

## DECLARATIO

**Decreti « Urbis et Orbis » diei 17 Iunii 1904 quoad invocationem « Cor Iesu Sacratissimum, miserere nobis ».**

Ab hac S. Congregatione Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, quoad Decretum *Urbis et Orbis* diei 17 Iunii 1904 (1), quo concedebantur Indulgentiae pro invocatione *« Cor Iesu Sacratissimum, miserere nobis »,* quaesitum est:

I. An ad lucrandas Indulgentias sufficiat, ut Sacerdos dicat tantum *« Cor Iesu Sacratissimum »,* et populus respondeat *« miserere nobis? »*

(1) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 36, p. 750.

II. An eiusdem invocationis. recitatio, addenda precibus iam indictis post Missae celebrationem, sit obligatoria?

Et S. Congregatio respondendum censuit:

Ad I. *Affirmative* (i).

Ad II. Quamvis obligatio proprii nominis a Summo Pontifice imposita non sit, vult tamen Beatissimus Pater, ut conformitati consulatur, ac proinde singuli Sacerdotes ad eam invocationem recitandam adhortentur (2).

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. C. die 19 Augusti 1904.

A. Card. TRIPEPI, *Praefectus.*

L. «f- S.

f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

# EX COMMISSIONE BIBLICA

## Ratio periclitandae doctrinae candidatorum ad academicos gradus in Sacra Scriptura.

Cuicumque ad academicos in Sacra Scriptura gradus, secundum ea quae Apostolicis Litteris *Scripturae Sanctae* constituta sunt, licet certumque est contendere, disciplinarum

(1) Et haec est praxis, quae in Urbis ecclesiis generatim invaluit *(N. R.).*

(2) Recole quae iam innuimus in *Actis S. Sedis,* vol. 36, p. 750. Nunc addimus quod Vicariatus Urbis de citato Decreto Rectores ecclesiarum ac communitatum Superiores dioecesis Romanae tantummodo certiorare contentus fuit; dum e contra plures Episcopi, ut saltem in propria dioecesi magis consulerent uniformitati, praefatam invocationem modo praeceptivo suis Sacerdotibus imposuere. Quae uniformitas de cetero obtineri facile potest, dummodo vel parum perpendatur non solum stricti nominis praecepta sed etiam late sumpta seu consilia et vota Summi Pontificis ab obsequentibus fidelibus exequenda esse. Accedit 'quod eiusdem precis recitatio salutares ac peculiares Indulgentias adnexas sibi habet *(N. R.).*

capita definiuntur, in quibus apud Commissionem Biblicam legitima doctrinae suae experimenta dabit.

I.

AD PROLYTATUM

*In experimento quod scripto fit:*

Exegesis (i. e. expositio doctrinalis, critica et philologica) quattuor Evangeliorum et Actuum Apostolorum. Pericope ex his, a iudicibus eligenda, exponetur nullo praeter textus et concordantias adhibito libro ; de qua verbis quoque periculum fiet.

*In experimento .verbali:*

I. Graece quattuor Evangelia et Actus Apostolorum.

II. Hebraice quattuor libri Regum.

III. Historia Hebraeorum a Samuele usque ad captivitatem Babylonicam, itemque historia evangelica et apostolica usque ad captivitatem Sancti Pauli Romanam.

IV. Introductio specialis in singulos libros utriusque Testamenti.

V. Introductionis generalis quaestiones selectae, nimirum:

1. De Bibliorum Sacrorum inspiratione.
2. De sensu litterali et de sensu typico.
3. De legibus Hermeneuticae.
4. De antiquis Hebraeorum Synagogis.
5. De variis Iudaeorum sectis circa tempora Christi.
6. De gentibus Palaestinam tempore Christi incolentibus.
7. Geographia Palaestinae temporibus Regum.
8. Palaestinae divisio et Hierusalem topographia tempore Christi.
9. Itinera Sancti Pauli.
10. Inscriptiones Palaestinenses antiquissimae.
11. De kalendario et praecipuis ritibus sacris Hebraeorum.

12. De ponderibus, mensuris et nummis in Sancta Scriptura memoratis.

## II.

### AD LAUREAM

*De Scripto:*

Amplior quaedam dissertatio circa thesim aliquam graviorem ab ipso candidato de Commissionis assensu eligendam.

*Coram :*

I. Dissertationis a Censoribus impugnandae defensio.

II. Exegesis unius ex sequentibus Novi Testamenti partibus a candidato deligendae eiusque pro arbitrio iudicum exponendae :

1. Epistolae ad Romanos.
2. Epistolarum I et II ad Corinthios.
3. Epistolarum ad Thessalonicenses I, et II et ad Galatas.
4. Epistolarum captivitatis et pastoralium.
5. Epistolae ad Hebraeos.
6. Epistolarum Catholicarum.
7. Apocalypsis.

III. Exegesis ut supra alicuius ex infrascriptis Veteris Testamenti partibus:

1. Genesis.
2. Exodi, Levitici et Numerorum.
3. Deuteronomii.
4. Iosue.
5. Iudicum et Ruth.
6. Librorum Paralipomenon, Esdrae et Nehemiae.
7. Iob.
8. Psalmorum.
9. Proverbiorum.
10. Ecclesiastae et Sapientiae.
11. Cantici Canticorum et Ecclesiastici.

12. Esther, Tobiae et Iudith.
13. Isaiae.
14. Ieremiae cum Lamentationibus et Baruch.
15. Ezechielis.
16. Danielis cum libris Machabaeorum.
17. Prophetarum minorum.

IV. i. De Scholis exegeticis Alexandrina et Antiochena, ac de exegesi celebriorum PP. Graecorum saec. IV et V.
2. De operibus exegeticis S. Hieronymi caeterorumque Patrum Latinorum saec. IV et V.
3. De origine et auctoritate textus Massoretici.
4. De versione Septuagintavirali et de aliis versionibus Vulgata antiquioribus, in crisi textuum adhibendis.
5. Vulgatae historia usque ad initium saec. VII, deque eiusdem authenticitate a Conc. Tridentino declarata.

V. Peritia praeterea probanda erit in aliqua alia ex linguis praeter Hebraicam et Chaldaicam orientalibus, quarum usus in disciplinis biblicis maior est.

De forma et cautionibus, quae in experimentis extra Urbem, si quando permittantur, servari debeant, item de variis conditionibus aliisque rebus quae sive ad prolytatus sive ad laureae adeptionem requiruntur, singulare conficietur breviculum, quod solis candidatis et iudicibus delegandis, quotiescumque opus fuerit, tradetur.

Epistolae mittantur ad Revmum D. F. Vigouroux, Romam, *Quattro Fontane 113,* aut ad Revmum P. David Fleming O. M., Romam, *Via Merulana 124,* Commissionis Biblicae Consultores ab actis.

# EX COMMISSIONE CODIFICATRICE

## Universitates quoque Studiorum in codificationis opus concurrere debent.

*Illme ac Rme Domine,*

Perlegisti iam certe Litteras, quas Beatissimus Pater nuper *Motu proprio* edidit *de Ecclesiae legibus in unum redigendis* (i). Ea quippe Sanctitatis Suae mens est, ut universum canonicum ius in canones seu articulos, ad formam recentiorum Codicum, apte distribuatur, eodemque tempore, documenta, post authenticas Corporis Iuris collectiones prodita, ex quibus praefati canones seu articuli desumpti sunt, simul colligantur. Ordo autem servandus hic plus minusve erit: praemissa parte generali complectente titulos *De Summa Trinitate et fide catholica, De Constitutionibus, De Consuetudine, De Rescriptis,* quinque habebuntur libri : *De Personis, De Sacramentis, De Rebus et Locis sacris, De delictis et poenis, De Iudiciis;* qui tamen ordo, pro laboris a Consultoribus perficiendi commoditate ab initio constitutus, poterit, si progressu studiorum opportunum videbitur, immutari.

Iamvero valde exoptat Summus Pontifex ut amplissima, cui Dominatio Tua praeest, studiorum Universitas in hoc arduum gravissimumque opus concurrat. Hinc Tibi mandat, ut ab istius Universitatis antecessoribus qui Iuri canonico tradendo incumbunt, petas, ac deinde mihi quamprimum referas, quasnam iuris canonici partes in articulos seu canones redigere parati sint. Responso Tuo accepto, peculiaris Instructio transmittetur, qua opportunae normae, ab ipsis hac in re .servandae, eisdem antecessoribus tradentur.

(i) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 36, p. 549.

Dum haec, ex Beatissimi Patris iussu, Tibi nuntio, praecipuae erga Te existimationis meae sensus testor, meque profiteor

Dominationi Tuae

Addictissimum
f PETRUM GASPARRI, *Arch. Caesareensem,*
*Secretarium Pontificiae Commissionis*
*pro Ecclesiae legibus in unum redigendis.*

Romae, die 6 Aprilis 1904.

Illmo ac Rmo
Domino EDUARDO HAUTCŒUR
*Prot. Ap. Cancellario Universitatis*
*Insularum.*

# APPENDIX II.

## DE DISPENSATIONIBUS MATRIMONII RATI ET NON CONSUMMATI

1. Romani Pontifices in exercitio potestatis, quam a Christo acceperunt, solvendi matrimonia rata et non consummata utuntur ope Sacrarum Congregationum, quibus, antequam Ipsi dispensent, officium commiserunt iudicium ferendi tam super inconsummatione quam super causis ad dispensandum necessariis.

**2.** Porro SS. CC., cum fere semper nimium arduum sit per se ipsas investigationem instituere, delegare solent Ordinarios locorum ad has investigationes in forma iudiciali perficiendas, reservata tamen sibi sententia finali tam super inconsummatione quam super causis.

3. Facile intelligitur, impossibile esse sententiam ferre,, nisi processus rite confectus fuerit, et notitiae necessariae fuerint collectae, et consequenter quam grave munus sit eorum qui in huiusmodi processibus conficiendis operam dant, ut omnia rite et complete peragant, ne ex eorumdem defectu, aut gratia denegetur, aut saltem differatur cum gravi animarum dispendio.

4. Quare utile opus facturos existimamus, praesertim in commodum Curiarum Ecclesiasticarum, una simul colligendo quae sive in Actis Pontificiis et Sacrarum Congregationum instructionibus et decisionibus, sive in probatis Auctoribus de huiusmodi dispensationibus habentur.

5. Ut ordine aliquo procedamus, tractationem sub *duplici* comprehendemus *parte,* in quarum *prima* considerabimus potestatem *in seipsa, in altera* vero in suo *exercitio.*

## PARS PRIMA

### DE POTESTATE IN SE SPECTATA

6. De hac tria inquiremus scilicet :

§ *i. an sit,* seu de eius existentia;
§ 2. *quid sit,* seu de eius natura;
§ 3. *in quonam sit,* seu de eius subiecto.

### **§ i.** *De existentia potestatis.*

7. De potestate in Ecclesia dispensandi super matrimonia rata et non consummata, inde a suo tempore scribebat LAMBERTINI, dein BENEDICTUS XIV, tunc cum a secretis erat S. Cong. Concilii: « nulla est in foro et in praxi disputatio, et sola controversia reduci consuevit ad causam, an adsit videlicet causa sufficiens pro tali dispensatione concedenda, et

an verificata dici valeat circumstantia quod matrimonium sit ratum et non consummatum » *(Quaest. Can. 24).*

8. Non obstante tamen huiusmodi persuasione in foro et praxi RR. PP., non defuerunt, recentioribus etiam temporibus, DD. qui sin minus uti probabilem tenuerunt sententiam, quae hanc potestatem in Romano Pontifice adesse negat. Sic S. ALPHONSUS *(Lib. 6, n. 7/7) ;* et adhuc recentius SCAVINI *( Theologia Moralis : ed. iß, lib. ß, n. 8ßp)* scribit : « Si res sit de matrimonio rato disputant (DD.). Alii negant posse Pontifices dispensare, nam matrimonium ratum eiusdem est naturae ac consummatum. Ita plures cum Gotti, Billuart, Alasia et Knoll »; atque DEL VECCHIO *(Th. mor., ed. 1880, tom. 2, n. 1061) :* » si vero sit de matrimonio rato adhuc sunt qui negant ».

9. Quare mirum non est, si paucis abhinc annis ut videri potest in *Thesauro* S. C. C. non defuerint neo-consultores S. Cong. Concilii qui, antequam suum votum emitterent circa inconsummationem et causas ad dispensandum, strenue defenderent hanc in Ecclesia potestatem.

**10.** Quamvis vero modo, nescio an sit inter DD. catholicos qui audeat contrariam defendere sententiam, tamen ne tractatio incompleta videatur, breviter innuemus quae praecipue afferuntur ad probandam existentiam.

II. Porro potissimum argumentum desumitur ex ipso huius potestatis exercitio penes Romanos Pontifices, cuius quanta sit efficacia ad probandam ipsam potestatem ita declaratur a PALMIERI: « Certum est a pluribus saeculis plures Romanos Pontifices dispensasse super matrimonio rato. Constat id de Martino V et Eugenio IV ex testimonio S. Antonini in Summa Theolog., p. III, tit. i. Constat de Paulo III et Pio IV testificatione Navarri in Ench. c. 22 tum de aliis usque ad Pium IX {cfr. Perrone de Matrimonio, tom. III, pag. ,509 m nota 115).

Iam vero 1°, cum id fecerunt tot Pontifices censuerunt certe se id posse facere sive ex principiis directis, id certo scientes,, sive ex principio reflexo quatenus eis liceret sequi opinionem probabilem id docentem. Atqui utrum dicas, id certe consesequitur: ergo e sententia tot Romanorum Pontificum probabile est saltem nullum extare certum testimonium ex Scriptura ac Traditione quod huic potestati adversetur. Ceterum 2°. exercitium adeo continuatum huius potestatis in re tanti momenti, cuiusmodi est sacramentum, per Vicarium Christi, cui Spiritus Sanctus assistit in regenda Ecclesia, exercitium vero ab Ecclesia non improbatur, quod certe fieri debuisset, si ponas id non convenire cum doctrina revelata et Romanos Pontifices proinde noluisse quaestionem de honestate rei finire, idcirco exercitium tandem ab universa. Ecclesia aequivalenter probatum, argumentum est sufficiens potestatis eiusdem; eodem enim modo solent alia quaedam iura primatus demonstrari. Sane si haec potestas deesset, per huiusmodi dissolutionem matrimonii rati, Ecclesia causa esset, ut contra id quod per se honestum est, ageretur, cum sic dissoluti alias contraherent nuptias, quae reapse non forent nisi concubinatus; atqui Deus etsi permittere possit ut hic aut ille Pontifex secundum suam privatam opinionem agens aliquid minus honestum admittat in suo regimine, attamen permittere nequit ut universa Ecclesia cum Pontifex agens secundum Ecclesiae sensuni sit harum turpitudinum promotor » *(Tractatus de Matrimonio Christiano, Editio altera... Prati... iSyp, th. 2f).*

12. Huic potissimo argumento alia addunt DD. ad idem confirmandum. Sic SUAREZ *(De matrim., lib. II, disp. 14, n. 2)* « Pontifex secundum probabilissimam (modo certam) sententiam potest dispensare in voto solemni religionis; ergo et in matrimonio rato. Probo consequentiam; quia votum solemne est fortius vinculum cum dissolvat matrimonium ratum

et utrobique est traditio et minor in matrimonio cum fiat soli homini ; in voto autem et Deo et homini : si ergo Papa potest in maius vinculum quod dissolvit ipsum matrimonium ratum, a fortiori poterit in matrimonio; nam si vinco vincentem te, a fortiori vincam te ».

13. Alio modo argui etiam potest ex communiori sententia quod iure tantum ecclesiastico matrimonium ratum solvatur per professionem religiosam; si enim Ecclesia per legem universalem solvit matrimonium ratum in casu professionis religiosae, cur non poterit idem solvere in casu aliquo particulari gravi de causa? (DE LUCA S. I.; *Summa Praelectionum in libros Decretalium., Comm. in lib. IV, n. 935, Prati 1904).*

14. Affertur quoque argumentum congruentiae: « matrimonium enim, ut ait S. THOMAS *(Suppl. qu. 62 ad i),* ante carnalem copulam significat illam coniunctionem quae est Christi ad animam per gratiam, quae quidem solvitur per dispositionem spiritualem contrariam, sc. per peccatum mortale, sed post carnalem copulam significat coniunctionem Christi ad Ecclesiam quantum ad assumptionem humanae naturae in unitatem personae ».

15. Observat tamen PALMIERI quoad hoc argumentum: « quamvis reprobare nobis non liceat hanc declarationem, licet tamen eam interpretari. Censemus scilicet hanc doctrinam, potiusquam rationem dissolubilitatis coniugii, esse explicationem excogitatam supposita iam aliunde nota dissolubilitate matrimonii rati, ut quodam nempe exemplo res declararetur. Nam si reapse id tantum significat matrimonium ratum, cur non potest pluribus aliis causis et quidem etiam privata coniugum potestate, sicut unio animae cum Deo? Ceterum Paulus de omni matrimonio christiano affirmat, quod significat unionem Christi cum Ecclesia. Discrimen ergo erit

in modo repraesentandi, sed res repraesentata eadem est» *(l. c. th. 24).*

16. Quidam nimiam efficaciam tribuunt resolutioni Congregationis particularis a Clemente VIII deputatae ad examinandas preces Ipsi exhibitas pro solutione matrimonii Principis Transilvaniae et Mariae Austriae, quasi illa definiverit quaestionem de potestate Pontificis dispensandi super matrimonio rato et non consummato (PALLOTTINI, *Collectio* v. *dispensatio*, § XII, n. 2). Nam revera haec Congregatio non fuit deputata ad hanc solvendam quaestionem et nonnisi per transennam de ea tractavit; postquam enim Congregatio animadvertisset difficultatem declarandi nullitatem matrimonii ob assertum impotentiae impedimentum, cogitavit de solutione matrimonii per gratiam, relate ad quam, ut narrat Card. d' OSSAT, qui partem habuit in Congregatione: « se présentèrent *trois* difficultés. *La première et la plus grande* » an matrimonium esset inconsummatum, deinde an Papa dispensare posset, et tandem an adessent causae dispensationis; de quibus *duabus* postremis difficultatibus ait d'OsSAT : « nous nous trouvasmes tous *à?accord*» (1).

**(i) Placet referre acta huius Congregationis prout narrantur a Card. d'Ossat, qui partem habuit in dicta Congregatione : « Le Pape appella à soy huict Cardinaux, quatre Auditeurs de Rote, et deux Pénitenciers de Sainct Pierre, Jésuites. Les huict Cardinaux furent: Ascoli, Borguese, Bianchetto, Mantica, Arrigone, Visconte, d'Ossat, et Bellarminio; les quatre Auditeurs de Rote, Serafino, Pamphilio, Pegna et Mellino ; les deux Pénitenciers, Justiniano, et un autre, du nom du quel je ne me souviens point... Quand nous fusmes arrivés en sa présence, il nous dist qu'il nous avoit appelles pour un fait d'importance, qui estoit la dissolution du mariage du Prince Sigismond de Transylvanie et de l'Archiduchesse Marie d'Autriche, dont il avoit esté requis, pour autant que le dit mariage n'avoit esté consommé et n'y avoit esperance qu'il se peust jamais consommer. Qu'il vouloit y proceder avec toute justification... et pour cela il nous prioit, car ainsi parloit-il, de voir les lettres et escritures qui leurs en avoient esté envoyées... et bailli les pièces au Cardinal d'Ascoli le plus ancien de la compagnie.**

17. Potius validissimum argumentum ad probandam huiusmodi potestatis existentiam desumitur ex celebri Constitutione BENEDICTI XIV *Dei miseratione*, ubi, licet non habeatur explicita et formalis definitio rei, tamen, uti observat WERNZ : « Si R. P. careret potestate illa dispensandi in ista Constitutione disciplinari non solum errasset in fide circa limites suae potestatis, sed etiam contra bonos mores stabiliendo formam quamdam legalem dissolvendi matrimonium valide et celebrandi adulterinas nuptias. Cfr. Wilmers, De Christi Ecclesia, p. 472, de infallibilitate Ecclesiae in disciplina generali sancienda » *(Ius Decretalium Tom. IV,\ Ius matrimoniale Ecclesiae catholicae, Romae 1904, n. 698, nota 40);*

Quare concludendum est: « doctrina de iure R. P. solvendi matrimonia rata, licet expresse et formaliter nondum sit definita, tamen est adeo certa ut contraria opinio nedum probabilitate careat, sed etiam a viro catholico non iam ulla ratione sustineri possit » WERNZ *(L c).*

***(Sequitur)*** **B. Melata.**

**« Le dit sieur Cardinal d'Ascoli fist faire des copies des dites escritures... et en envoya à chacun de nous, en nous faisant à sçavoir que le Mardi ensuivant... la Congrégation se tiendroit chez luy. Le quel jour venu, nous nous trouvasmes tous quatorze en son logis, où fust premièrement mis en délibération, s'il y avoit moyen de proceder à ceste dissolution de mariage par voie de justice... ou bien s'il estoit besoin de prendre la voye de grâce et de dispence... Et fut résolu quant à ce, qu'il n'y avoit point de moyen de parvenir à la dite dissolution par voye de justice... Cette resolution estant ainsi par nous prise, nous commençasmes à traiter de l'autre voye à sçavoir de la dispense, sur quoy se présentèrent trois difficultez. La premiere et la plus grande : si par les escritures qui avoient esté produites, il estoit suffisament prouvé, que le mariage n'eust point esté consommé. La seconde... si le Pape pouvoit dispenser sur un mariage bon et valable, non toutefois consommé. La troisième... s'il y avoit causes justes et raisonnables pour octroyer la dispense...**

**« Quant au deux autres questions, nous nous trouvasmes tous d'accord, à sçavoir quant à la seconde, que jaçoit que le Pape ne puisse dispenser en un mariage valable et consommé, si est-ce qu'il peut dispenser en un mariage valable et non consommé. . . . . . . . . . . . . . . . . . . .**

**« La conclusion fut que si les parties se contentoient d'avoir la dispense**

# DIARIUM CURIAE ROMANAE

*Mense Iulii ig04, Pius PP. X litteris Secretariae Status :*

i°. Emum ac Rmam Cardinalem Franciscum de Paola Cassetta nominare dignatus est Protectorem Venerabilis Archiconfraternitae S. Mariae a septem doloribus et S. Antonii Patavini iu ecclesia S. Eusebii ad Exquilias.

2°. Benigne adnumerare dignatus est Illmum ac Rmum Basilium Pompili inter Auditores S. Rotae Romanae.

**3°.** Attenta proxima Canonizatione, instituere dignatus est peculiarem Congregationem ad praecavendas ei dirimendas controversias, compositam ex infrascriptis Emis ac Rmis Dñis Cardinalibus, nimirum Aloisio Tripepi Pro-Praefecto S. Rituum Congregationis, Antonio Agliardi, Mariano Rampolla, Domenico Ferrata, Ioanne Baptista Casali dei Drago, Sebastiano Martinelli, Francisco Desiderato Mathieu, Aloisio Macchi ; necnon ex sequentibus Illmis et Rois Praelatis, nempe Petro Piacenza , Diomede Panici, Alexandro Verde, Angelo Mariani, et Francisco Riggi.

4°. Emum ac Rmum D. Card. Aloysium Tripepi , Pro-Praefectum S. Rituum Congregationi, nominavit Canonizationis Procuratorem.

**5°.** Praesides Postulatorum Canonizationis eligere dignatus est Illmos ac Revmos Xaverium Di Canzano et Iosephum Di Bisogno, Canonicos Basilicae Vaticanae.

6°. Adnumerare dignatus est Emum et Revmum D. Card. Sebastianum Martinelli inter Emos Patres componentes Sacram Congregationem a Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis.

**en forme de commission que le Pape dès à présent leur pouvoit délivrer son rescrit adressant à son Nonce, ou à quelques Evesque ou Archevesque sur les lieux, pour informer plus pleinement sur la non-consommation du dit mariage» et trouvant qu'il fut suffisamment prouvé que le dit mariage n'eust point esté consommé, il dispensasi les parties par authorité Apostolique ».** *(Lettres de l'Illustrissime et Reverendissime Cardinal d'Ossat, Evesque de Bayeux... dernière Edition... Paris, MDCXXVII. A Monsieur de Villeroy, lettre 180, de Rome, 14 Juillet* ***i5gg).*** — **Narrat autem Spondanus** *(Annalium Baronii continuatio ab anno iigy ad finem 1647— Lutetiae Parisiorum)* **sub anno 15gg, delegatum fuisse Nuntium Apostolicum ad hoc matrimonium solvendum.**

*Die 13 Maii i g 04, in Palatio Apostolico Vaticano habita est Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium, in qua praepositae sunt infrascriptae Causae iuxta morem eiusdem S. Congregationis discutiendae, quaeque de iure resolutae sunt :*

I. *Bambergen. - Translationis.*

D. An et quomodo confirmandum sit decretum Archiepiscopi Bambergensis in casu ?

R. Decretum esse confirmandum.

II. *Tusculana - Exemptionis ac iurium.*

D. i°. An constet de proprietate Sacelli seu Oratorii B. M. V. dictae *del Castagno* favore Fratrum Carmelitarum Excalceatorum Conventus S. Sylvestri ad Tusculum. — *Et quatenus affirmative:*

2°. Utrum dictum Sacellum dici possit exemptum a iurisdictione seu Visitatione Emi Episcopi Tusculàni favore pariter praefatorum Fratrum Carmelitarum Excalceatorum, an non.

**3°.** An Emus Episcopus dioecesanus absque praedictorum Fratrum Carmelitarum Excalceatorum consensu transferre possit aut licentiam concedere alio transferendi, nempe in paroeciam loci *Monte Compatri,* etiam ad breve tempus imaginem B. M. V* *del Castagno* in dicto Oratorio extantem.

**4°.** Utrum de iure et de facto approbari possit an non modus agendi Rmi P. Prioris Conventus S. Sylvestri prope *Monte Compatri* quoad Missae exequialis celebrationem in casu.

**5°.** Utrum de iure et de facto approbandus sit an non agendi modus eiusdem Rmi P. Prioris quoad animalium benedictionem in fesio S. Antonii Abbatis in casu.

R. Ad i. *Reformato dubio hoc modo:* « An constet de legitima possessione Sacelli seu Oratorii B. M. V. *del Castagno* favore Fratrum Carmelitarum Excalceatorum Conventus S. Sylvestri ad Tusculum »; *Affirmative.*

Ad 2. *Negative* ad primam partem ; *affirmative* ad secundam.

Ad **3.** *Negative.*

Ad **4.** et **5.** Quoad ius *affirmative* et ad mentem ; mens est quod P. Prior Conventus S. Sylvestri in similibus casibus prudentius se gerat.

III. *Marsorum - Suspensionis et iurium.*

D. i°. An sustineatur suspensio in Parochum Venantium Colelli lata a Rev. Vicario Capitulari dioecesis Marsorum in casu.

2°. An et quasnam litis expensas Abbas Parochus Colelli solvere teneatur Sacerdoti Pentoli in casu.

3°. An Abbas Colelli concedere debeat Sacerdoti Pentoli mandatum omnia exigendi quae respiciunt causam adversus Status demanium usque ad eius exitum.

R. Ad i. Ad mentem; mens est quod Sac. Venantius Colelli rehabilitetur ad Missam celebrandam.

Ad 2. et 3. Standum concordiae diei i 5 Septembris 1903, ita tamen ut mandatum ad exigendum a Sac. Colelli committatur personae a Curia Episcopali deputandae, et pecunia exacta deponatur apud eamdem Curiam, quae de ea disponet pro expensis litis apud tribunalia civilia pendentis factis vel faciendis a Sac. Pentoli, dummodo ab eodem legitime comprobentur. Et amplius.

IV. *Ordinis S. Benedicti - Dimissionis.*

D* i°. An et quaenam amplior interpretatio danda sit art. V declarationum 12 Iunii i858: « Nemo autem ex causa infirmitatis post professionem votorum simplicium superveniente dimitti poterit ».

2°. Utrum Decretum, quo iuvenis Salmón professus votorum simplicium ab Ordine S. Benedicti dimissus fuit, sustineatur in casu.

R. Ad i. Non proposita.

Ad 2. In casu Salmón infirmitatem non esse causam sufficientem dimissionis.

V. *Firmana - Funerum.*

D. i°. An Decretum Revmae Curiae Archiepiscopalis Firmanae diei 5 Maii 1903 sit confirmandum in casu.

2°. An Revmis Patribus S. Augustini loci *Amandola* spectet ius funerandi familias Fedeli et Vermigli in casu.

Et quatenus affirmative:

3°. Utrum Parochi S. Donati et S. Mariae celebratione funerum defunctorum Michaelis Fideli et Antonii Vermigli laeserint iura Patrum S. Augustini in casu.

R. Ad i., 2. et 3. Archiepiscopo, ut videat quaestionem iuris ordine servato usque ad sententiam inclusive.

*Die 16 Iulii igo4, in Palatio Apostolico Vaticano habita est Sacra Congregatio Concilii, in qua propositae sunt infrascriptae Causae iuxta morem eiusdem S. Congregationis discutiendae, quaeque de iure resolutae sunt, nimirum :*

**I.** *Bergomen. — Declarationis fiduciae (Sub secreto).*

**R. Dilata et ad mentem.**

**II.** *Ariminen. — Decimarum.*

**R. Ad mentem.**

**III.** *Thermularum - Proventuum.*

**R. Decretum sustineri et ad mentem.**

**IV.** *Parisien. — Matrimonii.*

**R. Sententiam esse confirmandam.**

**V.** *Rubellen. - Nullitatis Matrimonii.*

**R. Ex deductis sententiam non esse confirmandam.**

**VI.** *Senonen. — Dispensationis Matrimonii.*

**R. Affirmative.**

**VII.** *Monacen, et Frisingen. — Dispensationis Matrimonii (Sub secreto).*

**R. Affirmative.**

**VIII.** *Neapolitana - Nullitatis Matrimonii.*

**R. In decisis.**

**IX.** *Nullius Montis Cassini - Provisionis Ecclesiae patronatae.*

**R. Attentis peculiaribus circumstantiis nihil esse innovandum.**

**X.** *Mediolanen. — Redemptionis onerum et transactionis.*

**R. Ad i. Negative et ad mentem. Ad 2. et 3. provisum in i.**

*Die 27 Augusti igo4, in Palatio Apostolico Vaticano habita est Sacra Congregatio Concilii, in qua propositae sunt infrascriptae Causae iuxta morem eiusdem S. Congregationis discutiendae, quaeque de iure r es o lut ae sunt, nimirum :*

**I.** *Andrien. — Iurium (Sub secreto).*

**R. Ad mentem.**

**II.** *Romana et Bredanen. - Dubiorum circa funera.*

**R. Ad i. spectare ad parochum Cathedralis seu ad ecclesiam principalem loci, salvis consuetudinibus et constitutionibus particularibus.**

**Ad 2. spectare ad parochum loci in quo peregrinus vitam absolvit, salvis consuetudinibus et constitutionibus particularibus.**

**III.** *Faventina - Admissionis ad Collegium.*

**R. Firmo interventu parochorum regularium ad congressus, in quibus, agitur de negotiis curae animarum, in reliquis lectum ad instantiam.**

**IV.** *Nanceyen. et Tullen. - Dispensationis matrimonii (Sub secreto).*

**R. Affirmative.**

V. *Venetiarum - Matrimonii (Sub-secreto).*

**R. Ad i. affirmative, facto verbo cum SSmo pro dispensatione a secunda propositione.**

**Ad** 2. **provisum in primo.**

**VI.** *Ragusina et Pharen. - Dispensationis matrimonii (Sub secreto).*

**Affirmative.**

**VII.** *Parisien. — Nullitatis matrimonii.*

**R. Scribat tertius consultor.**

**VIII.** *Barcinonen. — Iurium Parochialium.*

**R. Ad i. Affirmative et ad mentem : et mens est ut Emus Episcopus valde moderate procedat in indultis de quibus agitur concedendis, et statuat taxam unicam et aequam tam a Cathedrali, quam ab omnibus civitatis ecclesiis ad unguem servandam, ita ut nemo nec plus petere, nec minus exigere valeat.**

**Ad** 2. **Affirmative.**

**Ad 3. provisum in praecedenti.**

**Ad** 4.. **Negative et servetur decretum Episcopi diei** 12 **Octobris** 1869.

**IX.** *Pinnen. — Privationis Paroeciae (Sub secreto).*

**R. Ad i. et** 2. **attentis omnibus ex actis et processu emergentibus esse locum privationi paroeciae et amplius: et sacerdos N. consulat conscientiae suae.**

**X.** *Melevitana. - Emolumenti funerarii.*

**R. In decisis et quoad exactionem emolumenti servetur solitum ; quo vero ad expensas pro decenti delatione defuncti, deducendas esse ex integro emolumento, antequam dividatur in duas parte et amplius.**

**XI.** *Potentina - Iurium (Extra ordinem).*

**R. In decisis, servato articulo tertio statutorum generalium pro ecclesiis receptitiis et amplius.**

*Die 12 Iulii 1Q04, in Palatio Apostolico Vaticano habita fuit Congregatio Sacrorum Rituum Ordinaria, in qua Emi et Rmi Patres Cardinales Sacris tuendis Ritibus praepositi infrascriptas Causas retulerunt et suffragium dederunt, nimirum :*

**I.** *Mantuana* **— Beatificationis et canonizationis Ven. Servi Dei Francisci Gonzaga, Episcopi Mantuani, Ordinis Fratrum Minorum. —** *Super dubio:* **« An sit locus reassumptioni Causae in statu et terminis, in quibus reperitur, in casu et ad effectum de quo agitur ».**

II. *Abyssinen.* — **Beatificationis et canonizationis Servi Dei Iustini de Iacobis, Episcopi Nilopolitani et Vicarii Apostolici Abyssinen., e Congregatione Missionariorum S. Vincentii a Paulo.** — *Super Introductione Causae.*

III. *Mediolanen.* — **Confirmationis Cultus ab immemorabili tempore praestiti Servo Dei Arialdo, Diacono ecclesiae Mediolanensis.**

IV. *Lucen.*— **Beatificationis et canonizationis Servi Dei Iosephi de Cambantes, Sacerdotis Professi Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum.** — *Super revisione scriptorum.*

Neque obstat quod actor, cum iam ordinatus sit, congrua canonica minime indigeat ad ordinationem, et quod per capellaniam illi tributam testatoris voluntas despiciatur. Recta enim interpretatio fundatoris mentis ex consultatione cum caeteris testamenti partibus est facienda. Secus nulli unquam sacerdoti beneficium esset conferendum, cum semper vacare deberet usque dum ex fundatoris stirpe non habeatur, qui congrua canonica indigeat ut ad sacerdotium ascendere possit.

Factum autem quod actor iam ordinatus sit, destruere non valet ius ad capellaniam obtinendam. Quamvis enim evidens sit mens testatoris, tamen non est negligenda interpretatio eius. Iamvero, quomodo in testatore voluntas concipi potest illos tantummodo ex sua progenie beneficio afficere, qui possint ipso quo ordinantur tempore, capellaniae institutionem consequi? Si ita res esset, frustra testator beneficium condidisset; perraro enim evenire solet, quod quis ad sacros ordines promoveatur, quando adamussim capellania vacet. Ex alia vero parte, clericus ordinatus cum titulo insufficienti ad honestam sustentationem in ipsa qua erat ante ordinationem conditione evidenter manet, nempe in necessitate beneficium acquirendi, ut congrua sustentetur. Quod praecise de sacerdote Tagle

praedicandum est, cuius titulus non insufficiens tantum, sed etiam precarius est, utpote ab actoris avúnculo precarie constitutus, videlicet usque dum capellanía erigeretur.

Ceterum tempore quo sacerdos Tagle sacros ordines suscepit capellanía adhuc erecta non erat ; ideoque ex causis a sua prorsus voluntate alienis, ius illud, quod ipsi competit, perperam contenditur. Praeterquamquod cum nullus alius ex testatoris familia ad statum clericalem tendere videatur, nullum omnino contradictorem habet sacerdos Tagle nisi ipsum Archiepiscopum.

Quarto demum animadvertit actor possessionem et administrationem bonorum capellaniae et scholae ad Ordinarium pro tempore tantummodo transire, in casu quo nemo habeatur ex fundatoris familia, qui statutas conditiones praeseferat et capellaniam expostulet. Quod vero, praeter explicitas testatoris declarationes, a lege etiam civili confirmatur, iuxta quam cum bona capellaniae adsignata partem excedant, quae *disponibilis* dicitur, legitimis testatoris successoribus cedere debent, potiusquam Archiepiscopo. Quare sacerdos Tagle, impugnans adiudicatam esse Ordinario per sententiam tribunalis civilis possessionem et administrationem operae piae, et animadvertens sacerdotem Ioachimum capellaniam obtinere non posse, quia dives ; sibi omnem possessionem et administrationem bonorum, prouti in casu, debitam esse contendit, utpote fundatoris nepos, sine alio contradictore, et congrua canonica praeditus praecaria et insufficienti ad honestam sustentationem.

**Allegationes Archiepiscopi.** In primis Ordinarius S. Iacobi se refert ad clausulas ipsas testamentarias, ex quibus constat capellaniam erigendam esse non ex bonis filiae moniali spectantibus, sed ex dimidia tantum parte fructuum eorumdem bonorum. Sic enim fundatoris verba sonant: « haec bona pro medietate fructuum ad scholam instituendam designantur, pro altera vero parte ad Missarum celebrationem in perpetuum ». Idcirco testator non ipsa bona ad capellaniae

erectionem assignavit, sed bonorum fructus, quos proinde capellanus vel patronus lucrare equidem potest, minime vero bona ipsa adipiscere.

Deinde Archiepiscopus animadvertit testatorem personas nominatim designasse, quibus possessio fructusque bonorum cedere deberent, filium scilicet sacerdotem filiamque sanctimonialem ; quocirca nonnisi post horum mortem capellano vel patrono ius aliquod competere posse ad capellaniam acquirendam. Equidem voluit testator quod erectio capellaniae quamprimum post suam mortem fieret, ex quo videretur non esse expectanda Ioachimi mors; sed cum alibi disposuerit filium suum Ioachimum fructibus bonorum capellaniae frui debere dum viveret, sequitur testatorem filium suum designasse primum patronum et capellanum. Unde actoris instantia hac ratione praematura apparet, nulloque innixa iuridico fundamento.

Caeterum Tagle,. prosequitur orator, neque post Ioachimi mortem ius aliquod habet ad controversam capellaniam; nam essentiali conditione caret a testatore imposita quod optans videlicet sit in egestate constitutus, illoque indigeat beneficio ad ordinationem obtinendam. Nisi igitur verbis ac menti testatoris adversetur et cuilibet alio de testatoris familia ius adimatur, qui pauper et egenus capellaniam expostulet ut sacerdotium ascendere possit, actoris instantia repelli debet. Accedit quod testator Praelatos ecclesiasticos constituens iudices de vera capellaniae necessitate in clerico illam petente, quamcumque voluit praecavere contentionis possibilitatem circa beneficii collationem. Idcirco cum nullus ex dependentibus testatoris inveniatur, qui praeditus sit necessariis conditionibus, iure meritoque Archiepiscopalis Curia in possessione mansit praefatae capellaniae, quia ipse sacerdos Ioachimus, Chilena lege fructus successivos irritante, per civile tribunal reiectus fuit ab usufructu.

Tandem recolit Ordinarius frustra sibi administrationem

bonorum denegari capellaniae spectantium. Quamvis enim in prima dispositionis testarnentariae parte conditio apponatur ad hoc ut Archiepiscopo transeant ususfructus beneficii, tamen in secunda eiusdem articuli parte, quae Ordinarium constituit patronum et capellanum, quando testatoris descendentes capellanía n'on indigeant ut ordinentur, nulli conditioni obnoxia est. Quod ius, a fundatore concessum Archiepiscopo, a civili etiam tribunali eidem confirmatur, quippe quod Ordinarium vocavit ad fundationem et fruitionem operae piae, praecise iuxta tenorem secundae partis clausulae testamentariae, quamvis iuxta primam partem illum ab omni usufructu reiecisset. Neque praeterit ordinarius adnotare quod, cum sententia iam in rem iudicatam transierit, quodcumque superveniens iudicium contrarium iuxta civiles leges Chilenas nullius roboris esset, et irrita proinde evaderent ulteriora acta sacerdotis Tagle.

**Dubium.** *An sacerdos Franciscus Xaverius Ruiz Tagle ius habeat ad patronatum passivum capellaniae Tagle, necnon ad administrationem bonorum eidem atque adnexae operae piae pertinentium in casu.*

**Resolutio.** Emi Patres, omnibus sedulo perpensis, die 26 iunii 1903 sequens dederunt responsum : *Ad primam partem affirmative; ad secundam affirmative, sub prudenti vigilantia Episcopi.*

## Colliges

1°. Dispositiones testamentariae in beneficiis quoque iurispatronatus stricte adimplendae sunt; attamen, obstante aliqua causa, negligenda non est aequa mentis testatoris interpretatio.

2°. Quotiescumque clericus ordinationi proximus, ad beneficium vocatus illud consequi nequit ob aliquod extrinsecum impedimentum, etiamsi deinde sit in sacris constitutus illud obtinere valet, remoto impedimento ; dummodo tamen

nemo habeatur qui sacerdotium ascendens ad idem beneficium ius habeat.

3°. In themate autem sacerdos Ruiz Tagle, quamvis ante ordinationem, pendente causa apud tribunal civile, capellaniam consequi nequiverit; quia tamen omnes conditiones praesefert a fundatore statutas et nemo invenitur de testatoris familia qui sacros ordines sit consecuturus, merito beneficium illi tributum fuit

4°. Canonice habenti beneficii institutionem ius etiam competit administrationis bonorum eidem spectantium ; peractae autem administrationis rationem Episcopo reddere tenetur.

5°. In casu, praeter administrationem bonorum capellaniae, conceditur capellano Tagle etiam administratio operae piae, quia unum idemque constituunt patrimonium, ex cuius fructibus utraque subsistit.

# EX S. CONGREGATIONE CONCILII

## AVERSANA

### REDUCTIONIS PENSIONIS

Denegata pensionis reductione, condonatur solutio pensionis hactenus non solutae et decernitur tributum « ricchezza mobile » a pensionano solvendum esse.

**Species facti.** Vi Apostolicae Bullae Pii IX diei 5 iulii 1855, *regio exequatur* munitae, imposita est perpetua pensio libellarum 850 super tunc vacanti paroecia S. Andreae Apostoli civitatis Aversanae, favore Convictus clericorum pauperum, qui prius a Seminario dioecesano separatam sedem habebat. Anno 1860, ad instantiam Episcopi Aversani huiusmodi Collegium una cum omnibus bonis et reditibus ex Pontificio indulto aggregatum et incorporatimi fuit praedicto Seminario,

cui proinde etiam devoluta fuit annua statuta pensio libel. 850, quae semper ex integro soluta fuit usque ad a. 1889.

Interea paroecia S. Andreae collata fuit Ioanni Saporito actuali parocho qui, primis duobus annis ratus se hoc onere non teneri, pensionem non solvit; at urgente Seminario ipse primum ab Ordinario et deinde ab H. S. Congregatione frustra liberationem petiit. Tandem conventum fuit ut parochus dimidiam tantum pensionis partem Seminario persolveret, alteram vero partem pro ipso rependeret Episcopus tunc temporis existens ob diversa officia eidem commissa. Res ita processerunt usque ad annum 1897, quo ad regendam dioecesim actualis Episcopus designatus fuit. Parochus Saporito, ex errore putans suam pensionem esse reductam, dimidiam tantum partem Seminario deberi contendebat; e contra Seminarium eam ex integro repetebat.

Quare parochus recursum ad H. S. C. obtulit, petens ut confirmaretur concessio a praecedenti Episcopo facta. Actualis Episcopus de suo voto rogatus exposuit statum oeconomicum paroeciae meliorem esse hodie quam tempore impositae pensionis, quum proventus nitidi tunc temporis essent tantum libell. 2061. 97, hodierni vero sint libell. 2562. 22; proposuit insuper transactionem eo modo conceptam ut parochus integram in posterum solveret pensionem, eidem condonata antea omissa libell. 1600 solutione.

Delegati Seminarii huiusmodi compositionem acceptarunt, sed non ita parochus qui, praeter condonationem nondum solutae summae, iterum instabat pro reductione pensionis ad dimidium saltem per decennium. Proinde causa proposita fuit ventilanda in generali H. S. C. conventu, sive quoad pensionis diminutionem, sive quoad non peractas praeteritas solutiones; quibus accedit nova quaestio circa tributum vulgo *tassa di ricchezza mobile*, a quo esset sustinendum, a parocho nempe vel a Seminario.

**Iura Seminarii.** Patronus Seminarii praemittit pensio-

nem ex Bulla Piana integram solvendam esse sub excommunicationis poena. Deinde idem moratur in refutandis argumentis a parocho adductis. Et sane primo parochi argumento, quod nempe pensio libell. 850 sit extincta, quia extinctus fuit Convictus clericorum pauperum, in cuius beneficio erat statuta pensio, ob eiusdem incorporationem Seminario factam ; respondet advocatus huiusmodi Convictum non fuisse extinctum sed tantum incorporatum Seminario ac proinde etiam pensionem non fuisse extinctam sed in favorem Seminarii translatam esse. HQC enim liquet ex eo quod Episcopus Aversanus tunc temporis expostulavit incorporationem Collegii clericorum una simul cum translatione pensionum in eius favorem, et quod H. S. C. die n iunii 1860 petitam facultatem Episcopo concessit.

Nec minus parochum cavillari, ait patrocinator, cum ab ipso invocantur Apostolicae Constitutiones Innocentii XII et Benedicti XIII interdicentes paroecialia beneficia pensionibus gravari ; siquidem in Piana Bulla pensionis impositiva super paroecia S. Andreae hisce Constitutionibus fit derogatio.

Neque parochus sustinere valet beneficium parochiale ab omni pensionis onere immune obtinuisse, quia, arguit advocatus, paroecia eidem collata fuit cum omnibus honoribus et oneribus, inter quae etiam pensio recensetur ; quamque praeterea parochus ipse expresse recognovit, cum eam in medium protulit apud Fiscum, ut tributum vulgo *tassa di successione* sibi imminueretur.

Item nulla pensionis reductio concedenda est parocho ob rationem desumptam ex temporum vicissitudinibus post pensionem impositam superventis, quae paroeciae reditum maxime extenuarunt; etenim advocatus ex ipsa Episcopi informatione arguit reditus paroeciae hodie vel pensione soluta maiores extare quam erant, pensione non detracta, tempore quo pensio imposita fuit.

Inani autem labore parochus in casu recurrit ad applica-

tionem decreti *Cum nuperr-zmis* (i), quo cautum fuit ut, beneficiorum reditu imminuto ex superventis tributis, pensiones etiam proportionaliter imminuerentur. Decretum enim, canonicae legi derogans, tunc sinit ex pensione tributa detrahi, aequitate suadente, quando beneficii reditus, tributorum causa, minor evaserit quam erat tempore quo pensio fuit decreta; at si beneficii reditus quacumque ex causa non sit imminutus, pensio iustitia exigente ex integro est solvenda. Id advocatus probat primo ex resolutione S. C. EE. et RR. diei 28 septembris 1878 *Romana—Pensionis,* in qua ad 2 dubium: *«An pensionarli redintegrari debeant quoad damnum hactenus sibi illatum, signanter per taxam vulgo* ricchezza mobile del 13. 20, *pro qîtolibet centenario a titularibus retentam in casu* », S. Congregatio respondit : « *Quoad annos idtfi-iSj^ inclusive negative, quoad annos posteriores affirmative* » ; quae decisio confirmata fuit die 20 decembris eiusdem anni cum responso « *in decisis et amplius* ». Ratio decisionis in eo fuit quia reditus beneficiatorum Vaticanae Basilicae ab anno 1874 ita aucti fuerant, non obstante enunciata taxa, ut aequarent reditus in mensura qua erant ante an. 1871 quo editum fuit decretum *Cum nuperrimis.* Secundo probat auctoritate Santi *(Praelect. iur. can., lib. 3, tit. 12)* ita illud explicantis : « Quoad hoc decretum adverto rationem eius fundamentalem in eo esse positam, ut verificetur notabilis seu gravis diminutio redituum beneficii : porro ut haec rite computetur attendendus est status beneficii cum pensio collata fuit. Hinc si ob quascumque rationes vel circumstantias beneficium aliquod non fuerit passum hanc diminutionem, norma decreti nequit a beneficiario contra pensionarium invocari ». At reditus paroeciae S. Andreae a tempore pensionis impositae, ut supra ostensum est, succrevit; ergo decreti applicationi locus fieri nequit.

(t) Cfr. *Acta S, Sedis,* vol. 7, p. 32 5.

Insuper parochus Saporito ad obtinendam pensionis reductionem arguit a necessariis reparationibus in ecclesia faciendis, quibus aliter occurri non potest et quae summam libell. 4000 importarent; sed patronus Seminarii, omissa disquisitione de vera ipsarum necessitate quum ab a. 1891 nihil omnino eius Rector peregerit, reponit in restaurationibus parochum impendere posse augmentum reditus, quod retrahit nunc a beneficio comparative ad tempus quo pensione fuit gravatum, vel saltem recurrere posse ad regium Oeconomatum.

Deinde advocatus gradum faciens ad secundum dubium habet quod, si parocho nulla reductio est concedenda, prono veluti alveo fluit ipsum. teneri ad ratas iam pensionis decursas solvendas, cum mora debitoris eius obligationem extinguere nequeat; et aliunde nulla condonatio in themate est concedenda, cum parochus utpote non ignorans ex Bulla pensionem integram deberi, fuerit in mala fide, proindeque nulla gratia dignus.

Tandem quoad tertium dubium circa tributum vulgo *tassa di ricchezza mobile* incontroversum esse contendit patronus, hoc a parocho esse sustinendum; siquidem patula sunt Bullae verba quae solvi praescribunt: « pensionem annuam perpetuis futuris temporibus duraturam et ab omnibus quibuscumque oneribus nunc impositis et pro tempore quomodolibet imponendis prorsus liberam, immunem et exemptam » ; hinc nulla retentio a parocho fieri potest super imposita pensione, quin ipse contraveniat expressae Bullae legi, et insuper incidat in poenas ab ea sancitas.

**Iura Parochi.** Eiusdem advocatus probare nititur quod tempore impositionis pensionis, nempe a. 1854, reditus nitidi ascendebant ad libell. 2271. 43 dum hodie attingunt tantummodo summam libell. 252.82. Quapropter erronea est dicenda Episcopi computatio, iuxta quam residuum tunc temporis erat libell. 2061.97, hodiernum vero libell. 2562.22; nam

praeter alia Episcopus in parte exitus omisit expensas lib. 500 pro conductione domus parochialis, missae pro populo, pro cultu, pro manutentione aedificiorum etc. quia putavit haec compensari ex incertis stolae et aliis lucris eventualibus, quae de facto iuxta testimonium cuiusdam Vice-parochi libell. 30 non attingunt.

Deinde patronus ad probandum quod in themate notabilis pensionis diminutio est decernenda affert in primis decretum *Cum nuperrimis* diei 20 ian. 1871 editum a S. C. EE. et RR., in quo disponitur : « ut omissio vel diminutio redituum beneficiorum in communi beneficiarios ac pensionarios afficiat, nullo facto inter ipsamet beneficia ipsasque pensiones discrimine, ita ut praefatis reditibus imminutis vel omissis, habita proportione imminui etiam pro rata debeant aut cessare pensiones ». Pro ecclesiis vero cathedralibus seu mensis episcopalibus et pro ecclesiis parochialibus signanter praescribitur, ut in pensionibus persolvendis semper intacta manere debeat congrua ad formam Conc. Tridentini. Iamvero, urget advocatus, reditus* paroeciae S. Andreae ita imminuti sunt, ut vix attingant annuam summam libell. 252.82; ideoque pensionis reductio est concedenda ad tramitem enunciati decreti, sive quia reditus sunt im minuti sive quia ex eius solutione non manet integra congrua parochialis.

Praeterea, prosequitur advocatus, duplex fuit scopus impositae pensionis, uti ex contextu ipsius Bullae apparet. Primus fuit ut indemnitas -solveretur Seminario, qui habitationem concessit novo Convicto ; alter vero fuit succurrere paupertati Collegii recenter instituti, in quo clerici tenuem pro victu summam pensitabant. Sed hic duplex scopus iamdiu cessavit: siquidem aedes Seminarii in praesentiarum sunt ampliatae, et omnes clerici eamdem menstruam summae quotam persolvunt, ergo et ipsa pensio cessare oportet.

Praeterea in Bulla cautum fuit pensionem ita impositam censeri, ut paroeciae tali onere gravatae semper liberae ma-

nerent libellae 2256, et huius conditionis adiectae rationem advocatus tradit ab eo repetendam quod, iuxta tunc vigentes leges in ditione Neapolitana, paroeciae ultra tertiam reditus partem pensione onerari non poterant. At ex novis superventis taxis parochus nedum hoc reditu non fruitur, sed summa tenuissima est residua, nempe libell. 252. Ergo, si non totaliter pensio est tollenda, saltem in notabili quantitate est imminuenda; quod etiam suadetur ab ingentibus et necessariis reparationibus, quae in fatiscente ecclesia S. Andreae sunt peragendae.

Quin oggeratur ex adverso quod Seminario, ex cessatione vel notabili imminutione pensionis, grave et irreparabile damnum obveniat. Hanc enim difficultatem advocatus réfutât observando quod Seminarii oeconomicae conditiones non sunt huiusmodi ut ex hoc in ruinam ipsum vergat, sicuti non tulit irreparabile damnum ex cessata in eadem mensura pensione sibi obveniente a paroecia loci vulgo *Pascarola,* imo etsi obiecta immineret oeconomica ruina, illico praesto esset remedium nempe- applicatio taxae privilegiatae ad tramitem Conc. Trid. *(Sess. 2ß, cap. 18 de Reform.)* super nonnullis beneficiis dioecesis favore Seminarii, quae iuxta testimonium regii sub-oeconomi eosdem reditus vel etiam maiores habent ac paroecia S Andreae et nihilominus nulla pensione erga Seminarium dioecesanum onerantur.

Demum advocatus ad suam thesim confirmandam argumenta promit, tum ex eo quod in edicto concursus pro vacante paroecia S. Andreae nulla mentio facta fuit de extante pensione, sicuti neque mentio recurrit in Bulla collationis eiusdem paroeciae Sacerdoti Saporito, tum denique ex facto quod praedecessor Episcopus hanc pensionem ad dimidium reduxit.

Quoad omissas solutiones titulo pensionis lite pendente, quae ad libell. 1600 ascendunt,, advocatus convincere satagit eas omnino esse condonandas, sive quia reditus nitidus pa-

roeciae est in tenui summa libell. 252.42, sive quia id etiam admittitur ab actuali Episcopo, sive demum ob extantem litem et urgentes ecclesiae restaurationes.

Demum quoad tertium dubium advocatus animadvertit: i. tempore vacationis paroeciae tributum vulgo *tassa di ricchezza mobile* non pensitari a regio sub-oeconomo, quia iuxta leges civiles haec taxa afficit reditus percipientem; 2. hanc taxam numquam a parocho S. Andreae esse solutam, sicuti neque solvitur ab Episcopo Aversano, cuius mensa etiam pensioni subiecta est favore Seminarii; imo in dioecesi Aversana morem vigere hoc tributo tantum onerari pensionarios et non gravatos pensionibus; 3. neque ullum ab adversariis invocari posse praesidium a Bulla Pontificia pensionis impositiva, quia ipsa sese refert ad tributa quae iuxta leges tunc temporis vigentes obvenire poterant, non autem ad hanc taxam extraordinariam, et pro qua moderanda, aequitate suadente, decretum *Cum nuperrimis* a S. Sede editum fuit.

**Dubia.** I. *An et in quanam mensura sit locus diminutioni pensionis impositae super praebenda paroeciali ecclesiae S. Andreae favore ven. Seminarii in casu.*

II. *An et quomodo sit locus favore Seminarii solutioni redituum titulo. pensionis hactenus non solutorum in casu.*

III. *A quo solvendum sit tributum vulgo* ricchezza mobile *super pensionem impositum in casu.*

**Resolutio.** Et S. Concilii Congregatio die 27 Februarii 1904 propositis dubiis *in folio* respondere censuit:

*Ad I. Negative in omnibus.*

*Ad II. Attentis omnibus pro gratia condonationis libellarum 1600 tantum, et dd mentem.*

*Ad III. In casu, de quo agitur, a Seminario.*

## Colliges

i°. Pensiones ecclesiasticae ex sui natura debent esse sine onere, nempe liberae, immunes et exemptae ab omnibus oneribus et taxis (i).

2°. Huic generali regulae derogatur in Italia, quando contigerit gravis diminutio redituum beneficiorum ob usurpationes et nova gravamina a civili Gubernio inducta in bonis Ecclesiae; tunc enim, aequitate suadente, etiam pensiones pro rata portione iuxta Decretum *Cum uberrimis* imminuendae sunt (2).

3°. Tamen haec pensionis diminutio a beneficiario contra pensionarium invocari nequit, si reditus beneficii quacumque ex causa non sint notabiliter diminuti, seu iidem fere extent quam erant tempore quo pensio decreta fuit.

4°. In themate autem praebenda parochialis ecclesiae S. Andreae nullam passa est redituum diminutionem a die impositae pensionis; ideoque eiusdem parocho denegata est petita pensionis reductio favore Seminarii Aversani.

5°. Hisce non obstantibus tributum divitiarum mobilium, vulgo *di ricchezza mobile,* super pensionem a lege italica impositum, persolvendum est a praefato Seminario, non autem a parocho (3).

(1) Cfr. Pyrrhus Corradus *(Praxis Beneficiaria, lib. 5, cap. 7, n. 22),* De Angelis *(Praelectiones iuris canonici, lib. 3, tit. 12, n. 6),* Santi *(Prael. iur. can., lib. 3, tit. 12),* etc.

(2) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 7, p. 325 et 335; necnon vol 11, p. 400.

(3) Ratio praesentis decisionis non solum petenda est, ut quidam scripsit, ex more in dioecesi Aversana vigente, vi cuius taxa vulgo *di ricchezza mobile* solvi solet a pensionariis, sed etiam et praecipue ex eo quod ipsa non beneficiarium sed pensionarium directe et immediate afficit. Sane ex una parte beneficiarius, seu in casu nostro parochus, omnes taxas etiam *di ricchezza mobile* super reditibus mensae parochialis a Gubernio usurpatore impositas persolvit, ita ut quoad se pensio libera et immunis ab omni onere dici possit ac sit. Ex altera vero parte lex civilis italica, imponendo tributum vulgo *di rie-*

6°. Demum quamvis per debitoris moram non extinguatur ipsius obligatio, nihilominus parocho S. Andreae gratiose conceditur, Deputatis Seminarii assentientibus, condonatio super omissis solutionibus libell. 1600, hac sub conditione ut ipse eas impendat pro necessariis reparationibus in ecclesia faciendis.

## ROMANA

### REDUCTIONIS ET TRANSLATIONIS MISSARUM

**Conceditur ad triennium gratia reductionis Missarum cum dispensatione a conditione loci celebrationis.**

**Species facti.** Sacerdos Guido Latuile a. 1872 uti partem sacri patrimonii assignatam habuit cappellaniam *Ruga Mangiatordi,* fundatam in ecclesia Collegiata S. Eustachii de Urbe, cum onere celebrandi 200 missas annuas et cum annuo stipendio libell. 214, 70. Ipse an. 1900 preces obtulit

*che^a mobile* super pensionem, intendit directe percutere tantum summam pro pensione solvendam, non autem integram massam beneficiariam. Hinc haec taxa super pensionem imposita toto caelo differt ab altera, quae totum beneficium gravat. Quapropter si beneficiarius unam et alteram taxam solvere deberet, tunc contra aequitatis regulas bis eamdem persolvere! taxam.

Haec doctrina confirmatur a decisione S. Congregationis Episcoporum et Regularium diei 24 martii 1899 in *Fodiana seu Troiana-Pensionis* (Cfr. *Acta S. Sedis/voL* 32, p. 124); nam ad dubium 2^um^: « An nova taxa vulgo *di ricetterà mobile* sustinenda sit ab Episcopo Troiano vel Fodiano » eadem S. Congregatio respondit: « Taxam esse sustinendam ab Episcopo Fodiano », nempe a pensionano. Quae decisio iterum confirmata fuit die 9 augusti 1901 (Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 34, p. 3g6).

Esto quidem quod etiam haec taxa vulgo *di ricetterà mobile* super pensionem imposita, iuxta dispositiones ministeriales, persolvenda de facto sit a beneficiario; hoc enim fit ad maiorem exigendae taxae securitatem, quum civiliter concedatur beneficiario ius regressus in pensioharium ut illam ab ipso repetere possit. Haec autem dicta sint salvo meliori iudicio, *(N. R.).*

H. S. C. pro congrua missarum reductione ob eleemosynae tenuitatem, atque voti compos factus est per rescriptum: «... Pro gratia reductionis onerum ad effectum evehendi missarum eleemosynam ad libellas duas per triennium arbitrio et prudentia Emi Urbis Vicarii, docto de fideli adimplemento missarum sic reductarum coram Curia Vicariatus Urbis».

Elapso triennio, gratiae prorogationem orator petiit, una simul cum facultate reducías missas celebrandi in ecclesia SS. Vincentii et Anastasii de Urbe ; at novae gratiae concessioni obstiterunt tum Emus Urbis Vicarius tum Capitulum S. Eustachii, praesertim quia praefatus sacerdos durante triennio sua onera non adimplevit. Unde causa ad H. S. O. remissa est discutienda.

**Rationes oratori contrariae.** Imprimis deneganda videtur reductionis missarum prorogatio, quia, ut ipse cappellanus Latuile non diffitetur et Capituli sacrista minor confirmat, orator in praeterito triennio dumtaxat per tres menses celebravit in ecclesia S. Eustachii. Quod oneris inadimplementum, dum in cappellano gravem arguit negligentiam, portendit missarum sic reductarum eleemosynam eidem necessariam non esse ad substentationem.

Nec attendendae sunt ab eodem allegatae excusationes, quod nempe Capitulum sordida linteamina ei suppeditabat eumque conviciis afficiebat ; etenim hae nulla solida ratione vallantur. Nec ab oratore urgeri potest in eadem ecclesia adesse cappellanos pinguius percipientes emolumentum pro quotidiana missae celebratione ; nam ipsi hora serotina et fixa celebrant, dum e contra sacerdos Latuile neque horam neque diem fixam- habet.

Item concedenda non videtur translatio legati *Mangiatordi* in ecclesiam SS. Vincentii et Anastasii. Divina enim officia in ea ecclesia peragenda sunt, in qua testator demandava: (Pasqualigus ; *De sacri/, nov. legis, g. 1199)*, quia ipse eiusdem ecclesiae populum non autem-alios praesumitur gra-

tincare. A qua lege, quemadmodum pro quacumque testamentaria dispositione (Conc. Trid., *Sess. 22, cap. 6 de Reform?),* nonnisi ex iusta et necessaria causa discedendum est. Hinc iuxta praxim H. S. C. translatio cappellaniae vel pii legati de una ad aliam ecclesiam concedi tantum solet gravi urgente causa necessitatis vel utilitatis. In themate autem exulant tum necessitas, quia legatum in designata ecclesia adimpleri facile potest; tum utilitas causae piae, quia per hanc translationem consulitur tantum commodo petentis. Quinimo quum obstet rationabilis Capituli dissensus, quia in casu agitur de cappellania reali, non autem de personali, cuius onera ubicumque adimpleri possunt, translatio omnino deneganda est iuxta doctrinam H. S. Congregationis relatam in *Lünen, et Sarzanen. — Commutationis voluntatis* 18 martii 1826 ; *Nolana — Translationis* 18 aug. 1827, et alibi passim.

**Rationes oratori favorabiles.** Ex altera vero parte annuendum videtur imprimis prorogationi reductionis missarum. Prima enim difficultas seu Capituli dissensus facile diluitur, si attendatur quod, eo non obstante, prima vice reductio concessa est; expensum siquidem fuit hanc cappellaniam oratori datam fuisse tamquam supplementum sacri patrimonii, et cum necessitates vitae de die in diem augescant, ei opus esse pinguiori eleemosyna ad honestam substentationem.

Neque sacerdos Latuile gratia indignus censendus est ex eo quod paucas tantum missas sic reducías persolvit; etenim ex una parte nullum damnum legato obvenit, quia Capitulum de reliquarum missarum celebratione fuit sollicitum ; ex altera vero parte orator excusandus videtur si missas celebrare non valens in ecclesia S. Eustachii, ut se de vitae necessaria substentatione provideret, sese converterit ad ecclesiam SS. Vincentii et Anastasii ad quam, uti testatur eiusdem ecclesiae parochus, remissus fuit ab Urbis Vicariatu; quem certe non latebat ipsum adstringi legato *Mangiatordi.*

Demum quoad missarum translationem favore oratoris, animadvertendum est in casu non agi de propria cappellaniae vel legati translatione, sed potius de temporanea concessione celebrationis missarum in alia ecclesia. Nec ex hoc praeiudicium infertur sive animae fundatoris, quia numerus missarum non minuitur sed tantum locus mutatur, sive ecclesiae legatariae S. Eustachii, cum ipsa diversimode populi commodo ac devotioni occurrere valeat. Ita etiam removetur omnis iurgiorum occasio inter Capitulum et oratorem, qui insuper convenientius propriae substentationi consulere potest, quum in ecclesia SS. Vincentii et Anastasii alias missas celebrandas facile obtinebit. Quare etc.

**Resolutio.** S. Concilii Congregatio die 30 aprilis 1904, annuens precibus *per summaria precum* relatis, rescripsit: *Dummodo orator missis per se ipsum, satisfaciat, pro gratia prorogationis reductionis onerum cum dispensatione a conditione loci ad triennium, docto Capitulo de onerum adimplemento et facto verbo cum SSmo.*

## Colliges

i°. Pia legata fideliter exequenda sunt in mensura et in ecclesia, quas constituit testatoris voluntas.

2°. Attamen, interveniente iusta ac gravi causa, dispositio testamentaria a legitima auctoritate ecclesiastica commutari potest.

3°. In casu autem quum agatur de cappellania in supplementum sacri patrimonii assignata, et quum ipsa sit insufficiens pro honesta cappellani substentatione conceditur reductio onerum missarum.

4°. Indulgetur insuper non translatio cappellaniae, sed tantum eiusdem adimplementum in aliena ecclesia.

5°. Denique imponitur onus certiorandi Capitulum S. Eustachii de peracta missarum sic reductarum celebratione, quia legatum in praefata ecclesia adhuc inscriptum perseverat.

# EX S. CONGREGATIONE RITUUM

## ABYSSINEN.

**Decretum beatificationis et canonizationis Ven. Servi Dei Iustini de Iacobis, Episcopi Nilopolitani et Vicarii Apostolici Abyssinensis, e Congregatione Missionis S. Vincentii a Paulo.**

Praecepto quod Dominus Noster Iesus Christus dedit discipulis suis, ut sese invicem diligerent sicut ipse dilexerat eos, aliud novissimum adiecit mandatum quo sicut missus a Patre et ipse discipulos mittens, in universum mundum eos abire, gentesque docere et baptizare iussit, promissa cum suo perenni auxilio alterius Paracliti seu Spiritus Sancti virtute. Quo munere sancte perfuncti Apostoli virique Apostolici a primordiis Ecclesiae usque in praesens divinam Iesu Christi missionem in Fidei ipsiusque Ecclesiae propagatione iugiter ostenderunt. Ex his recensendus est Iustinus de Iacobis e Congregatione Missionis, Episcopus Nilopolitanus et Vicarius Apostolicus Abyssinensis qui ceteros Apostolicos viros aemulatus sanctitatis et virtutis fama ita praefulsit, ut dignus sit habitus illustri condecoran testimonio cl. me. Cardinalis Massaia tunc temporis Vicarii apud Gallas, a quo et Episcopus consecratus et veluti exemplar et magister missionariis propositus fuit. Dei Famulus in oppido S. Fele, Muranae dioeceseos, ex Lucania provincia, ex piis honestisque parentibus in lucem editus die 9 octobris anno 1800, sacro lustratus est lavacro, indilo nomine Iustino. Fervidam sortitus indolem et ad virtutem proclivem, novennis ad sacram synaxim accessit, novisque auctus scientiae pietatisque incrementis, quum

decimum octavum aetatis annum attigisset, ad perfectiorem vitae statum amplectendum toto animo incubuit. Divinam vocationem secutus Congregationem Missionis S. Vincentii a Paulo ingressus est. Neapoli tyrocinio expleto atque probato vota simplicia nuncupavit. Ad sacerdotium per gradus promotus animarum saluti procurandae sedulam operam dedit. Uriam primum, Monopolim deinde missus consocios aedificavit. Lyciensis Congregationis domui praepositus, in Neapolitana civitate tyronum magister et domus *dei Vergini* nuncupatae superior, hisce muneribus egregie perfunctus est. Sibi austerus, ceteris comis, Deo in oratione iunctus, concionatoris insimul et confessarii optimi laudem promeruit. Quod illi maxime in votis erat ad missiones pergere, id libentissime assequutus est cum Apostolici Praefecti munus in Abyssinia ipsi delatum fuit. Aduae, Tigre capitis, veluti centro missionis constituto, quatuor fere menses, impendit, quasi in recessu praeparatorio coelestibus imploratis auxiliis sive ad idiomata varia addiscenda sive ad illarum regionum Principum, Procerum ipsiusque Regis Oubié benevolentiam sibi captandam. Deinceps romanum iter aggressus, ut alios conquireret socios, obsequentissimas literas eiusdem Regis Oubié, qui Servo Dei missionem ad Cairum commiserat, Summo Pontifici exhibuit, ad cuius pedes provolutus etiam Aethiopes perduxit atque obtulit. Romana una cum Hierosolimitana peregrinatione peracta, in Abyssiniam reversus arduae missionis labores, angustias, pericula atque adversariorum insidias et insectationes forti mitique animo expertus est. Deo opitulante, atque Regis auctoritate suffultus plures ecclesias extruit, alias haeretica labe contaminatas, rogantibus incolis, reconciliat et ad catholicum cultum restituit et convertit, simulque satagit ut seminaria et collegia pueris clericisque instituendis erigantur. Interea ne crescenti gregi sacerdotes et pastores in posterum deficerent, Romanus Pontifex Iustinum, ex animi demissione reclutantem sed divinae

voluntati mandatisque Apostolicis obtemperantem, Episcopali dignitate auget. Episcopus Nilopolitanus et paulo post anno 1847 Vicarius Apostolicus Abyssinensis renunciatus, veluti supra candelabrum positus in domo Dei, ita remisit ut dissipatis errorum tenebris, quamplurimos ad veritatis lucem reduxerit. Nihilominus exinde ortae irae atque invidiae haereticorum erga missionarios catholicos ac praecipue in Iustinum, quem probris, calumniis atque minis ipsi appetere non destiterunt. Instigante Episcopo haeretico atque iubente Theodoro qui ex bello adversus regem Oubié victor redierat, in vincula et in carcerem una cum discipulis coniectus est. Multa atque atrocia in illo loco *Gondar* nuncupato per quinque menses pati debuit Iustinus ; neque ei defuit consummati martyrii voluntas prouti defecit tyranno animus capitalem sententiam ferendi. Hic enim timens excitare in se odium populi ob saevitiam in Servum Dei, omnium opinione, iustum et sanctum, iniquam sententiam temperavit, illata tantum in eum exilii poena. Catenis solutus atque e carcere emissus Abyssiniam repetiit et in oppido Halay moratus est 'Iustinus. Illuc veluti peregrinus itinere laboribusque defatigatus post unum et viginti apostolatus annos sanctis operibus plenos sibi suaeque missioni valde fructuosos , aliquantulum requiescere coepit. Dies tamen appropinquabat quae virum tot tantisque meritis cumulatum et coelesti praemio dignum in perpetuam requiem sanctamque Dei civitatem introducere debebat. In febrim incidit Christi Famulus putansque salubriori aere suae valetudini prospicere, consilium init alias regiones adire, sed vix coepto itinere, morbo ingravescente, sistere cogitur. Suae peregrinationis persentiens finem novissima discipulis suis dedit salutis monita, extremisque Ecclesiae sacramentis religiose susceptis, pie obdormivit in Domino die 31 iulii anno 1860, aetatis suae sexagesimo. Iustini De Iacobis corpus, quod omnes sive catholici sive haeretici sive mahometani custodire gestiebant, ad pagum

*Ebo* elatum atque in ecclesia repositam, solemni funere peracto, honorifice sepelitur, confluentibus ad tumulum turmatim advenis et peregrinis divinam opem per intercessionem Servi Dei imploraturis. Interim sanctimoniae fama, quam Servus Dei adhuc vivens adeptus fuerat, post obitum in dies magis magisque clara causam dedit, ut super ea Ordinariis Inquisitionibus Informativis institutis, Processuales tabulae Neapolitanae, Lycienses et Abyssinenses ad S. Rituum Congregationem transmitterentur. Quum vero, peracta revisione scriptorum atque obtenta dispensatione ab interventu et voto Consultorum nihil obstaret quominus ad ulteriora procedi posset, instante Rmo Dno Augustino Veneziani Congregationis Missionis Postulatore generali, attentisque litteris postulatoriis quorundam Emorum S. R. E. Cardinalium, plurium sacrorum Antistitum aliorumque virorum sive ecclesiastica sive civili dignitate praestantium, Emus et Rmus Dnus Cardinalis Dominicus Ferrata huius Causae Ponens seu Relator in Ordinario Sacrorum Rituum Congregationis Coetu subsignata die ad Vaticanum habito, sequens dubium discutiendum proposuit: *€ An sit signanda Commissio Introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur? i* Et Emi ac Rtîii Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, post relationem ipsius Cardinalis Ponentis, audito voce et scripto R. P. D. Alexandro Verde Sanctae Fidei Promotore, omnibusque accurate perpensis rescribere rati sunt: « *Affirmative seu signandam esse Commissionem, si Sanctissimo placuerit* ». Die 12 iulii 1904.

Facta postmodum de his Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X per Emum et Rmum Dnum Cardinalem Aloisium Tripepi Sacrae Rituum Congregationi Pro-Praefectum relatione, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae eiusdem Congregationis ratum habuit et confirmavit, propriaque manu signare dignata est Commissionem Introductionis Causae praedicti Ven. Servi Dei Iustini De Iacobis, Episcopi Nilopolitani et

Vicarii Apostolici Abyssinensis, e Congregatione Missionis S. Vincentii a Paulo, die 13, eisdem mense et anno.

S. Card. CRETONI, *Praefectus.*

L. «f S.

t D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

## MEDIOLANEN.

**Decretum confirmationis cultus ab immemorabili tempore praestiti Servo Dei Arialdo, diacono ecclesiae Mediolanensis, Sancto vel Beato nuncupato.**

Unigenitus Dei Filius Christus Iesus qui opem, quantum Ecclesiae suae opus est, distribuens, auxilia iuxta necessitatis modum temporibus congruentia dimetitur, etiam ecclesiae Mediolanensi sicut per sanctos antistites Ambrosium et Carolum ita per Arialdum diaconum pro variis çerum ac temporum adiunctis mirifice prospexisse conspicitur. In loco *Cuzago* prope Canturium, Mediolanensis dioecesis, ortum duxit hic Servus Dei ex nobilibus parentibus Bezo et Beza. Bona spes et indoles in puero , melior in adolescente apparuit. Inter clericos cooptatus profanis sacrisque disciplinis peculiare pietatis studium in Christum Deum atque in Deiparam Virginem adiunxit ; quam suae castimoniae tutelarem et patronam semper habuit. Guido de Velatis qui tunc ecclesiam Mediolanensem regebat, Arialdum virtute et doctrina praestantem sibi suaeque ecclesiae magis devincire cupiens, eum Archiepiscopalis sacelli diaconum elegit riteque ordinavit. Dei Famulus in huiusmodi gradu ad vitae usque exitum permansit, singula recte gerens officia, praesertim bonorum ecclesiae gestionem et divini verbi praedicationem. Tyrones clericos bonis artibus instituendos suscepit, veluti prima semina illius iampridem optatae reformationis quae ab eximio viro Anselmo de Bunagio, Lucensi Episcopo, postea Pontifice Ma-

ximo Alexandro II, exordium sumpsit, et per Arialdum atque Landulphum e gente Cotta Herlembaldi fratrem continuata est. Isti in civitate Mediolanensi aliisque in locis obsecrantes atque increpantes in omni patientia et doctrina corruptos mores redarguebant. Neque blanditiis vel donis ad silentium reduci potuerunt, libera voce testantes se, quoad usque lingua faucibus adhaesisset, veritatem et virtutem fratribus fore praedicaturos. Quin imo ipsi auctores et primi sodales extiterunt illius societatis in aedibus praelaudati Anselmi constitutae et *Pataria* nuncupatae, cuius asseclae, teste S. Petro Damiano, iureiurando spopondebant « donec viverent et quantum possent, Nicolaitarum et Simoniacorum haereses omni studio totisque viribus extirpare contenderent ». Multa et praeclara ad utramque haeresim extirpandam perfecit opera Arialdus cum socio Landulpho et longum esset singula persequi quae ex authenticis documentis probatisque testimoniis atque ex ipsis tabulis processualibus eruuntur. Auctoritate mandatisque fultus Summorum Pontificum Victoris II, Stephani IX, Nicolai II et Alexandri II, necnon Legatorum Apostolicae Sedis Hildebrandi, Anselmi tunc Episcopi Lucensis, et Petri Damiani plures civitates et provincias peragravit; atque in opere incoepto vehementer institit. Pro Christo et Ecclesia calumnias, contumelias, persscutiones gravissimas ipsamque bonorum direptionem aequanimiter tulit. Ad maiora semper paratus sustinenda usque ad sanguinis effusionem, inimicos suos omni benignitate complexus est. Validum et ad rem opportunum praebuit auxilium Herlembaldus egregius vir ac miles, Landulphi frater, qui cum Arialdo Romam advenit, et robur, praeceptum vexillumque benedictum contra hostes extollendum accepit a Summo Pontifice Alexandro II, ipsum Arialdum, pro ecclesiastico suo munere, ducem et moderatorem assignante. Idem Pontifex, Concilio in Lateranum coacto, litteras encyclicas edidit et Mediolanum misit, illucque revertentes praedicti strenui viri Synodi atque Pontificis prae-

scripta observari curarunt. Liberalitate Azzonis nobilis viri, penes ecclesiam Deiparae Virgini sacram extra portam novam ; domus canonica extructa est, ad quam complures ecclesiastici viri confluxerunt, ut a saecularibus seiuncti, communem vitae rationem in pace et concordia degerent, divinasque laudes statis horis devote persolverent. Primus ex his auctor et sodalis erat Arialdus qui, redintegrata ab adversa**rius** pugna, eiusmodi domicilium virtutis et pacis, relinquere una cum sociis coactus est. In fugam coniectus, medio in Pado flumine a piratis captus et, interveniente domino loci, liber effectus, Lignani in oppido se abdidit. Verum alter Iudas, pacta et soluta pecunia, Servum Dei hostibus et sicariis tradit. Isti ad insulam in medio Verbani lacu sitam illum deferunt et, conspirante Oliva pessima foemina, ad supplicium damnant. Utraque aurícula amputata , oculos in coelum levavit Arialdus inquiens: « Gratias tibi ago, Christe, qui me hodie inter tuos martyres dignatus es connumerare ». Dein effossis eidem oculis, corpus membratim conciditur, donec sancta anima carne dissolvitur. Passus est IV Kal. iulias a. MLXVI, praesidente Sedi Apostolicae Alexandro II. Postera die exanime corpus, Olivae iussu, in lacum demergitur, sed Herlembaldo armata vi et obsidione oppidi illud sibi reddi iubente, repente in Ticini littore apparet. Accurrunt omnes sacrumque pignus, multis cereis accensis, quasi festiva supplicatione Mediolanum efferunt. In ecclesia S. Ambrosii deposito, iusta funebria coram eo persoluta fuere, habita ab ipso Herlembaldo panegyrica oratione de Arialdo tanquam de Beato Levita et Martyre Christi. Per decem dies illuc mansit idem corpus civium et clericorum venerationi expositum, donec in monasterium et prope ecclesiam S. Celsi translatum, honorifice conditum est, fama sanctitatis Servi Dei undique diffusa, signis quoque atque prodigiis, uti fertur, a Deo patratis aucta. De cultu immemoriali eidem Servo Dei ab obitu usque ad nostram aetatem praestito, seu de casu excepto a Decretis sa. me. Ur-

bani Papae VIII maxime soljicitus, Emus et Rmus Dnus Cardinalis Andreas Carolus Ferrari, Archiepiscopus Mediolanensis, Processum ordinaria auctoritate super eodem cultu seu super casu excepto adornandum curavit, adiunctisque Processibus Rogatorialibus Romano, Florentino et Pisciensi, per iudicem delegatum suam protulit sententiam. Quibus Actis ad Sacrorum Rituum Congregationem delatis riteque apertis quum omnia iuxta ordinem iuris in promptu essent, instante Rmo Dno Alexandro Lualdi, urbano antistite et Causae postulatore, Emus et Rmus Dnus Cardinalis Aloisius Tripepi Sacrae Rituum Congregationis Pro-Praefectus, loco et vice Emi et Rmi Dñi Cardinalis Seraphini Cretoni Praefecti et eiusdem Causae Ponentis, in Ordinariis Comitiis subsignata die ad Vaticanum coadunatis, sequens dubium discutiendum proposuit: « *An sententia lata a Rmo Domino Iudice ab Emo Archiepiscopo Mediolanensi delegato, super cultu praestito Servo Dei ab immemorabili tempore seu super casu excepto a Decretis sa. me. Urbani Papae VIII sit confirmanda in casu et ad effectum de quo agitur?* » Et Emi ac Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, post relationem ipsius Cardinalis Ponentis, audito etiam voce et scripto R. P. D. Alexandro Verde Sanctae Fidei Promotore, omnibusque sedulo perpensis, rescribendum censuerunt: ^*Affirmative seu sententiam esse confirmandam, si Sanctissimo placuerit* ». Die 12 iulii 1904.

Quibus omnibus Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X per Emum et Rmum D. Cardinalem Aloisium Tripepi Sacrae Rituum Congregationi Pro-Praefectum relatis, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae eiusdem Congregationis ratum habuit et probavit, die 13, eisdem mense et anno.

S. Card. CRETONI, *Praefectus.*

L. «f S.

f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

# MANTUANA

## Decretum beatificationis et canonizationis Ven. Servi Dei Francisci Gonzaga, Ministri generalis Ordinis Minorum, Episcopi Mantuani.

Iamdiu erat in votis Franciscali Ordini memoriam excitare Causamque beatificationis resumere Ven. Servi Dei Francisci Gonzaga, qui Sancto Aloysio consanguineus non minus Ordinis S. Francisci quam Mantuanae Sedis conspicua gloria fuit. Provido autem Dei consilio hisce temporibus id accidit quibus Apostolicae Sedi praesidet Pius X, olim ecclesiae Mantuanae Episcopus, sub cuius auspiciis Causam illustris antecessoris reassumere et ad exitum feliciter perducere actoribus bona spes affulget. Ven. Servus Dei ex nobilissima Mantuana progenie Gonzaga anno 1546 ortus, et puer et adolescens morum suavitate, oratione et in Deiparam Virginem pietate enituit. Matriti degens terrenis divitiis deliciisque spretis simulque parentum et procerum blanditiis atque minis superatis, meliora aemulatus charismata, in Franciscalem Ordinem veluti in aream refugii se recepit. Tyronis ac professi virtutes in exemplum ceteris propositae erant; ipseque dignus est habitus, ut quum vix trigesimum tertium aetatis annum attigisset, supremus Ordinis magister renunciaretur. Instaurata regulari disciplina ad statuta legiferi Patris S. Francisci, quum in discrimen vitae deductus, Deo opitulante, incolumis evasisset, officium dimisit. Rogante Hispaniarum rege, Episcopus Cephaludensis a Summo Pontifice electus et nominatus suam Sedem episcopalibus virtutibus decoravit. Quum in eo erat ut ad Sedem Papiensem propter obitum B. Alexandri Sauli tunc vacantem transferretur, Mantuani Principes illum ad Mantuanám ecclesiam regendam a Romano Pontifice enixe petierunt atque obtinuerunt. Franciscus concivis et pastor effusis gratulationis et laetitiae signis Mantuae excipitur. Quo sacerdotum Ordini consuleret postquam semi-

nario ad praecepta Concilii Tridentini instituendo operam dederit, theologicis studiis diligentius excolendis optimos praefecit doctores atque magistros. Synodum saepe coegit, et sicut populo concionum pabulum ita pueris et puellis christiana cathechesis, sub tali pastore, nunquam defuit. Egenis pauperibusque opem tulit Franciscus, eorum pater et columen merito appellatus. Iustitiae vindex et assertor Ecclesiae iura contra potentiorum conatus tueri non destitit. Ob spectatam eius prudentiam, probante Clemente VIII, Apostolicus Italiae Episcoporum Visitator deputatus fuit. Deinceps Legatus in Galliam missus diuturnas dissensiones inter Hispanos et Gallos ita composuit, ut omnium et praesertim illarum nationum Regum atque ipsius Pontificis expectationi et votis omnino responderit. Muneribus honoribusque cumulatus semper amavit se nesciri, et Sancti Patris Francisci fidelis discipulus vitam poenitentem atque humilem cum pastoralis officii sollicitudine et multiformis charitatis exercitiis apprime coniunxit. Mantuae morbo correptus, pecuniam quae supererai, ad ultimum usque quadrantem pauperibus distribui iussit. Franciscali veste indutus SS. Viaticum atque Extremam Unctionem devotissime recepit. Tandem pluribus pietatis editis signis, piissimam animam exhalavit die 11 martii anno 1620. Eius sanctimoniae fama evulgata et in dies succrescente Processuales tabulae, ordinaria auctoritate, in Curia Mantuana anno 1626 confectae fuerunt, et anno sequente 1627 commissio de Causa rite introducenda a Summo Pontifice signata est. Verum quamvis acta de non cultu Ven. Servi Dei anno 1638 probata fuerint, atque etiam datae litterae Remissoriales anno 1658, quibus Inquisitio Apostolica super virtutibus inchoata, perfecta et ad Sacrorum Rituum Congregationem etiam delata sit, tamen eiusmodi Causa ab eo tempore siluit. Ad renovandam vero memoriam et provehendam Causam beatificationis tanti viri, Rmus P. Cyrus a Pisauro, Ordinis Minorum Postulator Generalis, plura ex

I. Il Parroco, al quale spetta la celebrazione del matrimonio, riceva innanzi tutto dai fidanzati il consenso *de futuro matrimonio,* servendosi dei moduli a stampa da Noi recentemente approvati.

II. Nel ricevere il consenso, si dovranno osservare attentamente le fedi del battesimo **e** della cresima che debbono esibire i contraenti, se sono celibi, e quelle del celebrato matrimonio e della morte del coniuge, quando si tratti di vedovi. Le fedi che provengono da altra diocesi **(e** così dicasi di qualsiasi altro documento) dovranno essere autenticate da quella Curia ecclesiastica e dalla nostra Cancelleria.

III. Da quelli che per sei mesi continui, dopo raggiunta la pubertà, hanno dimorato in altra diocesi , è richiesta la testimonianza di stato libero, rilasciato dall' Ordinario del luogo. I non diocesani presenteranno la testimoniale d' origine, del battesimo, della cresima e della libertà di stato. Le dette testimoniali si conserveranno presso il nuovo Uffizio di Cancelleria nè si potrà procedere alla celebrazione del matrimonio, senza averne prima ritirata dallo stesso Uffizio la licenza, firmata da Noi o da Monsignor Vicegerente.

IV. Coloro che hanno prestato servizio militare per non meno di sei mesi, saranno ammessi a prestare il giuramento suppletorio davanti al nostro Cancelliere , dietro . domanda (come al rispondente modulo a stampa) firmata dal Parroco, e la testimonianza di due persone, o la presentazione del loro congedo. Del pari presteranno il giuramento suppletorio coloro che, o per la professione, o per qualunque altra ragione, fossero stati vaghi, allo scopo di provare la libertà loro durante 1' assenza ; e per questi si richiedono inoltre due testimonii, che dichiarino di conoscerli come tali, e di non sapere nulla in contrario alla libertà del loro stato.

V. Osservate le prescrizioni dei quattro precedenti paragrafi ; eseguite le pubblicazioni nella parrocchia dei contraenti, ed anche nelle parrocchie ove T uno o 1' altro di essi avesse uguale domicilio, o quasi-domicilio ; trascorsi almeno due o tre giorni dall' ultima pubblicazione, ed ottenuto l'attestato delle pubblicazioni eseguite in altre parrocchie ; quando non venga denunziato alcun canonico impedimento, é consti

che siansi iniziati gli atti civili; potrà il parroco senz' altro procedere alla celebrazione del matrimonio.

VI. Quando vi sia un ragionevole motivo di chiedere la dispensa dalle conciliari pubblicazioni, si dovrà fare domanda in iscritto a Noi od a Monsignor Vicegerente, da presentarsi però al nostro Cancelliere. Detta domanda dovrà dichiarare i nomi, i cognomi, il domicilio dei futuri contraenti, il consenso prestato dai medesimi e il motivo canonico della dispensa. Dovrà inoltre essere firmata dal Parroco, a cui appartiene la celebrazione del matrimonio, il quale attesterà pure la verità delle cose esposte, Se i motivi della dispensa dovessero rimanere occulti, il Parroco li comunicherà al suddetto Cancelliere con lettera riservata, od anche verbalmente.

VII. La domanda per la dispensa dalle pubblicazioni dovrà essere corredata delle fedi e degli altri documenti necessari, accennati nei precedenti paragrafi.

VIII. I ricorrenti per dispensa dalle pubblicazioni (e così dicasi di coloro che abbisognassero della fede di stato libero, per contrarre il matrimonio altrove) dovranno produrre almeno due testimonii, i quali depongano con giuramento della libertà loro, della inesistenza di parentela e di qualunque altro canonico impedimento.

IX. I testimonii devono essere noti al nostro Cancelliere delegato a ricevere la deposizione, o noti ad altra persona, la quale sia conosciuta dal Cancelliere stesso, e testifichi la idoneità di quelli a rendere testimonianza conforme le canoniche disposizioni. Saranno poi esaminati separatamente l'uno dall' altro, non essendo ammissibile 1' esame simultaneo dei testimonii. I non conosciuti saranno ammessi all' esame allora solo, che esibiscano 1' attestazione del proprio Parroco, la quale ne comprovi il domicilio e la idoneità a testimoniare, ovvero siano prodotti dal Parroco stesso, valendo il fatto invece del documento.

X. Le domande di dispensa pontificia, da qualche cano-

nico impedimento, corredate dai necessarii documenti, dovranno essere compilate con chiarezza, e indicare le cause canoniche per le quali si chiede la dispensa. Con foglio separato dovranno i Parrochi : i° Attestare la verità delle cose esposte nella domanda; **2°** Dichiarare se ed in qual modo si siano prudentemente adoperati per distogliere le parti dal proposito di contrarre il matrimonio; 3° Manifestare coscienziosamente il proprio parere in ordine al medesimo.

XI. Per tutti i suddetti atti precedenti la celebrazione dei Matrimonii, i RR. Parrochi, per volontà del Santo Padre, dovranno prestare la loro opera gratuitamente, come gratuitamente dovranno farsi le attestazioni di Battesimo, di Cresima, delle eseguite Pubblicazioni ecc.

XII. Per ciascun matrimonio si formerà un fascicolo contenente T atto di consenso *de futuro* e tutti gli altri documenti riguardanti il matrimonio stesso. Questi fascicoli, disposti con ordine, saranno gelosamente custoditi neh' Archivio parrocchiale.

Queste sono, Venerabili Fratelli, le norme che abbiamo riputate necessarie e sufficienti allo scopo. Lo zelo col quale esercitate il vostro ministero, **V** amore che nutrite per le anime, Ci sono arra sicura che saranno da voi diligentemente osservate. Con ciò si accrescerà la riverenza al Sacramento grande in G. C. e nella Chiesa, tanto più degno di essere circondato di venerazione, quanto più il mondo ne misconosce oggi la santità.

La grazia del S. N. G. C. sia con voi, e vi consoli nelle vostre fatiche, auspice la nostra benedizione, che con tutto il cuore v' impartiamo.

Dato dalla Nostra Residenza, questo giorno 5 Apr. J902.

PIETRO Card. Vicario.

Pietro Can. Checchi, *Segretario.*

# DIARIUM CURIAE ROMANAE

*Mense Augusti rgo4, Pius PP. X litteris Secretariae Status:*

**i°. Occasione primi anniversarii exaltationis ad Pontificatum sequentes honorificentias concedere dignatus est : nempe Marchioni D. Iulio Sacchetti magnam Crucem Ordinis S. Gregorii Magni; Comm. Edmundo Puccinelli commendam Ordinis Piani; Corniti Paulo Ceccopieri commendam Ordinis S. Gregorii Magni; Aloysio Martinucci, Comm. Caesari Rossignani, Equiti Raphaeli Molinari, Equiti Friderico Mannucci, ac Equiti Constantino Sneider commendam Ordinis S. Sylvestri, ac demum Petro Costa equestrem dignitatem Ordinis Piani.**

**2". Illmum ac Revmum D. Caesarem Gismondi, Priorem Ven. Capituli S. Mariae in via Lata, nominavit Praelatum Domesticum.**

**3°. Revmum P. Iosephum Haegg, e Congregatione Spiritus Sancti, inter Consultores S. C. Rituum adnumeravit.**

**4°. Aloysio Gnoni et Fortunato Bevitori numisma** *Benemerenti* **concessit.**

**5°. Emum ac Revmum D. Iosephum Calasanctium Vives y Tuto inter Emos Cardinales S. Rituum Congregationem componentes adscivit.**

**6°. Specialem instituit Commissionem pro examinandis Relationibus Visitatorum Apostolicorum in Italia atque iis proponendis remediis, quae ad rem magis necessaria et opportuna videbuntur. Haec autem Commissio ex infrascriptis Emis Cardinalibus ac Revmis Praelatis constat: nimirum Emis Dñis Vincentio Vannutelli, Praefecto S. C. Concilii, Francisco de Paula Cassetta, Casimiro Gennari, Andrea Aiuti, Felice Cavagnis; necnon Revmis D. Caietano de Lai, Secretario S. C. Concilii, Basilio Pompili, Scipione Tecchi.**

**7°. Emum ac Revmum D. Card. Dominicum Ferrata elegit Protectorem Religiosarum Benedictinarum SSmi Sacramenti in Seregno.**

**8°. Revmum P. D. Ambrosium Agius O. S. B., e Congregatione Cassinensi primitivae observantiae, nominavit Delegatum Apostolicum in Insulis Philippinis.**

*Mense Septembris igo4, Sanctitas Sua litteris Secretariae Status:*

**i°. Illmos ac Revmos D. Carolum Perosi, P- Aloysium a Tabia O. C, P. Benedictum Oietti S. I. et P. Bernardinum Klumper O. M. dignata est adnumerare inter Consultores S. Congr. Concilii.**

2-°. **Excmum ac Revmum Franciscum Ragonesi, Vicarium Generale dioecesis Viterbiensis, dignata est nominare Delegatum Apostolicum et Legatum extraordinarium apud Rempublicam Columbiae, et Archi episcopum Myrensem.**

3°. **Illmum ac Revmum D. Iosephum Petrelli, Cubicularium secretum supra numerum nominavit Secretarium Delegationis Apostolicae in Insulis Philippinis.**

**Excmus ac Revmus D. Petrus Ioseph Geay, Episcopus Vallis Vidonis sponte resignavit in manibus Sanctitatis Suae administrationem dioeceseos, quae ipsi a Sancta Sede canonice concredita fuit.**

**Item Excmus ac Revmus D. Albertus Leo Le Nordez ultro resignavit in manibus Sanctitatis Suae proprias dimissiones ab Episcopatu Divionensi.**

*Die 2g Iulii igo4, in Palatio Apostolico Vaticano habita est Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium, in qua propositae sunt infrascriptae Causae iuxta morem eiusdem S. .Congregationis discutiendae, quaeque de iure resolutae sunt :*

**I.** *Taurinen. - Iurispatronatus.*

**D. An et quomodo confirmanda vel revocanda sit sententia diei 11 Decembris** 1903.

**R. In decisis et ad mentem.**

**II.** *Romana - Usus et ususfructus.*

**D. An monasterio SS. Andreae et Gregorii in Monte Caelio debeatur usus et ususfructus trium Cappellaniarum et locorum adiacentium una cum hortulo, existentium apud ecclesiam S. Gregorii in casu.**

**R. Ad mentem. Mens est quod S. C. admittendo quidem in Revmo Capitulo Liberiano proprietatem et usumfructum, iudicat esse conforme aequitati quod Religiosi Monasterii SS. Andreae et Gregorii in Monte Caelio exercere pergant in Cappellis et locis adiacentibus illa acta, quae de facto usque nunc exercuerunt.**

III. *Meliten. - Translationis Confraternitatis.*

D. 1°. An Confraternitas B. M. V. de Carmelo erecta in ecclesia parochiali Birchircariae remanere debeat in statu quo.

2°. Utrum transferenda sit in ecclesiam Carmelitarum Discalceatorum Birchircariae, an potius in ecclesiam Carmelitarum Calceatorum S. Iuliani.

3°. An supprimenda sit, salvo iure utriusque familiae Ordinis Carmelitici erigendi in propria cuiusque ecclesia novas Confraternitates de Carmelo.

R. Ad 1., ad 2. et ad 3., attentis omnibus, transferendam esse Contra ter n ita te m ab insigni ecclesia parochiali Collegiatae ad ecclesiam Patrum Carmslitarum Excalceatorum, salvo iure Patrum Calceatorum erigendi in propria ecclesia Confraternitatem.

IV. *Savonen. - Funerum.*

D. 1°. An constet de electione sepulturae in casu.

2°. An Rev. P. Prior violaverit i-ira parochialia in casu.

R. Ad 1. Affirmative.

Ad 2. Negative.

# ACTA ROMANI PONTIFICIS

## LITTERAE

**Quibus Pius PP. X commendat Institutum Salesianum et Sodalitatem Cooperatorum Salesianorum (i).**

DILECTO FILIO MICHAELI RUA SACERDOTI
AC SUPREMO SODALITATIS SALESIANAE MODERATORI
AUGUSTAM TAURINORUM.

PIUS PP. X

*Dilecte Fili, salutem et Apostolicam benedictionem.*

Si consentanea meritis expectanda a Nobis benevolentia est, multam erga te dilectionem praeferre Nos equidem de-

(i) Sac. Ioannes Bosco, dioeceseos Taurinen., vir ad iuventutem christiane instituendam a Deo excitatus, praeter benemeritum Presbyterorum Salesianorum Institutum, quod ubique terrarum late patet, a. 1841 etiam Sodalitatem Cooperatorum Salesianorum instituit. Ipsa, ut eam definivit Pius IX in Brevi *Cum sicuti* diei 9 Maii 1876, est quaedam unio «cuius Sodales tum alia plurima pietatis et charitatis opera exercere, tum praesertim pauperum ac derelictorum puerorum curam suscipere sibi proponunt ». In eam omnes Christifideles sive clerici sive laici sive etiam foeminae cooptari possunt, et veluti Tertium Ordinem saecularem efformant. Associatio in iis, quae ad Religionem pertinent, immediatae Episcoporum et Parochorum iurisdictioni absolute subiicitur. Cooperatorum Salesianorum Regula facillime exequi valet ac nullam in conscientia obli • gationem inducit. Eadem Regula, postquam innuerit maximam necessitatem ut omnes fideles ad invicem uniantur in bono agendo ac malo vitando iuxta illud Domini « *vis unita fortior, funiculus triplex difficile rumpitur* », validum huius unionis vinculum reponendum ostendit ¡n ipsa Sodalitate. Tradit praeterea finem a Cooperatoribus intentum, modum cooperationis eiusdem mediis sive spiritualibus, sive moralibus, sive etiam materialibus peragendae, et demum Sodalium obligationes, necnon indulgentias, privilegia ac indulta a Summis Pontificibus concessa. *(N. R.).*

cet, qui Salesianam Sodalitatem ad illustriores laudes constanti progressione contendere iamdiu perspicimus.

Ab illustri excitata viro, in quo christianarum virtutum exemplar, caritate principe, lucerei, atque ad gloriam Deo comparandam candide uniceque adlaborans, maxima coetus commoda societati hominum peperit, quorum perficiendae virtuti multa in toto orbe opera suscepit, praesentium ingenio temporum nullam partem posthabito. Amplificatam mirifice sodalitatem non modo sodalium numero, qui vitam communi instituto agant, sed etiam accessione eorum, qui ob collatam opem et ob sacra emolumenta percepta cooperatorum nomine gaudent, et Ipsi iam pridem novimus et tuo confirmatum testimonio videmus. Ostendit id et declarat Sodalitatem Salesianam, quod quidem laudi solatioque est, carissimam christiano populo esse, cuius sanctitudine serviens, utilitati servit. Placet tamen fideli omni, omnique aut dioecesi, aut civitati, aut paroeciae commendare illam enixius , velint uti omnes eandem complecti voluntate et gratia progredienti, ea praesertim de caussa quia in instituenda christiane iuventute, mirum cum quanto convictus humani incremento, Sodalitas tota est. Etenim puerorum adolescentiumque formare animos rem omnium gravissimam pro conditione temporum putamus quae sane quemadmodum vehementissime sollicitudinem Nostram semper exacuit, ita debet ad omne genus subsidia Christifidelium incitare voluntates. Hi autem optimum providentissimumque fecerint, si, nomine dato cooperatorum coetui, Salesianam familiam exauxerint : navata enim in hunc modum opera ingenti ipsis ac sodalitati commodo erit, molestiae ipsis non erit. Quoniam vero Salesianis cooperatoribus singularis ac praecellens quaedam significatio favoris ab utroque Decessore Nostro Pio IX ac Leone XIII fel. rec. nullo tempore defuit, sacrarum praecipue indulgentiarum thesauris reclusis, haec ipsa iterare ac renovare libet benevolentiae testimonia, ob eamque rem Indulgentias omnes atque universa

privilegia laudato cooperatorum coetui antea tributa, Nos quoque propensissima voluntate concedimus (1). Addimus autem ex intimo corde votum, ut ordo idem cooperantium, tam insigni meritorum nobilitate conspicuus, numerumque ad tercenta hominium millia, sicut est Nobis relatum, brevi tempore assecutus, maiora in dies incrementa capiat, eoque Dei gratia pertingat, ut sive in urbibus sive in pagis, ubicumque aut spiritus foveatur legiferi Salesianorum patris, aut alatur amor, novis amplificetur asseclis, rei in primis Episcoporum cura favente. Nostrum praeterea studiosum erga Sodalitatem animum Apostolica benedictio testetur, quam tibi singulisque sodalibus peramanter in Domino impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum die XVII Augusti anno MCMIV, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. X

# ALLOCUTIO

## Quam **Pius PP. X habuit ad Commissionem peregrinorum Parisiensium de amore Dei erga Galliam** (2).

Si Nous n'avions pas déjà d'autres motifs pour faire le plus joyeux accueil aux chers pèlerins de France, il Nous

(1) Indulgentiae, privilegia ac indulta, quae Pius PP. X Cooperatoribus Salesianis vel confirmavit vel de novo concessit, recensentur in *Summario* infra relato, pag, 270. *(N. R.).*

(2) Die 23 septembris 1904 Sanctitas Sua per relatam allocutionem respondit sequenti sermoni, quem nomine Commissionis peregrinorum Lutetiae tenuit Revmus Odolin, Vicarius Generalis Archidioecesis Parisiensis:

« Très Saint Père,

Au nom de Son Eminence le Cardinal Richard Archevêque de Paris, le Président du Comité national pour le Cinquantenaire de l'Immaculée Conception a l'honneur de déposer aux pieds de Votre Sainteté l'hommage de respectueuse et filiale affection des pèlerins venus à Rome de diverses provinces de France et de sa capitale.

suffirait d'avoir celui de la recommandation du vénéré Archevêque de Paris, au nom duquel, Monseigneur, vous Nous les avez présentés. Une raison spéciale, cependant leur donne

**Lorsque Pie IX proclama le dogme de l'Immaculée Conception, le 8 Décembre 18,54, I[a] France y répondit par des acclamations enthousiastes; elle se montra une fois de plus ce qu'elle avait été dans sa longue histoire : *Regnum Galliae, Regnum Mariae.***

**Quelques années après, Marie venait en personne prendre possession de la France, en apparaissant à une humble enfant dans la Grotte de Lourdes et en lui disant: « *Je suis l'Immaculée Conception* ». Depuis lors, elle attire dans ce lieu béni des foules innombrables, venues de tous les points de l'univers, et elle répond aux prières de toutes ces foules par des grâces et des miracles sans cesse renouvelés.**

**Mais comment parler de Marie, sans parler de son divin Fils? La France a été choisie par Lui pour les consolantes révélations de son Cœur: et, après deux siècles d'attente, elle vient d'élever à Montmartre en l'honneur de ce Cœur sacré Je Temple qu'il Lui demandait, par une humble religieuse de Paray-le-Monial, de lui bâtir et de lui consacrer, pour lui faire connaître toute l'étendue de ses miséricordes.**

**Mais Jésus-Christ a un représentant sur la terre, le Pape, son Vicaire. La France aime le Pape; elle l'a toujours aimé: son histoire le prouve: elle a la dévotion du Pape : elle est heureuse de voir le Pape. Comme elle aimait à contempler la suave figure de Pie VII, lorsqu'il la visita au commencement du siècle dernier; comme elle aimait à venir à Rome contempler la douce figure de Pie IX, la grande figure de Léon XIII, elle est heureuse aujourd'hui de contempler la figure de Pie X rayonnant de cette paternelle bonté qui lui gagne tous les cœurs.**

**La France catholique est avide d'entendre la parole du Pape, cette parole qui fixe la vérité, précise le devoir, indique le but, signale l'écueil, stimule, soutient et relève les courages. La vôtre, Très Saint Père, a recommandé l'action individuelle et sociale intégralement chrétienne, pour contribuer, sous la direction des Evêques, à la grande Œuvre que Votre Sainteté désigne au zèle de tous : *instaurare omnia in Christo.* Elle est écoutée, comprise et obéie par tous les catholiques de France.**

**Nous vous prions, Très Saint Père, de bénir notre chère Patrie. Au milieu d'épreuves passagères, la France demeure toujours, malgré les apparences contraires, oui, elle demeure toujours la Fille ainée de l'Eglise, par ses œuvres si nombreuses et si vivantes, par ses missions répandues dans le monde entier, par ses missionnaires qui sont dans la proportion de *j5* °[ .. La première par l'apostolat et l'accomplissement de *Yeuntes docete omnes gentes* de**

droit à Notre bienveillante attention, et c'est qu'ils sont venus à Rome à l'occasion du 5o$^{iinc}$ anniversaire de la définition du dogme de l'Immaculée Conception pour affirmer solennellement que la France est le royaume de Marie, et que, par conséquent, comme l'a proclamé la Vénérable Pucelle d'Orléans, Jeanne d'Arc, la France'est le royaume de Jésus-Christ.

Aussi, ne pourrièz-vous, chers fils, Nous donner une plus douce consolation dans ces moments où nous sommes profondément affligés par tout ce qui se passe au détriment de la religion dans votre patrie. Votre présence, en effet, Nous confirme dans Notre conviction que Dieu aime la France parce qu'il aime l'Eglise, et que, puisqu'il protège son Epouse, Il veut aussi le salut de sa fille bien aimée.

Oui, Dieu aime la France, à cause des œuvres si nombreuses qu'elle a fondées pour le salut des âmes; œuvres qui, comme les eaux d'un fleuve majestueux, répandent de tous côtés leur action bienfaisante.

Dieu aime la France, à cause des conquêtes pacifiques de ses Missionnaires intrépides, qui courent porter la lumière de la foi aux extrémités moins connues de la terre et au milieu des ténèbres de l'idolatrie.

**l'Evangile, elle a été honorée par le St. Siège des prérogatives attachées au protectorat des chrétiens en Orient. Rien ne pourra briser les liens séculaires, les liens plus que millénaires qui unissent la France au St. Siège.**

**Nous vous prions, Très Saint Père, de nous bénir, nous, nos familles, nos amis, nos œuvres.**

**Parmi ces pèlerins de France, 200 prêtres, vicaires et curés demandent pour leurs paroisses une bénédiction particulière du Pontife bien-aimé, qui a connu comme eux les labeurs du saint ministère et porté lui aussi le poids du jour et de la chaleur.**

**Bénis par vous, Très Saint Père, nous retournerons en France pleins de courage, de confiance, d'ardeur pour l'action, une action une et concordante.**

**Pour nous catholiques français, Rome, Lourdes, Montmartre, Paray-le-Monial forment un quadrilatère, qui rend inexpugnable la forteresse de notre espérance».**

Dieu aime la France, parce que, si elle n'a pas toujours correspondu à la mission qu'il lui a confiée èt aux privilèges qu'il lui accordait pour remplir cette mission, Il n'a pas laissé sans punition son ingratitude, et II l'a relevée par cette même main qui la châtiait.

Dieu aime la France, parce qu'en ces temps mêmes de proscription et d'angoisses, Il appelle ses fils auprès des sanctuaires de Montmartre, de Paray-le-Monial et de la Grotte de Lourdes, à prier, à pleurer, et à admirer les merveilles de sa toute-puissance. Dieu n'accorde des grâces pareilles qu'aux nations qu'il veut sauver.

Dieu aime la France, parce qu'il excite ses fils à manifester leur foi par le dévouement à l'Eglise, par l'attachement au Siège Apostolique et par l'amour envers le Vicaire du Christ, en les amenant, même au prix de sacrifices, auprès de la Chaire de Pierre pour entendre la parole de vérité, pour recevoir une direction dans leur œuvres, pour se ranimer dans les luttes qu'ils ont à soutenir: une nation qui a de tels fils ne doit pas périr.

Voilà, bien, très chers fils, une consolation que Nous partageons avec vous. A votre retour en France emportez avec vous, non pas seulement l'espérance, mais la certitude que N. S. Jésus-Christ, dans l'infinie bonté de son Cœur miséricordieux, sauvera votre patrie, en la maintenant toujours unie à l'Eglise, et que, par l'intercession de la Vierge Immaculée, Il fera se lever l'aurore de jours meilleurs; car ce pèlerinage si édifiant fortifiera encore davantage votre foi; il donnera un nouvel élan à votre piété et établira un grand exemple à suivre pour tous vos frères.

Avec une même affection, Nous bénissons donc la France, et tout d'abord votre noble Episcopat, qui pour les intérêts religieux et le salut des âmes déploie un zèle infatigable. Nous bénissons avec toute l'effusion de Notre âme les Vicaires généraux, les Curés et leurs paroisses, et tous les

prêtres, en priant Dieu de leur accorder les plus douces consolations dans l'exercice d'un ministère plein de fruits. Nous bénissons enfin de tout cœur vous tous, chers pèlerins, vos familles, vos amis et vos œuvres, afin que vous puissiez travailler avec un courage ardent et une pleine confiance dans le secours du Ciel. Que cette bénédiction soit une source de consolations, constantes pour tous ceux qui sont aujourd'hui présents ici, et pour ceux qui sont demeurés au loin.

PIUS PP. X

# ACTA ROM. CONGREGATIONUM

## EX S. CONGR. S. R. ET U. INQUISITIONIS

### De dispensatione militiae stabilis in Austria a lege ieiunii ét abstinentiae.

*Beatissime Pater,*

Cardinalis Archiepiscopus Viennensis ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus haec exponit:

In libello supplici de die 2 Novembris 1898 Archiepiscopus Pragensis, piae memoriae Cardinalis Schönborn, Sanctitati Vestrae humillime exposuit, Episcopos Austriae intuitu acerrimi officii militiae stabilis (id est militiae subsidiariae, ad defendendos patriae limites destinatae), quae in iure subditur curae cleri civilis, aequum existimare, ut eidem militiae stabili talis ieiunii et abstinentiae a carnibus venia detur, qualis a Sancta Sede Apostolica militiae vagae concedi solet.

Ea de causa supranominatus Archiepiscopus nomine Episcoporum Austriae humillime petiit, ut militia stabilis praecepto ieiunii et abstinentiae eodem, quo vaga militia, modo possit exsolvi.

Super hac petitione resolutio altissima Sanctitatis Vestrae hactenus non devenit.

Quum militia stabilis in exercitationibus et itineribus militaribus necnon in aliis officiis suis adimplendis easdem ac militia vaga defatigationes subire teneatur et iuxta communem probatissimorum auctorum doctrinam milites, sive in castris sive in stativis commorentur, ratione laboris a servanda lege ieiunii excusentur; Orator nomine Episcoporum Austriae devotissime petit, ut Sanctitas Vestra militiae stabili in ditione Austriaca eamdem ieiunii et abstinentiae a carnibus veniam, quae militiae vagae dari solet, gratiosissime concedat, videlicet Episcopatui Austriaco tribuere dignetur facultatem dispensandi personas militiae stabili adscriptas a praecepto ieiunii et abstinentiae Quadragesimae aliisque anni temporibus et diebus, excepta Feria VI Parasceve et Vigilia Nativitatis D. N. I. C.

*Feria VI, die 7 Septembris ipoo.*

Sanctissimus Dominus Noster Leo, Divina Providentia Papa XIII, in solita Audientia R. P. D. Adsessori S. Officii impertita, audita relatione suprascripti supplicis libelli una cum suffragiis Rmorum Dñorum Consultorum et Emorum ac Revmorum Dñorum Cardinalium, in rebus fidei et morum Generalium Inquisitorum, benigne indulsit, ut singuli Revmi Patres Domini Episcopi Austriae, pro eorum prudenti arbitrio et conscientia, ad septennium dispensare valent ab abstinentiae lege milites, *qui actu inserviunt in castris'vel praesidiis,* duobus tantum diebus* exceptis, nempe pervigilia Nativitatis D. N. Iesu Christi et feria VI in, Parasceve.; Quoad dispensa-

tionem autem a ieiunii lege nihil obstare, quominus Revmi Domini Episcopi sequantur doctrinas probatorum auctorum super exemptione militum ab ea lege ratione laboris. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

L. «f* S. I. Can. MANCINI, *S. R. et U. I. Notarius.*

Utrum liceat parvas imagines chartaceas B. M. V. deglutire ad sanitatem impetrandam.

Romae, ex S. Officio, die 3 Augusti 1903.

*Illfhe ac Rme Domine,*

Supplicibus litteris die 11 Martii huius anni signatis, quaerebat Amplitudo Tua num pro licito habendum esset parvas imagines chartaceas B. M. V. in aqua liquefactas vel ad modum pillulae involutas, ad sanitatem impetrandam, deglutire.

Re ad examen vocata, in Conventu habito die 29 Iulii p. p., Sacra haec Suprema Congregatio S. Officii, durante vacatione S. Sedis Apostolicae specialiter delegata, respondendum decrevit: *Dummodo vana omnis observantia, et periculum in ipsam incidendi removeatur, licere.*

Valeas in Domino diutissime.

IOANNES BAPTISTA LUGARI,. *Adsessor S. O.*

L. .f S.

Fr. Thomas Maria, Archiep. Seleuciae, *Com. Gen. S. O.*

R. P. D. ARCHIEPISCOPO S. IACOBI DE CHILE

**In Missa adhiberi licet aqua naturalis potabilis, quamvis acidula, gassosa aut alcalina.**

Roma, dal S. Officio, Ii **11** Agosto **1** 9 0 4 .

*Illmo e Revmo Signore,*

Con lettera de' 22 Febbraio di quest'anno, diretta all'Emo e Rmo Signor Card. Segretario di questa Suprema, la S. V. domandava se sia lecito usare nel S. Sacrificio della Messa acque naturali potabili, ma acidule, gassose od alcaline.

Per sua quiete mi affretto risponderle che non vi sono serie ragioni di dubitare in contrario.

Le auguro da Dio ogni bene e con sensi della più distinta stima mi professo

Di V. S. Illma e Riña

L. *f> S. Deviti o Servo

GIAMBATTISTA LUGARI, *Assessore del S. 0>*

All' Illmo e Riìio Signore

MONS. VESCOVO DI ANGLONA E TURSI.

**Dispositiones, caventes ne Clerici ordinentur in sacris ante expletum servitium militare, sunt praeceptivae.**

*Feria IV, 31 Augusti 1904.*

Supremae huic S. R. et U. Inquisitionis Congregationi propositum fuit enodandum sequens dubium:

An dispositiones, quibus cavetur ne clerici servitio militari subiecti promoveantur ad Ordines Maiores ante expletum ipsum servitium militare sint praeceptivae, vel tantum directivae ?

Porro in Congregatione generali coram Emis et Rmis Dñis Cardinalibus Generalibus Ihquisitoribus habita, ad praedictum

dubium, praehabito Rmorum Duorum Consultorum voto, iidem Emi ac Rmi Patres respondendum mandarunt: *Affirmative ad primam partem; Negative ad secundam* (i).

Sequenti vero feria V, die i Septembris 1904, in solita Audientia Stili D. N. Pii Div. Prov. PP. X a R. P. D. Adsessore habita, SSmus resolutionem Emorum ac Rmorum Patrum adprobavit.

L. «f* S. I. Can. MANCINI, *S. R. et U. I. Notarius.*

(i) Milites, qui actu militiae saeculari incumbunt, a sacris ordinibus prohibentur ex can. T, 2, 4 et 5 Dist. 51, ex can. un. Dist. 53 in Decreto Gratiani, necnon ex can. 82 Apostolorum. Ratio est quia vita militaris ob libertatis defectum pravosque ob mores cum statu clericali conciliari nequit.

Postremis autem temporibus servitium militare in omnibus fere regionibus, praesertim in Italia, per iniustas leges evasit obligatorium etiam pro iis, qui statum clericalem aut regularem amplecti cupiunt. Quare Congregatio S. Officii, statim ac infausta lex servitii militaris ad Italiae clericos extensa fuit, die 16 septembris 1875 Instructionem dedit Italiae Episcopis quasdam normas, cautelas et praescriptiones indicando quoad huiusmodi clericos militari servitio obnoxios, atque inter alia praecepit ut promotio ad sacros ordines differatur usque post servitii militaris expletionem; Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 23, p. 40 vel 44, n. i. Deinde die 27 Novembris 1892 S. Congregatio super disciplina Regulari analogam misit Instructionem ad Superiores Generales Institutorum Regularium Italiae pro eorum subditis circumscriptioni militari addictis, inter cetera praescribens ut professio solemnis et ad sacros ordines admissio retardari debeant post expletum militare servitium; Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 25, p. 635, n. i.

Modo quaeritur, utrum praesertim Instructio S. Officii, clericos saeculares afficiens, vim praeceptivam vel tantum directivam importet, quando disponit servitium militare explendum esse ante ordinum sacrorum susceptionem. Et S. Officium rescripsit huiusmodi dispositiones esse praeceptivas. Quod praeceptum, ni fallimur, valet pro clericis saecularibus Italiae, non autem pro aliis extra Italiam; pro quibus praefatae dispositiones vim tantum directivam habent. Eadem distinctio facere oportet relate ad clericos regulares in Italia vel extra ipsam quoad ordinationem sacram et professionem solemnem. Sane utraque Instructio ad Italiae Episcopos est directa, italico idiomate conscripta atque data fuit occasione infaustae legis a Gubernio Italico promulgatae; Cfr. Gasparri *(Tract, de S. Ordinatione, vol. I, n. 542).* Iamvero hodiernum rescriptum S. Officii est declarativum non autem extensivum praedictarum dispositionum.

Imo clerici saeculares in Italia prohibentur ad ordines maiores ascendere quando explere debent servitium militare trium vel quinque annorum, non autem

# EX S. CONGR. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

## DECRETUM

### circa dimissorias ad Ordines alumnis Congregationum votorum simplicium, certae domui non addictis, concedendas.

Cum, peculiari S. Sedis indulto, superioribus generalibus recentiorum Congregationum, in quibus vota dumtaxat simplicia nuncupantur, impertiri soleat, ad certum tempus, facultas concedendi suis subditis litteras dimissoriales ad ordines suscipiendos, ea tamen conditione, ut easdem litteras dirigant ad Episcopum dioecesis, intra cuius limites pia domus ordinandi reperitur, nisi hic abfuerit aut ordinationem non sit habiturus, nova quaedam exorta est quaestio, quae ab Emo et Rmo S. R. E. Cardinali F. M. B. Richard, Archiepiscopo Parisiensi, huic S. Congregationi Episcoporum et Regularium negotiis et consultationibus praepositae, nuper subiecta fuit.

Exposuit nempe praelaudatus Archiepiscopus non raro contingere ut huiusmodi Congregationum seu Institutorum sodales, ubi primam votorum professionem emiserint, quin

**unius tantum anni voluntarii, uti ex ipsis verbis Instructionis S. Officii clare patet ; e contra religiosi in Italia explere tenentur servitium militare etiam unius anni voluntarii ante sacram ordinationem et professionem solemnem. Item eadem S. Officii Instructio dicit *non expedire,* non autem *non licere* clericis saecularibus expostulare dilationem usque ad annum 26 ad subeundum servitium militare voluntarium unius anni vel etiam triennale, et interea ad sacros ordines promoveri; e contra statuitur pro religiosis. Pariter in Rescripto S. C. super Disciplina Regulari diei 22 Iulii 1901 (Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 35, p. 253) habetur *non expedire,* non autem *non licere* ut iuvenes clerici Italiae, qui ad exteras missiones pergere sibi proponunt, ante annum 26 aetatis solemnem professionem emittant et ad sacros ordines promoveantur, et deinde ad dictas missiones proficiscendo eximantur iuxta legem italicam a servitio militari. Demum praetereundum non est clericos, etiam in Italia, accipere primam tonsuram et ordines minores, et religiosos professionem simplicem emittere posse ante servitii militaris expletionem. *(N. R.).***

certae Instituti domui inscribantur, ad seminarium Parisiense a suis superioribus, studiorum causa, mittantur, ibique per unum aut plures annos commorentur, vitam communiter ducentes cum caeteris eiusdem seminarii alumnis. Adiiciebat autem quaesitum exinde esse ad quemnam Episcopum, pro ordinatione huiusmodi sodalium, respectivi superiores generales mittere teneantur litteras dimissoriales, magnamque hac de re obortam esse contentionem, aliis alia sentientibus; quare enixe postulabat ut auctoritate huius S. Congregationis decerneretur quid in praefatis casibus servandum sit.

Porro manifestum est tam legem veterem pro Regularibus votorum solemnium, ad rem, latam, quam recentes S. Sedis concessiones, illud uti certum praesumpsisse, quod quilibet religiosus seu Instituti alumnus alicui semper monasterio seu domui sit addictus : quod quidem, iuxta exposita, reapse non obtigit.

Itaque eadem S. Congregatio, universa rei ratione mature perpensa, decernendum censuit litteras dimissoriales, in casibus de quibus supra, dirigendas esse ad Episcopum dioeceseos, in cuius seminario praefati alumni studiis dant operam, dummodo tamen seu postquam ipsi saltem per integrum annum ibidem commorati fuerint; servata in reliquis forma ac tenore indulti respective concessi.

Facta autem de praemissis relatione SSmo D. N. Leoni div. Prov. PP. XIII in Audientia habita ab infrascripto Cardinali, die 30 Maii 1889, Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis probare dignata est, eamque uti legem ab omnibus, ad quos spectat, servari iussit, contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, ex Secretaria memoratae S. Congregationis, die 7 Iunii 1899.

L. S. S. Card. VANNUTELLI, *Praefectus.*

# MATRITEN.

## CREDITI

## De cuiusdam monasterii incorporatione atque bonorum translatione.

**Species facti.** Vi legum eversivarum, quae initio saeculi elapsi novas alumnarum receptiones monialibus in Hispania vetabant, communitas claustralem franciscanarum vulgo *de Nuestra Señora de los Angeles* civitatis Tolosae ad duas tantum sorores, Abbatissâ quoque defuncti, reducta fuit. Itaque ipsae incorporationem alicui eiusdem Ordinis monasterio a proprio Provinciali franciscano P. Espinosa postularunt; qui proinde litteris a. 1847 decrevit ut obedientiae Abbatissae conventus vulgo *de N. S. de Cbstantinopla* subiicerentur.

Interea Concordatum, inter S. Sedem et Gubernium Hispanum a. 185 I initum, statuit quod Gubernium illas tantum communitates Religiosarum approbatarum esset, quas Ordinarii dioecesani proposassent; et postea a. 1852 ephemeris officialis Regni sanxit a dictis monasteriis N. D. Angelorum et N. D. Constantinopolitanae, necnon S. Clarae unicam efformandam esse communitatem.

Cumque autem conventui N. D. Angelorum quaedam credita a Municipio Matriti essent praestanda, Praelatissa N. D. Constantinopolitanae eadem repetiit, sed eventu omnino contrario. Etenim Archiepiscopus Matriten., communitatem Angelorum veluti extinctam habens, ad tramitem Instructionis inter S. Sedem et Gubernium Hispanicum a. 1867 habitae, qua Acervo pio dioecesano bona vacantia extinctarum communitatum adiudicata sunt, ipsamet credita a Municipio Matritensi obtinuit. Tunc Abbatissa ab ipso Archiepiscopo sua iura poposcit; at dioecesana Curia pronuntiavit credita in casu restituenda non esse. Quare Praelatissa N. D. Constantinopolitanae ad H. S. C. recursum obtulit.

**Deductiones Archiepiscopi.** Eiusdem procurator fiscalis inprimis contendit duas superstites moniales N. D. Angelorum nunquam incorporatas fuisse monasterio N. D. Constantinopolitanae. Sane ex iure canonico in quolibet monasterio numerus monialium debet esse saltem duodecim, ut nempe cultus divinus in eorum ecclesiis non destituatur atque regularis disciplina conservari valeat; uti constat ex Constitutionibus Gregorii XV *Cum alias,* Urbani VIII *Romanus Pontifex,* Pii V *Circa pastoralis officii,* Gregorii XIII *Deo sacris ,* Clementis VIII *Nullus omnino,* Pauli V *Sanctissimus,* Innocentii XII *Nuper,* Innocentii X *Instaurandae ;* necnon ex Conc.Trid. *(Sess. 23, c. ß de Regularibus).* Communitas autem N. D. Angelorum, quum non possideret numerum canonicum monialium, veluti extincta censenda est, ac proinde alteri communitati aggregari aut incorporan nequit.

Insuper, prosequitur fiscalis Curiae, P. Provincialis franciscanus nulla pollebat auctoritate incorporationem peragendi, quia ipse erat Praelatus regularis, nec mandatum accepit ab Episcopo Tolosano, cui soli hoc ius pertinebat iuxta Conc. Trid. *(Sess. 23, c. 3, j, p de ReguL).*

Extat quidem relatio a Praelatissa N. D$_4$ Constantinopolitanae subscripta, quae de praefata incorporatione verbum facit, sed eiusdem authenticitas minime comprobatur ; imo omnia suadent illam ab ipsis interesse habentibus confectam fuisse, ut pensionem a Gubernio percipere valerent.

Nec opponi potest quod ad instantiam Episcopi Tolosani tres praedictae communitates in unicam a Gubernio a. 1852 unitae fuerint ; hac enim dispositione Episcopus personas ex communitatibus extinctis provenientes tantummodo ordinare intendit ; quae ordinatio inutilis foret, si vera iam adesset incorporatio.

Demum concludit fiscalis, quum ex dictis constet incorporationem in casu peractam non fuisse, legitimus haeres et repraesentans extinctae communitatis N. D. Angelorum est

Episcopus Matriten., in cuius dioecesi extabant illius bona et credita. Instructio enim inter S. Sedem et Gubernium Hispanum a. 1867 inita extinctarum corporationum bona Ordinariis dioecesanis attribuit.

**Deductiones Abbatissae.** Advocatus ante omnia observat procuratorem fiscalem confundere conceptum communitatis religiosae perfectae in ordine ad quasdam eius functiones cum conceptu entis iuridici quoad iura Instituto inhaerentia transmittenda. Utique verum est, ait ipse, quod Innocentius X Bulla *Instaurandae* suppressit monasteria minus quam 12 personas continentia, sed virorum tantum et pro Italia ac insulis adiacentibus non autem pro Hispania; Cfr. Ferraris *(Bibl. can., v. conventus, art. 2, n. ij).* Caeterum reductio communitatis ad sex tantum, iuxta Decretalem Innocentii X *Ut in parvis* subiectionem Ordinario, non autem conventus extinctionem importat.

Communitas vero uti ens iuridicum accepta repraesentari valet etiam ab unico individuo, in quo omnia Collegii iura consolidantur; Cfr. Ferraris *(ßibl. can., v. Collegium, n. f),* Bouix *(De iure Regularium, vol. I, p. ßS9)>* et omnes unanimiter doctores. Unde concludit patronus monasterium N. D. Angelorum, quippe quod sua iura in duobus superstitibus membris çonsolidaverit, eadem per legitimum incorporationis actum alteri conventui transferre poterat. Qui actus in themate intercessit. Nam duae religiosae N. D. Angelorum a. 1847 a P. Espinosa incorporationem alicui eiusdem Ordinis Instituto poposcerunt, et idem rescripsit eas subiici debere obedientiae Praelatissae conventus N. D. Constantinopolitanae.

Nec in P. Espinosa defuit legitima potestas. Sane monasterium N. D. Angelorum erat proprie dictus Ordo cum votis solemnibus, ac proinde ab Ordinarii dioecesani iurisdictione exemptum et Praelatis Regularibus subiectum. Et sub nomine Praelati Regularis non solum venit Superior Generalis, sed etiam Provincialis qui iurisdictione quasi episcopali pol-

lent; Cfr. Piat *(Praelationes iuris regul. vol. I, p. 493).* Horum autem Praelatorum potestas in sanctimonialibus subditis, uti docet Pellizzarius *(De Monialibus, c. X, sect. i, n. 38)* se extendit: « ad ea omnia, ad quae se extendit potestas Praelati regularis in viros religiosos sibi subiectos ».

Insuper Praelati Regulares monasteria sibi subiecta incorporare possunt, quia incorporatio non est nisi unionis species, uti omnes tradunt Doctores; Cfr. Wernz *(Ius Decr., vol. 2, p. 33p).* Iamvero certum est uniones pleno iure vel quasi pleno iure fieri posse a Praelatis Regularibus; quia, ut ait Barbosa *(Ius eccl. univ., vol. 2, n 39, p. 30) :* « hi Praelati possunt in suis dioecesibus *(seu in personis 1 ebusque sibi subiectis)* omnia ad iurisdictionem spectantia, quae possunt in suis Episcopi ».

Neque opponatur Institutum N. D. Angelorum, utpote duobus tantum membris constans, in iurisdictionem Ordinarii dioecesani relapsum fuisse ; nam huiusmodi iurisdictio non est exclusiva Episcopi sed cumulativa cum Praelato Regulari, uti a. 1655 S. C. super Statu Regularium decrevit. In competentia autem cumulativa datur locus praeventionis

Deinde advocatus demonstrare aggreditur decretum. Patris Espinoza veram incorporationem importare, uti ex ipsis decreti verbis apparet. Quod confirmatur ex eo quod duae superstites moniales induunt habitum proprium communitatis incorporantis ; imo quoad retinendam veterem habitus formam petitur dispensatio ab eodem P. Provinciali. Accedit quaedam communitatis relatio, quae incorporationem refert; necnon votum favorabile communitatis incorporantis, quod Praelatis Regularibus assentientibus ad maiorem conscientiae tranquillitatem a. 1851 emissum fuit.

Praeterea, prosequitur advocatus, ephemeris officialis Gubernii, approbante Archiepiscopo Tolosano, statuit a tribus conventibus N. D. Angelorum, D. N. Constantinopolitanae et S. Clarae unam tantum communitatem efformandam esse.

Proinde etiamsi defuisset vera incorporatio, haec convalidata fuit ab Episcopo Tolosano, iuxta regulam X iuris: « Ratihabitionem retrotrahi et mandato non est dubium comparari ».

Ultimo loco patrocinator probare satagit quod, etiamsi canonica incorporatio non intercessisset, haeres bonorum conventus Angelorum non Episcopus Matriten., sed conventus N.' D. Constantinopolitanae censendus est. Sane, ceteris omissis, Conventio a. 1867 attribuit Episcopis omnia bona Corporationum extinctarum, seu illarum quae ab Ordinariis pro nova approbatione propositae non fuerunt ; at communitas N. D. Angelorum, uti ex dictis constat, extincta non fuit, imo ab ipso Gubernio, Episcopo consentiente, alteri communitati unita fuit.

Tandem, concludit patronus, etiam seposita incorporatione, vi iuris communis bona N. D. Angelorum transire debuissent in potestatem Sedis Apostolicae, quae datis specialibus circumstantiis certe illa applicavisset monasterio N. D. Constantinopolitanae ; iuxta doctrinam traditam a Barbosa *(Ius eccl. univ., vol. 2, n. 6j, p. 100).*

**Dubium.** *An Episcopus Matriten, credita et relativa fenora, quae a Municipio Matritensi exegit, tradere teneatur Abbatissae monasterii N. D. Constantinopolitanae in casu.*

**Resolutio.** S. Congregatio EE. et RR., re ad examen vocata, die 12 martii 1904 respondendum censuit: *Affirmative.*

## Colliges

i°. In novis monasteriis sive virorum sive mulierum erigendis, saltem ex stylo Curiae Romanae, praeter consensum Episcopi dioecesani, requiritur quoque beneplacitum Apostolicum (i).

(I) Diximus *saltem ex stylo Curiae Romanae requiri beneplacitum Apostolicum,* quia magna controversia, licet potius theoretica quam practica, inter Doctores agitatur, utrum nempe ad nova monasteria sive virorum sive mulie-

2°. Idem dicendum venit quando agitur de incorporatione unius conventus cum alio; ratio est quia quaelibet res iisdem causis extingui debet, quibus existere incipit.

3°. Praeterea iura Instituti, uti entis iuridici, omnibus membris mortuis praeter unum, in unico superstite remanent et consolidantur.

4°. Bona autem in uno superstite consolidata, quando ipse ad aliud monasterium transit, acquiruntur a monasterio incorporante.

5°. In themate incorporatio communitatis N. D. Angelorum cum alia N. D. Constantinopolitanae ob defectum beneplaciti Apostolici ab initio invalida fuit; tamen in posterum convalidata est a Concordato inter S. Sedem et Gubernium Hispanum a. 1851 inito.

6°. Proinde etiam credita communitatis Angelorum ad aliam N. D. Constantinopolitanae transferuntur.

rum ubique locorum erigenda hodie requiratur ex lege universali beneplacitum S. Sedis. Hac de re ex recentioribus conferri possunt Bouix, *De iure Regularium*, tom. I, p. 244; Piat, *Prae!, iuris reg.*, tom. II. p. 270; Wernz, *Ius Decr.*, tom. III, p. 648, Wermeersch, *De Religiosis Institutis,* tom. I, p. 67; Mocchegiani, *Iurisprudentia eccl.*, tom. I, p. 147; *Acta S. Sedis,* vol. I, p. 708, et vol. 27, p. 6.34, etc. Sententia vero communior et omnino tenenda, quae, ipsis adversariis fatentibus, gravissimum accipit pondus ex recenti Constitutione Leonis XIII *Romanos Pontifices a.* 1881, admittit etiam ex lege scripta in omnibus regionibus licentiam Sedis Apostolicae requiri. Quae Constitutio, postquam ad iuris tramitem ostenderit necessitatem Apostolici consensus pro fundatione conventuum, ita concludit: « Quare communis hodie sententia est, cui favet passim rerum iudicatarum auctoritas, non licere Regularibus *tam intra quam extra Italiam,* nova monasteria aut conventus sive collegia fundare, sola Episcopi venia impetrata, sed indultam quoque a Sede Apostolica facultatem requiri.... His ergo de causis ad propositum dubium respondemus: *sodalibus religiosis novas sibi sedes constituere, erigendo novas ecclesias, aperiendoque coenobia, collegia, scholas, nisi obtenta prius expressa licentia Ordinarii loci et Sedis Apostolicae, non licere ».* *(N. R.).*

# EX S. CONGREGATIONE CONCILII

## MELEVITANA

### IURIS ELEVANDI ET ASSOCIANDI CADAVERA

**Contraria consuetudine abolita, ius elevandi atque associandi cadavera filianorum, in aliena paroecia decedentium, spectat ad proprium parochum.**

**Species facti.** In dioecesi Melevitana mos ab immemorabili inoleverat, ut si quis extra fines propriae paroeciae decederet, eius cadaver elevaretur non a parocho proprio sed a parocho loci decessus, qui illud associans usque ad fines suae paroeciae, tradebat deinde parocho proprio. Verum, ut refert Episcopus, post plures editas ab H. S. C. contrarias decisiones, haec consuetudo in fere tota dioecesi reprobari coepit, et parochi se conformarunt iuri communi, vi cuius defunctorum cadavera a parocho proprio elevanda et associanda sunt. Huic novae disciplinae refragati tantummodo sunt parochus loci Sliemae, qui parochiali munere ibi usque ab anno 1884 fungitur, nec non curatus paroeciae S. Iuliani a. 1891 erectae.

Quum autem a. 1900 iudex Laurentius Xuereb obierit in paroecia Sliemae, ubi rusticandi causa perrexit, Vicarius curatus S. Pauli Naufragi loci Vallettae elevavit cadaver proprii filiani et ad suam perduxit ecclesiam. Aegre id tulit parochus Sliemae, et ad sua iura tutanda huic S. C. supplicem libellum obtulit, petens ut allata immemorabilis consuetudo confirmaretur.

Episcopus, super hac re rogatus, animi sui sensum pandit, concludens reiiciendam esse oratoris petitionem, quia invocatae consuetudini obstant tum Sacri Canones, qui in ordine ad sepulturam non attendunt locum, ubi quis in extremis reiicitur, sed ubi in vivis coelesti pabulo refici consuevit; tum

S. C. Concilii decisiones praesertim vero in *Bononien.-Interpretationis rescripti,* 14 Maii 1881; tum denique nova praxis iuri communi conformis in dioecesi inducta, nemine reclamante, nisi duobus parochis Sliemae et S. Iuliani.

**Animadversiones parochi Sliemae.** Patronus thesim suam in duas partes dividit, in quarum prima discutit de praefatae consuetudinis existentia, in secunda de eius valore iuridico. Quoad primum negari non posse, ait ipse, eiusmodi consuetudinem extitisse in tota dioecesi Melevitana usque ad a. 1881, cum id apertis verbis etiam Episcopus admittat.

Quod autem haec generalis consuetudo adhuc in praesens, praesertim in paroecia loci Sliemae, perduraverit, pluribus demonstrare satagit. Re quidem vera parochus loci Attard, nemine reclamante, elevavit omnia cadavera ex manicomio intra fines suae paroeciae existenti. Item duo parochi Florianae et Portus Salutis, propter publici coemeterii communitatem , alterna vice élevant cadavera omnia hospitii centralis Melitae existentis ad quamcumque paroeciam spectantia. Quinimo, quum a. 1882 quidam parochus, ad obtinendum emolumentum pro associandis cadaveribus pauperum a Gubernio statutum, praetenderit elevare a dicto hospitio cadavera suorum filianorum; haec praetensio a Curia Melevitana fuit reiecta, utpote consuetudini iam extanti contraria.

Ipse parochus Sliemae omnia cadavera elevat ex loemocomio, et nemo ex parochis conquestus est; imo, nullo adversante , plures elevationem cadaverum alienae paroeciae, etiam Portus Salutis, peregit. Deinde, quoniam Episcopus sustinet dictam consuetudinem exolevisse, advocatus plures parochorum attestationes defert id profecto impugnantes.

Demum patrocinator concludit paroeciam loci Sliemae a. 1878 erectam fuisse, quo tempore in tota dioecesi adducta consuetudo ab immemorabili existebat, eamque usque ad praesens servasse; quapropter, etiamsi admittatur hanc consuetudinem in aliqua paroecia ex parochi indulgentia dispa-

ruisse et rem ad ius commune redasse, hoc ei profecto minime obesse, sive quia consuetudo non terram sed territorium respicit, sive quia res inter alios acta ei nocere nequit*

Secundo loco advocatus sermonem instituit de valore iuridico consuetudinis in praesenti controversia. Et in primis advertit heic non agi de praescriptione omnium iurium parochialium, quasi ageretur de parochi natura evertenda, sed tantum de iure aliquo singulari praescribendo. Iam vero quantus sit valor huius centenariae et immemorialis praescriptionis vel consuetudinis ex eo patet, quod ea praesumere facit titulum meliorem de mundo; Pitonius *(Discep. eccl., tom. I, disc, g, n. 2f).* Quare S. Rota in una *Romana-Oblationum,* 26 Ianuarii 1726, decernere non dubitavit: « etiam in actibus Ecclesiae praeiudicium divinique cultus detrimentum inferentibus (consuetudinem) plenam amplissimamque inducere cuiuscumque melioris tituli ac proinde etiam beneplaciti Apostolici praesumptionem ».

Idque potiori iure obtinere, ait patrocinator, in materia funerum, quia hoc ius non necessario connectitur cum parochialitate, cum id etiam ecclesiae non parochiali competere possit; Scarfant. *(Addit. 48, n. pp).* Unde etiam quadragenaria praescriptio suffragari potest relate ad funera, uti ait *Card. Petra (Tom. II, in Constit. IX Innoc. III, n. ff):* «Assistentia iuris pro parocho (circa funera) non habet eam vehementem iuris praesumptionem, ut non possit infringi saltem per quadragenariàm cum titulo colorato » ; idque confirmat exemplo quartae funeralis reservatae parocho proprio defuncti, quotiescumque funera ad alios pertineant; quae usque ad quartam exclusive iuxta Ferraris *(Bibl. can., v. quarta fun., n. f)* etiam decennio praescribi potest.

Hinc ex allatis auctoritatibus patronus deducit elevationem et associationem cadaveris vi immemorabilis consuetudinis potiusquam ad parochum domicilii spectare posse ad parochum loci, in quo quis fortuito fuerit defunctus. Quae theoria

generatim admittitur a canonistis ; ita Leurenius *(Forum Benef., sect. 3, c. 2, q. 4fß);* necnon Berardi *(De parocho, n.8ij)* loquens de peregrino defuncto, statuit iuxta ius commune parocho domicilii elevationem et associationem cadaveris spectare, at ponit consuetam limitationem: « excipe nisi alicubi privilegia vel consuetudines legitimae in contrarium essent, et parocho loci sive totaliter sive in parte faverent ».

Allata hucusque doctrina a S. Romanis Congregationibus firmata est; sane a S. C. EE. et RR. in *Thelesina-Iurium parochialium,* 22 Aug. 1902 (i), confirmata fuit praxis, vi cuius quaedam ecclesia non parochialis cadavera elevabat omnium defunctorum civitatis, funus et exequias peragebat. Eadem quoad funera, ratione habita consuetudinis, firmata sunt ab H. S. C. in una *S. Severi-Iuris funerandi,* die 27 Maii 1893, et in altera *Reatina-Iuris associandi cadaveris,* diei 22 Decembris 1866, cuius species non absimilis- erat a casu praesenti. Quidam Romae commorans, recrea'.ionis causa Reate se contulit, ubi in paroecia S. Iuvenalis post octo dies obiit; cum autem in Urbe sepulcrum gentilitium haberet, exorta est quaestio circa cadaveris associationem, et proposito dubio : *«An et cui competat ius associandi cadaver in casu»* responsum fuit: < *Affirmative favore parochi S. Iuvenalis* ». Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 3, p. 41-46, praesertim vero *Colliges* 3 et 4.

Demum advocatus observat nihil concludi posse contra thesim suam ex resolutione H. S. C. in una *Bononien.-Interpretationis rescripti,* die 14 Maii 1881 (2); si enim causa adiudicata fuit parochis domicilii defunctorum, non autem parocho loci intra cuius fines hospitale S. Mariae existebat, id contigit quia consuetudo non fuit sufficienter probata, et hinc nil mirum quod proposita controversia ad tramites iuris communis fuit dirempta.

(1) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 35, p. 559-562.

(2) Cfr. ibid., vol. 14, p. 346-353.

**Animadversiones parochi S. Pauli Naufragi.** Ex altera parte Vicarius curatus S. Pauli Naufragi praemittit, se toto tempore, quo parochiali munere functus est, nullo contradicente , suos parochianos in aliena paroecia demortuos elevasse ; quemadmodum omnes alii parochi egerunt relate ad suos parochianos in eius paroecia morte abreptos. Qui minime prohibuere quin et alii suos elevarent in ipsorum parochia demortuos ; solum autem parochi Sliemae ac S. Iuliani huic consuetudini obstiterunt, uti ex pluribus parochorum attestationibus liquet.

Sed neque ratio territorii, neque consuetudo ab immemorabili parochianos alienae paroeciae elevandi, parocho Sliemae suffragari potest. Non quidem ratio territorii; nam parocho ius inest funera peragendi eorum, qui in sua parochia decedunt , quos quidem, dum in vivis erant, spiritali pabulo pascere consueverat; Clem., *Dudum, de sepult.;* Reiffenstuel *(Ius-can., lib. ß, tit. 28, n. 16),* etc. Ex quibus Vicarius curatus infert, parochi iurisdictionem non territorium sed personas afficere : « Territorium cuiusque parochi est improprium, et eius iurisdictio seu potius officium non est affixum loco, quemadmodum iurisdictio Ordinariorum, sed consistit ac fundatur in persona parochianorum » ; Scarfant. *(ad Ceccop., lib. ß, add. 48, n. 8).* Proinde si aliquis in rure decedat, non a rurali sed a proprio parocho, cui ius funerandi spectat, elevandus erit.

Neque consuetudinis ratio invocari potest; quae, quamvis ab immemorabili existat, nullam iuxta ipsum contra parochialia iura vim habet. Sane in causa *Andrien.-Iurium et privilegiorum, 2* Iun. 1883 (i) et praecipue in *Baren.-Iurium, 2* iun. 1820; in *Nullius Sub lacen.-Iurium parochialium,* 29 Iun. 1825, expresse edicitur: «Parochorum iura sarta tectaque existimanda esse, non obstante quadragenaria et cen-

(1) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 16, p. 181-195.

tenaria consuetudine ». Nulla igitur, ait ipse, hac super re contraria induci valet consuetudo, quemadmodum et in caeteris iuribus mere parochialibus; Const. Pii IV in Princip. Apostolorum, ] 7 febr. 1567.

Deinde, quum in themate agatur de actibus facultativis, praescriptio locum habere nequit, etsi millenaria sit; nisi adfuerit prohibitio cum sequuta acquiescentia, uti passim tradunt auctores et videre est in S. Rota *(Dec. 255, n. 8, p. f, recent.).*

Quibus addi potest, quod Episcopus dicit invocatam consuetudinem ab a. 1881 sensim sine sensu evanuisse', et neminem circa abolitam consuetudinem reclamasse, nisi parochos Sliemae et S. Iuliani. Hinc iure videtur heic invocari posse decisionem in citata causa *Bononien.,* die 14 maii 1881 editam. Inibi enim parochus loci, in cuius finibus aderat hospitale S. Mariae de vita et morte pariter pro se quoad associationem defunctorum contra parochos domicilii invocabat consuetudinem et pluribus testium declarationibus eam. sibi favere evincebat; attamen hae in nullo pretio ab H. S. C. habitae sunt, et decisio prodiit in voto Emi Archiepiscopi, nempe standum esse iuri communi.

Insuper Vicarius curatus ad consuetudinis argumentum infringendum ab adversario allegatum, tres fingit modos, quibus ea oriri potest ; nempe vel tacitum parochorum consensum, vel quia ipsi proprio iuri nuncium miserunt, vel transactione inierunt. At primum admitti nequit, quia notum est quod : « *qui tacet et patitur, consentire non videtur in iis, quae praeiudicium afferunt».* Non secundum et tertium, quia parochi ad parochiam veniunt iure proprio, et non necessario, ac proinde a decessoribus praeiudicium ipsis inferri non potest. Sane Fagnanus *(Lib. i, de transad., cap. VIII, n. i)* et De Luca *(De iurisdict., discep. f, n. 8)* habent quod: « Transactio de rebus seu iuribus a rectore absque consensu Superioris *(videlicet Sedis Apostolicae)* facta non obligat, quia personalis est, et transigentis personam non egreditur ». Sic

etiam Card. Petra *(Ad Constit. Caelestini III, sect. A, n. 22),* loquens in specie de funeribus explendis, ait : « non posse in terminis funerum statui concordiam absque beneplacito Apostolico ».

Neque negotium facessere potest quod in themate, cum sermo sit de consuetudine immemoriali, ad eam abolendam requiratur ut praxis contraria per longum tempus invalescat; siquidem in casu agitur de consuetudine contra ius et iuxta Reiffenstuel *(Ius can., lib. I, tit. IV, n. 196)* sufficit decennium pro introductione novae consuetudinis : « Quando consuetudo posterior contra aliam consuetudinem reducit nos ad terminos iuris communis ecclesiastici, sufficere tempus decem annorum ad tollendam contrariam consuetudinem priorem, tenet Abbas, *cap. ult., n. 19, h. tit.,* etc. ». Decennium autem effluxisse ab an. 1881 usque ad praesens in comperto est.

**Dubium.** *An parocho Sliemae competat ius levandi cadavera, ducendique funus usque ad limites propriae paroeciae, eorum qui cum parochiani non sint, in eadem paroecia moriuntur in casu.*

**Resolutio.** S. C. Concilii, praedicto dubio *in folio* proposito, die 30 aprilis 1904 respondendum putavit: « *In casu standum iuri communi ».*

## Colliges

i°. Vi iuris communis cadavera filianorum, in aliena paroecia decedentium, a parocho proprio non autem a parocho loci decessus elevanda et associanda sunt.

2°. Nam sacri canones in ordine ad sepulturam non attendunt locum, ubi quis in extremis reiicitur, ?ed ubi in vivis coelesti pabulo refici consuevit.

3°. Huiusmodi autem iuris assistentia favore parochi proprii infringi potest per consuetudinem immemorabilem, vel centenariam sine titulo, aut etiam quadragenariam cum titulo colorato.

4°. Tunc enim induci nequit consuetudo contra iura parochialia, quando agitur de natura ipsa parochi evertenda.

5°. In dioecesi Melevitana vigebat consuetudo immemorabilis, vi cuius ius elevandi et associandi cadavera extra propriam mortuorum parochiam pertinebat ad parochum loci decessus.

6°. Sed haec consuetudo, approbante Episcopo et omnibus fere parochis consentientibus, abrogata fuit per novam praxim iuri communi conformem; quae proinde unice attendenda est.

# EX S. CONGREGATIONE RITUUM

## DECRETUM GENERALE

**De dispensatione a choro, qua fruuntur sive operam navantes conficiendis Processibus sive testes in Causis beatificationis et canonizationis (i).**

Ad tollendam quamvis ambiguitatem circa sensum Decretorum Summorum Pontificum Benedicti XIV et Pii VII,

(i) Iuxta Decretum S. C. R. diei 15 Septembris 1678, approbatum ab Innocentio XI et a Benedicto XIV *(Appendix XV ad lib. I de Beatif. et Canoni^., § Giudici)* «. iudices ordinarii, adiuncti vel delegati pro assistentia, quam praestant in efformandis Processibus sive Ordinariis sive Apostolicis in Causis beatificationis et canonizationis tam in Urbe quam extra ipsam, iis diebus quibus assistunt, si choro interesse tenentur, ab eodem dispensantur, et lucrantur distributiones tamquam si interessent ». Ex quibus constat tantummodo iudices a servitio chori eximi atque lucrari distributiones ordinarias seu quotidianas, aliis amissis.

Sed Pius VII die 6 Maii 1817 ad preces Postulatoris Causae Ven. Servae Dei (nunc Sanctae) Mariae Franciscae a Vulneribus D. N. I. C, indulsit « Digni-

in quibus provisum fuerat Dignitatibus omnibus et Canonicis ubique locorum, qui construendis Apostolica vel Ordinaria auctoritate Tabulis in Servorum Dei ac Beatorum Causis operam dabunt, licet a choro absentibus ea de causa, non solum quotidianas distributiones deberi, verum etiam alias omnes quocumque iure, titulo et nomine et quibusvis sub clausulis personale servitium exquirentes; Sanctissimus Do-

**tatibus et Canonicis, qui in civitate vel dioecesi Neapolitana Apostolicae inquisitioni super virtutibus et miraculis in specie dictae Ven. Servae Dei operam navabant, lucrari distributiones, nedum quotidianas, veluti Benedictus XIV edixerat, verum etiam eas omnes, quae ex legatis piis ac dispositione testatorum, Canonicorum praesentiam in choro expresse exquirunt ». Quod particulare indultum praefatus Pontifex per Decretum in** *Neapolitana* **23 Decembris 1817 extendit ad omnes et singulos Processus ubique locorum efformandos, declarans ac definiens « per modum regulae Dignitatibus omnibus et Canonicis ubique locorum qui construendis in posterum Apostolica vel Ordinaria auctoritate Tabulis in Servorum Dei ac Beatorum Causis operam dabunt, licet e choro absentibus ea de causa, nedum quotidianas distributiones deberi iuxta taxam s. m. Benedicti XIV, verum etiam alias omnes quocumque iure, titulo et nomine et quibusvis sub clausulis personale servitium exquirentes. Indultum autem atque exemptionem huiusmodi iis dumtaxat diebus locum habere voluit (Sanctitas Sua), in quibus conficiendis et adornandis inquisitionibus incumbent ». Cfr. Gardellini** *(Vol. 3, n. 454-3),* **necnon Trama** *(Manuale, pag. 40 >* at **hoc Decretum in Collectione authentica S. C. Rituum expunctum fuit; quemadmodum ab eadem expunctum fuit Rescriptum in** *Florentina* **27 Augusti 1836, qno praefatum Decretum confirmatur. Ad preces enim Ordinarii Florentini expetentes indultum, cuius vigore Canonicus quidam suae Metropolitanae incumbens constructioni Processus Ordinarii Servae Dei Reginaldae Tosetti participare valeret de distributionibus choralibus, quamvis hac de causa choro non intersit, S. Congregatio rescripsit: « Non indigere, et detur Decretum in** *Neapolitana* **diei 23 Dec. 1817, quo declaratur Dignitates et Canonicos ubique locorum qui construendis Processibus Ordinariis vel Apostolicis operam dabunt.... lucrari nedum quotidianas distributiones, verum etiam alias omnes, etc.»; Cfr. Gardellini** *(Appena. I, n. 4/(p)* **et Trama** *(Manuale, pag. 5o).* **Uti patet Pius VII Dignitatibus et Canonicis, pro conficiendis Processibus beatificationis et canonizationis a choro absentibus, praeter distributiones quotidianas seu ordinarias attribuit quoque distributiones extraordinarias sed fixas, quae** *inter praesentes* **vocantur.**

**Praeterea Leo XIII die 27 Februarii 1887 novum edidit Decretum, quod tamen in Collectione authentica desideratur, sed relatum invenitur a Fornari**

minus Noster Pius Papa X, referente infrascripto Sacrorum Rituum Congregationi Pro-Praefecto, declarare dignatus est ac statuere, ut Dignitates seu Canonici, Beneficiati aliique Chorales omnes, qui sive conficiendis praefatis Processibus tum Ordinariis tum Apostolicis operam navant, sive uti testes vocati fuerint, habeantur, intra vel extra Urbem, tamquam praesentes in Choro, mutato officio: et ideo omnia perci-

*(Codex pro Postulatoribus, Appena. VIII, B),* **quo statuitur ut « Dignitates seu Canonici qui intersunt Processibus tum Ordinariis tum Apostolicis, habeantur tamquam praesentes in choro, mutato officio; et ideo omnia percipiant emolumenta etiam eventualia ». Vi huius declarationis Dignitates seu Canonici etiam distributiones extraordinarias adventitias percipere valent. Imo idem Pontifex aliud Decretum generale die 21 Novembris I8Q3 in lucem prodidit, prout prostat in Collectione authentica sub n. 38i2, quo exemptionem a choro ac emolumentorum omnium perceptionem extendit etiam « ad beneficiatus aliosque chorales omnes, qui sive conficiendis praefatis Processibus tum Ordinariis tum Apostolicis operam navant, sive uti testes vocati fuerint ». Huiusmodi tantum Decretum in Collectione authentica habetur, quia hoc omnia alia antecedentia confirmat ac comprehendit. Huic omnino simile est hodiernum Decretum, exceptis tantummodo verbis « intra vel extra Urbem », necnon specialis clausula derogatoria « etiam speciali mentione dignis » ; quae non inveniuntur in Decreto Leonis XIII. Ex quibus proinde verbis modo superadditis deducitur ratio, propter quam promulgatum fuit nuperrimum Decretum. Sane S. C. Concilii, ad disciplinam choralem Romae instaurandam, de mandato ipsius Leonis XIII die 17 Septembris 1902 Decretum particulare pro Urbe edidit, vi cuius «omnia et singula indulta choralia. . . . privilegiis quibuscumque non obstantibus. . . .» cessare in posterum debebunt; hinc etiam operam navantes conficiendis Processibus et testes in Causis beatificationis et canonizationis in Urbe prioribus indultis expoliati videbantur. Quapropter Pius PP. X omnia privilegia et indulta iisdem denuo confirmavit.**

**Quamvis autem plures sint qui intersunt Processibus conficiendis, tamen non omnes exemptione chorali ac emolumentorum perceptione fruuntur; agitur enim heic de indulto personis concesso, quod proinde strictam admittit interpretationem iuxta illud «odia sunt restringenda». Extra dubium est quod privilegiati censendi sunt iudices sive ordinarii sive adiuncti sive delegati; item promotor fiscalis vel subpromotores; notarii, etiam adiuncti; necnon testes tum instrumentara tum ex officio tum contestes. Excluduntur vero ab indulto testes qui vocantur ultronei, qui nempe non citati ad examen accedunt ; pariter postulatores, nuncii seu apparitores, amanuenses et portitores.** ***(N. R.).***

piant emolumenta etiam eventualia. Contrariis non obstantibus quibuscunque etiam speciali mentione dignis.

Die 13 Iulii 1904.

A. Card. TRIPEPI, *P10-Praefatus.*

L. «f S.

f D. Panici, Archiep. Laodicen.. *Secretarius.*

## MURANA SEU COMPSANA

### Decretum canonizationis Beati Gerardi Maiella, laici professi e Congregatione SSmi Redemptoris.

Super dubio: « *An et de quibus miraculis post indultam eidem Beato venerationem, constet in casu et ad effectum de quo agitur* ».

Divina Sapientia, *ludens in orbe terrarum,* asserendae potentiae suae instrumentis utitur variis, iisque humano iudicio persaepe minimis, iuxta illud Apostoli : *Infirma mundi eligit Deus ut confundat fortia.* Hinc cernere est *in regno Dei,* quod est Ecclesia, maturae sanctitatis gratiam vel tenerae aetati, vel fragilitati sexus, vel humilitati conditionis, vel simplicitati mentis ineruditae saepe collatam. Huius vero rei, inter cetera quae afferri possunt, luculentissimum exemplum praebet SSmi Redemptoris Sodalitas, cuius exordia duo praesertim mirabiles viri feliciter admodum illustrarunt, *habentes donationes secundum gratiam, quae data est, diferentes* (S. Paul, ad Rom. xn, 6); alter eius Familiae Pater, idemque Ecclesiae Doctor Alphonsus Maria de Ligorio ; alter huius aequalis ac socius contubernii, sed famulatui addictus, adolescens nullo sacro ordine insignitus, nullis opibus, nulla humana doctrina instructus, Ven. Frater Gerardus Maiella.

Is patriam habuit Muranam urbem editusque in lucem est die sexta mensis aprilis anno MDCCXXVI. Eius pueritiam tam matura exornavit pietas, tam vehemens ardor in eae-

lestia, tam mira se afflictandi pro Christo cupiditas, ut veteres eremi incolas videretur ipse, annorum vix decem vitae, poenitentia exaequare. Ob rei familiaris angustias paternam sectari industriam brevi coactus in artem sartoris incubuit; in qua, quum ceteris virtutibus, tum patientia maxime in exemplum enituit, nactus in officina contumeliarum tentationem ac verberum.

Inter haec, desiderio succensus perfectioris vitae degendae a profanis rumoribus et periculis prorsus remotae, Franciscales capulatos enixe rogavit ut in eorum Societatem reciperetur; sed voti compos minime factus, quod ipsum ex oris squalore imparem iudicassent sustinendae severioris Instituti disciplinae, adscito sibi comite in eremum confugit. Inde etiam, parendi causa, brevi avulsus in famulatum se dedit Laquedoniensis Episcopi. Quo mortuo, inter Sodales novae Congregationis SSmi Redemptoris, post iteratas instantissime preces, in Deliceti collegium tandem exceptus est. Ibi auctae in dies sanctitatis illud etiam certissimum indicium fuit, quod votum ediderit omnium difficillimum, peragendi semper quod optimum videretur. In sui autem officii muneribus, maxime ex occasione colligendae stipis et comitandi sacerdotes sacris missionibus destinatos, eam vim caritatis exeruit, iis inclaruit caelestibus donis atque prodigiis, adeo popularem sibi gratiam conciliavit, ut plane constiterit pleniorem ex agro Domini messem ipsum retulisse, quam sacri ordinis viros, quos ad verbi divini ministerium missos prosequebatur. Post varias provinciae suae urbes ingenti cum fructu populorum peragratas, meritis onustus aç Deiparae praesentia in extremis roboratus, obiit sanctissime in oppido Caposele, nondum expleto aetatis suae anno tricesimo; ac novum sane, idque profecto mirum, argumentum praebuit, de virtute illa, qua suos alumnos ad praestantiora educunt Religiosae Familiae, quas eximiis indesinenter laudibus Apostolica Sedes prosequitur, quasque idcirco Ecclesiae osores odio et infensis omne

genus persecutionibus impie, hac nostra potissimum tempestate, insectari non desinunt.

Tanti viri memoria eiusque sanctitatis ac prodigiorum fama ad haec usque tempora viguit pene recens: ex quo forte videri potest, de Beatorum Caelitum honoribus eidem decernendis serius quam par erat fuisse cogitatum. Sed maturior cura provehendi cultus Beati Patris legiferi Alphonsi Mariae de Ligorio causam filii retardavit. Interim vero patratis ab eo miraculis plurimis, vel quum in vivis ageret, alia accessere post eius excessum. Quibus rite probatis, Leo XIII fel. rec. solemni et publico cultu, qui Beatos decet, eum honestandum indulsit (i). Mox instantibus adhuc Sodalibus a SSmo Redemptore ut res denuo ageretur et fastigio gloriae imposito in Sanctorum album B. Gerardi nomen accenseretur, causae reassumpto indulta est (2), praesertim cum bina vulgarentur, eius intercessione patrata miracula.

Horum primum contigit in dioecesi Leodiensi anno millesimo octingentesimo nonagésimo tertio. Valeria Baerts, exhaustis omnino viribus, in supremo vitae agone iacebat ex febri typhoidea ad ultimum stadium perducta et meningiti cerebrali consociata. Humana praesidia iam nulla erant. Votum rite concipit, seque B. Gerardi tutelae commendat, vires pristinas sic recepit ut si nunquam vel levissimo tentata morbo fuisset.

Secundum miraculum accidit anno millesimo octingentesimo nonagésimo sexto. Litteris operam dabat in Seminario Compsano Vincentius De Geronimo adolescens annos quindecim natus, quum incidit in morbum; qui dum ingravesceret in dies magis, aegrotus in ultimum periculum est adductus. Nihil medicorum vel peritissimorum ars, diligentia, industria profuit ad eum sublevandum; indicia quidem omnia fatalis morbi certum exitium denunciabant. Pectori aegrotan-

(1) **Cfr.** *Acta S. Sedis,* **vol.** 25, **p.** 189.

(2) **Cfr. ibid., vol.** 26, **p.** 178.

tis sacrae B. Gerardi reliquiae admoventur, statimque somno refectus infirmus mirum ! evigilat ac sanus est.

De quibus miraculis, quae sequestro B. Gerardo fuerunt patrata, quinquies actum; nempe duplici antepraeparatorio coetu apud cia. me. Cardinalem Caietanum Aloisi-Masella S. R. C. Praefectum, Causaeque Ponentem, sexto idus Novembres anno MDCCCXCVIII , et resumpta causa octavo cal. Décembres MDCCCCIII penes Rmum Card. Dominicum Ferrata Causae Relatorem in Cardinalis Aloisi-Masella vita defuncti locum suffectum : duplici praeparatorio conventu in Vaticanis Aedibus quarto calendas septembres anno MDCCCXCIX et pridie cal. Iunias volventis anni; demum in generalibus comitiis coram Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa X habitis septimo calendas augusti eodem anno. Qua in postrema Congregatione idem Rmus Cardinalis Dominicus Ferrata quum dubium proposuisset: *«An et de quibus miraculis, post indultam eidem Beato venerationem, constet in casu et ad effectum de quo agitur»,* atque omnes qui interfuere Rmi Cardinales, et Patres Consultores affirmativam sententiam edidissent, Beatissimus Pater mentem suam patefacere distulit, ut in tam gravi difficilique negotio tempus precationi esset ad caelestis luminis ampliorem opem expostulandam.

Hoc autem faustissimo die, quo omnes ingenti laetitia gestire videntur ob gloriam divinae Matris in caelum evectae, idem SSmus Pater Sacris in suo sacello pientissime operatus, hanc Vaticanam nobiliorem aulam adiit et Rmos Cardinales acciri iussit Aloisium Tripepi S. R. C. Pro-Praefectum, atque Dominicum Ferrata Causae Ponentem, nec non R. P. Alexandrum Verde Fidei Promotorem -, meque insimul infrascriptum a Secretis, iisque adstantibus solemni sanxit decreto: *« Constare de duobus propositis miraculis »* ; scilicet de primo : *«Instantaneae perfectaèque sanationis Valeriae Baerls in supremo vitae agone constitutae ex febri typhoidea ad extremum stadium perducta et meningiti cerebrali consociata »* ; et de

altero: *«Instantaneae perfectaeque sanationis Vincentii De Geronimo a lethali pleuritide exsudativa ».*

Hoc insuper Decretum evulgari, et in S. R. C. Acta referri mandavit xvni calendas septembres anno millesimo noningentésimo quarto.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L.«|» S.

f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarins.*

ROMANA SEU PRAENESTINA ET TRIDENTINA

**Decretum beatificationis et canonizationis Ven. Servi Dei Stephani Bellesini, Ordinis Eremitarum S. Augustini, parochi in oppido Genestano.**

Super dubio : « *An stante approbatione virtutum et duorum miraculorum* Tuto *procedi possit ad solemnem eiusdem Ven. Servi Dei beatificationem ».*

Quae ab Apostolo Paulo *falsi nominis scientia* appellatur, et effrenis vitae licentia, quae tentât praesertim iuveniles animos ab Ecclesiae complexu divellere, sunt hae potissimum artes, vel nostris temporibus, in catholicae religionis odium conversae. Ex quo facile intelligitur, quanti momenti sit, ad utrumque periculum deprecandum, magistri opera et parochi, quam bene de christiana republica sint meriti qui in alterutro ministerio, multoque etiam magis in coniuncto, laudem attigerint maximam; quam denique opportune et huiusmodi praesidia suscitet Deus et haec exempla ad imitandum proponat Ecclesia. Ex talium virorum numero est Augustinensis Eremitarum Familiae novum ornamentum, Ven. Dei Servus Stephanus Bellesini.

Huius vita, ad pietatem omnem composita super fundamento caritatis, diuturno ac vere frugifero magisterio spectabilis est, quod, converso in publicam utilitatem exsilio suo,

iuventuti impertivit *in omni sapientia et intellectu spiritali* (Coloss. I, 9). Quare mirum non est si eum populus, si publici magistratus instanter exquisiverint summisque laudibus cumularint, si invidia eorum exarserit, qui catholicum perosi nomen, doctrinae patrimonium ipsi sibi vindicant solis. Pacatis autem tempestatibus, quas gallici motus etiam in Italiam invexerant, et religiosis Familiis restitutis, Ven. Dei Servus a divina Providentia datus est oppido Genestano parochus, seu potius *pastor bonus, qui animam suam dat pro ovibus suis.* Nam, quum summa animi et corporis contentione laborasset ut reliquias tot maiorum destruere!, quum omnium admirationem concitasset exemplo suo *in verbo, in conversatione, in caritate, in fide, in castitate* (I Tim. IV, **12),** quum collatis beneficiis plurimis cor ostendisset mensurae expers, quale de Salomone legitur: *quasi arenam, quae est in littore maris,*, tandem lue correptus ministrando victima cecidit no-, buissima caritatis iv Non. Februarii an. MDCCCXL.

Insignibus hisce virtutum exemplis, quas heroicum culmen attigisse edito sanxit decreto Leo Papa XIII fel. rec. pridie idus Maias anno MDCCCXCVI (1), quum iubar miraculorum accessisset, causa denuo agitata est et super duobus miraculis actio rite instituta, quo de utroque miraculo SSmus Dominus Noster constare decrevit octavo cal. iulii labentis anni **(2).**

Unum inquirendum supererai utrum Beatorum Caelitum honores Ven. Dei Servo Stephano Bellesini *Tuto* decerni possent. Itaque in coetu universo S. Rituum Congregationis habito coram SSmo D. N. Pio Papa X septimo cal. huius mensis Augusti, Rmus Cardinalis Aloisius Tripepi S. R. C. Pro-Praefectus loco et vice Rmi Card. Vincentii Vannutelli causae Relatoris, discutiendum dubium proposuit: *«An stante ap-*

**(1) Cfr.** ***Acta S. Sedis,*** **vol.** 28, **p** 689.

(2) **Cfr. ibid., vol.** 37, **p; 11** 3.

*probatione duorum miraculorum* Tuto *procedi possit ad solemnem Ven. Servi Dei Stephani Bellesini beatificationem».*

Quamvis Rmi Cardinales et PP. Consultores unanimi suffragio *Tuto* fieri posse respondissent, nihilominus Beatissimus Pater mentem suam aperire distulit, ut diuturnis precibus caeleste lumen effiagitaretur.

Hodierno vero laetissimo die, quo Beata Dei Mater caelum est ingressa, Salutari Hostia ferventer oblata, ad Vaticanas Aedes accivit Rmum Cardinalem Aloisium Tripepi S. R. C. Pro -Praefectum, loco etiam Rmi Card. Vincentii Vannutelli Episcopi Praenestini causae Relatoris, itemque R. P. Alexandrum Verde S. Fidei Promotorem et me infrascriptum Secretarium, iisque adstantibus solemni decreto sanxit: «Tuto*procedi posse ad solemnem Ven. Servi Dei Stephani Bellesini beatificationem ».*

Quod Decretum publici iuris fieri, et in Acta S. R. Congregationis referri, Litterasque Apostolicas in forma Brevis de beatificationis solemnibus in Patriarchali Basilica Vaticana, ubi primum licuerit, celebrandis expediri iussit decimo octavo calendas Septembres anno MCMIV.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. ✠ S.

f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

## MURANA SEU COMPSANA

**Decretum canonizationis Beati Gerardi Maiella, laici professi e Congregatione SSmi Redsmptoris.**

Super dubio : « *An stante approbatione duorum miraculorum* Tuto *procedi possit ad solemnem eiusdem Beati canonizationem ».*

Qui humilem et abditam in Christo vitam degentes nihil antiquius habuerunt, quam ut *mortificationem eius in corpore*

*suo circumferrent*, eos Caelitum honoribus augere solet Ecclesia, ut *glorietur frater humilis in exaltatione sua* (S. Iac. Ep. Cath. I, 9). Inter hos est accensendus Ven. Dei Servus Gerardus Maiella, laicus professus e Congregatione SSmi Redemptoris, Murana in urbe ortus anno MDCCXXVI, piis parentibus, sed paupere censu. Ab ineunte aetate singulari studio pietatis enituit, eoque impetu amoris in Deum actus est, ut non dubitarit asperrimum vitae genus amplecti et ardua virtutis sequi fastigia, sive intra domesticos parietes, sive in officina, ubi in artem sartoriam incubuit, sive in silvestri secessu, quo, ut melius aeternae saluti consuleret, advolavit, sive in famulatu quem egit apud Episcopum Lacedoniae.

Inter Sodales cooptatus novae Congregationis a SSmo Redemptore adeo industrem ac ^solertem operam dedit hominibus Christo lucrandis, ea caritate in pauperes, in devios flagravit, ut, quamvis non e numero Apostolorum, sed vilioribus addictus officiis in domo Domini, Apostolum se utilissimum probaverit. Idem virtute prodigiorum maxime claruit, quibus cum vitae innocentia summáque animi demissione coniunctis commotae gentes omnis ordinis et conditionis, eum quotidie petebant, aventes ipsum intueri, ipsum audire, ab eo vitae sancte instituendae et praecepta haurire et exempla. Obiit integra aetate, tricesimo vitae suo anno nondum expleto, quem propterea laus illa decet: *Consummatus in brevi explevit tempora multa.*

Mortuum fama sanctitatis constanter est prosequuta simulque populorum fiducia, eundem apud Deum fore intercessorem validissimum. Cui confirmandae quum miracula accessissent eaque fuissent rite probata, Leo XIII fel. rec. Caelitum Beatorum honores illi asseruit. Mox causa denuo agitata, actioque de binis miraculis iuridice exhibitis et sedulo expensis instaurata SSmus Dominus Pius Papa X decimo octavo cal. septembres volventis anni de utroque constare

rite edixit (i). Quocirca ut causae tot iam instructae praesidiis optatissimum imponeretur culmen, recensque cunctis virtutum lumen ad imitandum praesto esset, nihil aliud institutae disceptationi supererai nisi ut de dubio ageretur: *«An, stante approbatione duorum miraculorum* Tuto *procedi possit ad solemnem Beati Gerardi canonizationem* ». Quod praestitit Rmus Cardinalis Dominicus Ferrata Causae Relator in generalibus comitiis coram eodem Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa X, hoc vertente anno, septimo calendas sextiles ad Vaticanas Aedes coactis. Omnes qui interfuere quum Emi Cardinales, tum huius Sacrorum Rituum Congregationis Patres Consultores, unanimi quidem consensione, affirmativum tulere suffragium. Sanctissimus vero Dominus Noster, omnium sententiis .perceptis, pro rei gravitate, monitos voluit cunctos ut preces impensius adhiberentur quae caeleste sibi Spiritus Sancti lumen auxiliumque efflagitarent.

Hodierno igitur die, qui Mariae sanctae Dominae Nostrae sideribus receptae festus recolitur, votis universae Congregationis SSmi Redemptoris impletis, Sacro pientissime peracto, acciri mandavit Rmos Cardinales Aloisium Tripepi S. R. Congregationis Pro-Praefectum et Rmum Cardinalem Dominicum Ferrata Causae Ponentem, nec non R. P. Alexandrum Verde Sanctae Fidei Promotorem, mecum insimul infrascripto Secretario , iisque adstantibus solemniter pronunciavit : « Tuto *procedi posse ad solemnem Beati Gei'ardi Maiella canonizationem ».*

Atque hoc Decretum publici iuris fieri et in Acta Sacrorum Rituum Congregationis referri, litterasque Apostolicas sub plumbo de canonizationis solemniis in Patriarchali Basi-

(i) **Cfr.** *Acta S. Sedis,* **vol.** *ij,* **p. 262. Uti patet, eodem die festo Virgini Mariae in caelum assumptae sacro SSmus D. N. Pius PP. X edidit Decretum super approbatione miraculorum, necnon aliud super** *Tuto* **canonizationis B. Gerardi Maiella.** *(N. R.).*

lica Vaticana quandocumque celebrandis expediri praecepit, decimo octavo calendas Septembres anno MCMIV.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. ^ S.

f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

# EX S. C. INDULGENTIARUM ET SS. RELIQUIARUM

## Conceditur indulgentia recitantibus precem in honorem B. M. V. Reparatricis.

*Beatissimo Padre,*

La Superiora Generale delle Religiose di Maria Riparatrice, prostrata umilmente al bacio del S. Piede, implora dalla benignità della S.V. una, qualche Indulgenza per la recita della seguente

ORAZIONE IN ONORE DI MARIA RIPARATRICE.

Vergine Immacolata, rifugio dei peccatori, Voi, che per riparare le ingiurie fatte a Dio e il male arrecato all' uomo dal peccato, vi rassegnaste alla morte del vostro Divin Figlio, siateci propizia sempre, e nel cielo, ove regnate gloriosa, proseguite in favor nostro la vostra opera di zelo e di amore. Noi vogliamo essere i figli vostri ; addimostratevi ancor Voi Madre nostra. Ottenete da Gesù, il Riparatore Divino, che, applicando alle anime nostre il frutto della sua passione e morte, ci liberi dai legami delle nostre iniquità. Sia Egli luce nostra in seno alle tenebre, nostra forza nelle debolezze, nostro soccorso in mezzo ai pericoli ; e dopo averci confortati con la sua grazia e col suo amore nel tempo, ci con-

ceda di amarlo, di vederlo e di possederlo nelF eternità. Così sia (i).

Che della grazia ecc.

SSmus Dnus N. Pius PP. X, in Audientia habita die 24 Augusti 1904 ab infrascripto Cardinali Praefecto S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, omnibus Christifidelibus corde saltem contrito ac devote recitantibus supra relatam orationem benigne concessit indulgentiam, defunctis quoque applicabilem, bis centum dierum, semel in die lucrandam. Praesenti in perpetuum valituro, absque ulla Brevis expeditione. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 24 Augusti 1904.

A. Card. TRIPEPI, *Praefectus.*

L. «f S.

f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

**(i) (Versio).** *Beatissime Pater* - **Superiorissa Generalis Religiosarum Mariae Reparatricis, ad osculum S. Pedis humiliter provoluta, petit a S. V. ut concedere, dignetur aliquam indulgentiam quum recitatur sequens**

*Oratio in honorem Mariae Reparatricis.*

**Immaculata Virgo, refugium peccatorum, tu qui ad resarciendas iniurias Deo irrogatas et malum homini illatum a peccato, mortem divini Filii tui sustinuisti, semper propitia esto nobis, atque in coelo, ubi gloriosa regnas, pro nobis tuam zeli et amoris operam prosequere. Nos filii tui esse volumus, Mater nostra tu nobis quoque ostende. Impetra a divino Reparatore Iesu, ut animabus nostris fructum suae passionis ac mortis applicando, a vinculis nos liberet iniquitatum nostrarum. Sit ille lux nostra infra tenebras, nostrum robur in infirmitatibus, auxilium nostrum in periculis; et postquam nos consolaturus erit gratia sua et sui amore in tempore, nobis concedat eum diligendi, videndi ac possidendi in aeternitate. Amen.**

## Indulgentia largitur « Coronae stellarum viventium » in honorem B. M. V. Immaculatae.

*Beatissimo Padre,*

Suor Elena Guerra, Superiora dell' Istituto di S. Zita in Lucca, prostrata ai piedi della S. V., umilmente supplica che voglia degnarsi di annettere qualche indulgenza alla *Corona di stelle viventi* in ossequio all' Immacolato Concepimento di Maria come prezioso ricordo di questo santo Giubileo, consistente nel dare qualche limosina pel riscatto dei fanciulli della Cina o dell'Africa e nel recitare un' *Ave* colla invocazione : *O Maria Immacolata dèh ! soccorrete a noi ed ai fanciulli infedeli/* — Che ecc. (1).

*Ex Audientia SSmi, die 2 Septembris 1904.*

SSmus, auditis expositis, omnibus Christifidelibus qui, aliqua stipe pro opere praefato infra annum erogata, quoties praedictas preces corde saltem contrito recitaverint, indulgentiam centum dierum, animabus etiam in Purgatorio detentis adplicabilem, benigne concessit in perpetuum absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus. In quorum etc.

L. S. CASIMIRUS Card. GENNARI.

Praesentis concessionis authenticum exemplar transmissum fuit ad hanc Secretariam Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae. In quorum fidem etc.

Datum Romae ex eadem Secretaria die 9 Septembris 1904.

L. S. f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

(1) (Versio). Soror Elena Guerra, Superiorissa Instituti S. Zitae in civitate Luca, ad pedes S. V. provoluta, humiliter petit ut quamdam indulgentiam concedere dignetur *Coronae stellarum viventium* in obsequium Immaculatae B. M. V. Conceptionis veluti pretiosam memoriam huius sancti Iubilaei, quae consistit in alicuius eleemosynae erogatione pro redemptione puerorum Cinae vel Africae, atque in recitatione unius *Ave* cum invocatione: « *O Maria Immaculata succurre nobis et infidelibus pueris ! »* Quod etc.

## SUMMARIUM

## Indulgentiarum, Privilegiorum ac Indultorum, quae Cooperatoribus Sodalitatis Salesianae tributa sunt.

### I. INDULGENTIAE PLENARIAE

*A)* Cooperatoribus Sodalitatis Salesianae confessis ac S. Synaxi refectis, qui aliquam ecclesiam seu publicum sacellum devote visitaverint, ibique pias ad Deum preces fuderint iuxta mentem Summi Pontificis :

i°. Die quo Cooperatorum coetui nomen dederint;

2°. Semel in mense, die cuiusque arbitrio eligendo;

3°. Item semel in mense, quo die *2ià conferentiam* convenerint ;

4°. Semel pariter in mense, quo die exercitium « *Bonae mortis* » nuncupatum peregerint ;

5°. Die,- quo prima vice sese SSmo Cordi Iesu consecraverint ;

6°. Quoties per octo dies continuos spiritualibus exercitiis vacaverint.

*B)* Sequentibus festis diebus, si eadem pietatis opera praestiterint :

i°. SSmae Trinitatis; 2°. Nativitatis; 3°. Circumcisionis; 4°. Nominis; 5°. Epiphaniae; 6°. Transfigurationis D. N. I. C; 7°. Paschatis Resurrectionis; 8°. Adscensionis; 9°. Pentecostes; io°. SSmi Corporis Christi; ii°. Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C; 12°. Dominica Palmarum; 13°. Inventionis, et 14°. Exaltationis S. Crucis; 15°. S. Familiae Iesu, Mariae, Ioseph; 16°. Immaculatae Conceptionis; i7°. Nativitatis ; 18°. Praesentationis ; 19°. Annuntiationis; 20°. Desponsationis; 21°. Visitationis; 22°. Purificationis; 23°. Assumptionis; 24°. et-25'°. Septem Dolorum (feria VI post Dominicam Passionis et Dom. III Septembris); 26°. Sacri Cordis;

27°. S. Nominis; 28°. SSmi Rosarii; 29°. Maternitatis; 30°. Puritatis B. Mariae V.; 31°. eiusdem B. V. a Monte Carmelo; 32°. Apparitionis et 33°. Dedicationis S. Michaelis Arch.; 34°. S. Ioannis Baptistae; 35°. Cathedrae S. Petri Romae, et 36°. Antiochiae; 37°. Conversionis, et 38*. Commemorationis S. Pauli Ap.; 39°. Sanctae Caeciliae Virg. et Mart.; 40°. S. Rochi Conf.

*C)* Quoties Cooperatores *Pater, Ave* et *Gloria Patri* quinquies pro incolumitate rei christianae et semel ad mentem Summi Pontificis recitaverint, lucrantur omnes indulgentias Stationum Urbis, Portiunculae, Ierusalem et S. Iacobi in Compostella, servato tamen Decreto S. C. Indulg. diei 7 Martii 1678, quod incipit *Delatae saepius* (i).

*D)* Tandem in mortis articulo, si confessi et S. Synaxi refecti vel saltem contriti, SSmum Iesu nomen ore, si potuerint, sin minus corde, devote invocaverint.

## II. INDULGENTIAE STATIONALES

Diebus Stationum in Missali Romano descriptis Cooperatores quamcumque ecclesiam vel publicum sacellum visitantes, ibique ad mentem Summi Pontificis orantes, easdem indulgentias consequuntur, quas lucrarentur, si ecclesias Urbis vel extra Urbem in eodem Missali recensitas praefatis diebus personaliter visitarent, dummodo cetera opera iniuncta praestiterint.

(i) HOC enim Decretum, postquam indulgentias apocryphas retulerit ac damnaverit, ad rem nostram ita prosequitur: « Indulgentias vero Stationum Urbis, quae a Romanis Pontificibus singulari quodam beneficio vel communicatae sunt, vel communicabuntur interdum aliquibus locis, Ordinibus aut personis, diebus tantum Stationum in Missali Romano descriptis suffragari posse declarat: semel autem dumtaxat in die plenariam indulgentiam in certos dies ecclesiam visitantibus concessam, vel aliud pium opus peragentibus, lucrifieri ». *(N. R).*

III. INDULGENTIAE PARTIALES

*A) Septem annorum totidemque quadragenarum* Cooperatoribus corde saltem contritis:

i°. Quoties consecrationem SSmo Cordi Iesu renovaverat;

2°. Quoties alios modum SSmo Missae Sacrificio ministrandi docuerint;

**3°.** In singulis feriis VI Quadragesimae quinquies *Pater, Ave* et *Gloria Patri* in memoriam Passionis D. N. Iesu Christi recitaverint.

*B) Tercentum dierum* quoties aliquod opus pietatis vel caritatis, corde saltem contriti, exercuerint.

*Omnes et singulae indulgentiae hucusque recensitae, excepta tamen plenaria in mortis articulo lucranda, stint etiam applicabiles animabus defunctorum in Purgatorio degentium.*

IV. PRIVILEGIA

i°. Missae omnes, quae celebrantur a quocumque Sacerdote in suffragium Cooperatorum defunctorum sunt semper et ubique privilegiatae.

***2°.*** Sacerdotes Cooperatores gaudent indulto Altaris privilegiati personalis tribus in qualibet hebdomada diebus, dummodo tamen simile indultum pro alia die non obtinuerint.

**3°.** Sacerdotes Cooperatores, qui Directorum Dioecesanorum munere funguntur, dummodo ad sacramentales confessiones, excipiendas sint approbati ac de consensu Ordinarii, gaudent facultate :

*d)* Benedicendi extra Urbem, privatim quandocumque, publice vero tempore tantummodo Adventus, Quadragesimae , SS. Missionum et spiritualium exercitiorum , quo conciones ad populum habebunt, Coronas, Rosaria, Cruces, Crucifixos, parvas sta-

tuas ac S. Numismata, eisque applicandi *Indulgentias Apostolicas*, necnon applicandi Coronis precatoriis Indulgentias a S. Birgitta nuncupatis;

*b)* Impertiendi cum Crucifixo et unico Crucis signo in postrema concione Adventus, Quadragesimae, SS. Missionum et spiritualium exercitiorum Papalem Benedictionem cum adnexa plenaria indulgentia lucranda a fidelibus, qui confessi ac S. Synaxi refecti postremae eidem concioni interfuerunt, et quinque saltem dictorum Sacerdotum conciones iisdem temporibus audierint ;

*c)* Impertiendi Christifidelibus morti proximis, servatis forma et ritu Constitutionis *Pia Mater* s. m. Benedicti XIV, benedictionem cum adnexa plenaria indulgentia, lucranda ab iisdem Christifidelibus, si iuxta praefatam Constitutionem rite dispositi fuerint.

V. INDULTA

i°. Cooperatores, si sint infirmi vel convalescentes, nec possint commode e domo egredi, indulgentias supra relatas lucrantur/ si quinquies *Pater, Ave* et *Gloria Patri* etc., loco visitationis ecclesiae, recitaverint.

2°. Cooperatores commorantes in locis, ubi nulla extet ecclesia Sodalitatis Salesianae, lucrari valent indulgentias iisdem ecclesiis a Romanis Pontificibus elargitas , respectivam parochialem ecclesiam visitando, ceteris servatis servandis.

**3°.** Cooperatores in Seminariis, Collegiis aliisque communitatibus degentes, tam indulgentias Cooperatorum coetui proprias, quam eas, quae ecclesiis Sodalitatis Salesianae concessae sunt, acquirere possunt, si ecclesiam vel, hac deficiente, privatum sacellum suae domus, ceteris adimpletis conditionibus, visitaverint.

DECRETUM

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita , utendo specialibus facultatibus a SSmo Dno Nostro Pio PP. X sibi tributis, Indulgentias, Privilegia et Indulta in praecedenti Indice recensita favore Cooperatorum Sodalitatis Salesianae benigne confirmavit, vel de novo concessit ; ea tamen iisdem Cooperatoribus, tam Sacerdotibus quam laicis, iniuncta conditione, ut ipsi, si praefatis spiritualibus gratiis gaudere velint, quotidie recitent Orationem Dominicam cum Angelica Salutatione et *Gloria Patri* etc., iuxta mentem Summi Pontificis, addita invocatione: «ó*. *Francisée Salesi, ora pro nobis* » ; simulque mandavit, ut in posterum praedicti Cooperatores earum tantummodo participes sint Indulgentiarum, iisque potiantur Privilegiis ac Indultis, quae in supra proposito Indice referuntur. Quam concessionem eadem Sacra Congregatio perpetuis quoque futuris temporibus valituram esse voluit, absque .ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 2 Octobris 1904.

A. Card. TRIPEPI, *Praefectus.*

L. «i* S.

Pro R. P. D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretario*

Iosephus M. Can, Coselli, *Substitutus.*

# EX S. CONGR. VISITATIONIS APOSTOLICAE

## Visitatio Apostolica Urbis eiusque Districtus a SSmo D. N. Pio Papa X Bulla « Quum arcano Dei consilio » diei II Februarii 1904 indicta (i).

### Pei Monasteri, Conventi e altre Case Religiose.

*Quesiti che si propongono ai Superiori ed alle Superiore di tutti i Monasteri, Conventi ed altre Case Religiose, ai quali dovranno rispondere con tutta verità, e colla maggiore chiarezza e precisione.*

*Una copia di questi quesiti, colle rispettive risposte, sarà depositata nell' archivio proprio della casa ; l'altra sarà trasmessa all' filmo e Rmo Mons. Segretario, presso gli Uffici della Congregazione della Sacra Visita Apostolica nel palazzo della Cancelleria, non più tardi del fi Maggio p. v.*

*N. B. La copia da trasmettersi a Mons. Segretario dovrà essere firmata in fine dal Superiore e dai Consultori, 0 dalla Superiora e dalle Consigliere.*

*Se per dare una completa relazione sullo stato dell' Istituto si avessero notizie non previste in questi quesiti, esse si potranno aggiungere in uno 0 più fogli a parte.*

1. Quale è la denominazione del Monastero, del Convento o della Casa? Quando, da chi, con quali mezzi venne aperto? Con quale autorizzazione?

2. Il fabbricato è proprio dell' Istituto? A chi è intestato? *Se è preso a pigione,* a chi appartiene la Casa? Quanto si paga per pigione? *Indicare la via, il numero e, se occorre, il piano.*

**3.** Il fabbricato è sufficiente al bisogno? Occorrono riparazioni? Quali? Chi, nel caso, è tenuto a provvedervi?

(i) **Cfr.** *Acta S. Sedis,* **vol. 3y, p.** 202.

4. Nella vicinanza dell' Istituto vi sono abitazioni, negozi, officine che recano distrazione o disturbo alla comunità? Vi hanno finestre o balconi o terrazze di inquilini vicini, da cui si possa prospettare nel fabbricato ?

5. Da chi venne fondato 1' Ordine, la Congregazione o l'Istituto a cui appartiene la Casa? Quando, dove? Dove è la Casa Generalizia ? Chi presiede presentemente a tutto F Istituto ?

6. L' Ordine o la Congregazione è approvato ? Quando e da chi? Ha costituzioni proprie? Furono approvate? Quando ? Da chi ?

7. Quale è lo scopo principale dell' Istituto? Questo scopo viene tuttora raggiunto? Non venne cambiato mai ?

8. L' Istituto è di voti solenni o di voti semplici ? *ad tempus* o perpetui ? Questi si rinnovano ? Quando ?

9. La Casa è soggetta all' Ordinario? Se no, 1' esenzione è per diritto comune dei Religiosi, o in forza di qualche particolare privilegio ?

10. L' Istituto o la Casa ha il proprio Protettore? Chi è, quando e da chi nominato ?

11. L'Istituto è di clausura? Quale? Come viene osservata? Intervenne mai qualche dispensa? Quando, perchè, da chi ?

12. Se T Istituto non ha clausura canonica, vi si usano però quelle norme e cautele perchè regni lo spirito religioso di separazione dal secolo ?

13. Chi è il Superiore o la Superiora della Casa, chi il Procuratore o 1' Economa ? Quanti sono i membri della Comunità ? *(Darne l'elenco, col nome di Religione, cognome e nome del secolo, paternità, patria, età, condizione, data della emissione dei voti. Dire quali sono i Sacerdoti e i laici, le coriste e le converse).*

14. La Casa ha novizi, postulanti e inservienti? *(Darne l' elenco come sopra).*

15. Se la Casa ha noviziato? Quando e con quale autorizzazione è stato eretto? E esso tenuto in posto separato dal resto della Comunità, secondo la Costituzione di Clemente VIII ? Sono osservate esattamente le leggi che lo regolano? I novizi si applicano forse a studi? Quanto dura il noviziato? Non è mai stato in certi casi interrotto per alcuni ? Venne mai prolungato ? Per ordine di chi ? Perchè ? Per quanto tempo ?

16. Quali sono i requisiti per essere ammessi nell'Istituto ? Durante il noviziato e proba hdato viene pagata qualche pensione, e quale ? Per gli Istituti femminili quale dote si richiede ?

Nec minus aequam se fidamque impertiit reipublicae Ecclesia, quaecumque usque adhuc extitit constitutio temperatioque civitatis. Semper enim iis qui praeerant, quum de statuta formula Deum precaretur. non caelestem modo, quod caput est, opem, sed etiam civium optimorum gratiam conciliare studuit.

Denique quam fideliter transactionem de facultatibus suis factam custodierit, vel ex hoc intelligi potest, quod nemo unus molestiam ab Ecclesia ullam unquam passus est ob eam causam, quod ipsius bona ad hastam publicam quaesita possideret.

Quaerere iam licet, utrum civitas pariter, quae sua essent ex foedere officia, impleverit.

Statutum principio est, catholicae religionis exercendae liberam in Gallia facultatem fore. — At suppetere libertatem istam hodie dixeris, quando ad Pontificem, summus qui est magister et custos catholici nominis, interdicitur Episcopis aditus atque etiam missio litterarum, insciâ Republica? Quando sacrorum Consiliorum, a quibus, Pontificis auctoritate et no-

mine, negotia Ecclesiae universae in Urbe Roma administrari notum est, spernuntur publice ac refutantur acta, quin immo ipsius actis Pontificis vix parcitur? Quando id non dissimulanter agitur, ut nervi intercidantur viresque religionis, detrahendis iis, quae, Dei providentis nutu, praesto sunt Ecclesiae utilissima ad suum fungendum munus adiumenta? Neque enim reputare, nisi magno cum angore, possumus religiosarum familiarum recentem cladem ; quas quidem ad exterminandas finibus patriae haec una ratio valuit, avitae religionis in populo fautrices extitisse efficaces : non valuit ad retinendas, si minus ornandas ut oportebat, optimorum cogitatio meritorum, quae ab iis omni tempore essent in cives suos profecta. Ecquid tam contrarium iunctae cum Apostolica Sede amicitiae ac foederi , quam hac tanta iniuria et contumelia eos affectos esse, quibus nihil habet Ecclesia carius? — Quin etiam ad ceteras id genus molestias ingens nuper cumulus accessit. Etenim certum accepimus circumferri edictum, quo Sodales illustris cuiusdam familiae et quidem ratae legibus, ab ipsis dioecesium Seminariis, quibus magna cum salute sacri ordinis praeesse diu consueverunt, abire, excedere iubentur. Huc scilicet evasit promissa religioni libertas, ut Episcopis iam non liceat, prout visum fuerit melius, institutioni prospicere sacrae iuventutis, iidemque in negotio tanti momenti ac ponderis cogantur adiutores ab se, quos semper experti sunt optimos, segregare.

Quamquam illud multo gravius est ministerio Apostolico iniectum vinculum. — Ipsa rei natura clamat, quod diximus, institutionem canonicam, praesertim si ad summum ecclesiastici ordinis gradum danda sit, non posse, salva maiestate religionis, cadere in quemquam, nisi qui pro moribus, ingenio, doctrina dignus tam celso munere videatur. Hac obstrictus sanctissima lege, Pontifex non omnes, quos respublica sibi designant, continuo ad episcopatum promovendos putat; verum probe explorato qualis quisque sit, alios, quos repe-

rerit idoneos, assumit, alios, quos minus, relinquit scilicet: admonitamque de consilio suo rempublicam rogat, ut pro illis quidem legitime incepta perficere, his vero sufficere meliores velit. Huiusmodi consuetudinem Apostolica Sedes usque ad nostram memoriam tenuit sine offensione, quamdiu utriusque potestatis concordia stetit incolumis. Quid autem dudum respublica? Negat ius esse Pontifici repudiare quemquam ex iis, quos ipsa nominavisset ; nominatos recipi promiscue vult omnes; propterea obstinat non ante sinere eos, qui probati sint Ecclesiae, canonice institui, quam qui repulsam ab ipsa tulerint, iidem probationem ferant. Iamvero usque eo extendere vim nominandi, ut facultas, concessu Pontificis facta reipublicae, nativum et sacrosanctum Ecclesiae ius elidat perscrutandi utrum qui nominati sint, digni sint, hoc profecto non est interpretari pactum, sed subvertere: contendere autem ut, si qui praetereantur, ne aliis quidem canonica institutio detur, huc recidit admodum, nullos velle posthac constitui Episcopos in Gallia.

Quod denique ad eam attinet conventionis partem, qua honestae clericorum sustentationi consultum est, num ipsam servat Respublica, quum Episcopis aliisque sacrorum administris, nulla habita quaestione aut iudicio, inauditis et indefensis, quod saepissime usuvenire nostis, legitimum victum, ad libidinem suam, detrahit? Atqui non foederis tantum hic lex, sed iustitiae perfringitur. Neque enim civitas in eo, quod istiusmodi alimenta ministrat, putanda est voluntate gratificari Ecclesiae, verum portionem, nec ita magnam, debiti exsolvere.

Aegre induximus animum, Venerabiles Fratres, haec memoratu audituque tam tristia dicendo persequi. Nam moerorem , quem ex rebus Gallicis gravem patimur, etsi levari, communicando vobiscum, intelligebamus posse, maluissemus tamen silentio premere; etiam ob eam rem, ne tot pientissimis Ecclesiae filiis, quos in Gallia numeramus, aegritudinis

morsum querimonia communis Parentis exacueret. Verumtamen iura sanctissima Ecclesiae improbe violata, ac dignitas praesertim Apostolicae Sedis alieno notata crimine, prorsus a Nobis expostulationem iniuriarium publicam requirebant. Idque praestitimus, nullo cum acerbitatis sensu adversus quemquam , paterna certe cum voluntate erga gentem Gallicam ; in qua quidem diligenda Nos, quod ceteroqui non potest esse dubium, Decessorum Nostrorum nulli concedimus.

Enimvero sperandum non est, fore ut institutarum contra Ecclesiam rerum cursus consistat. Quaedam his ipsis diebus eventa certissimum fecere indicium, eos qui ad gubernacula sedent reipublicae, sic esse in rem catholicam animatos, ut ultima sint brevi metuenda. —• Omnino, dum Sedis Apostolicae documenta non obscure loquuntur, professionem christianae sapientiae amice posse cum reipublicae forma consistere, ii contra affirmare velle videntur, rempublicam, quali nunc utitur Gallia, eiusmodi esse naturae, ut nullum habere possit cum christiana religione commercium: id quod dupliciter Gallos calumnióse petit, ut catholicos nimirum et cives. At eveniant licet quantumvis áspera ; nequaquam Nos aut imparatos offendent aut pavidos, quos Christi Domini illa vox et hortatio confirmat: *Si me persecuti sunt et vos persequentur* (Ioan. XV, 20). *In mundo pressuram habebitis: sed confidile, ego vici mundum* (Ioan. xvi, 33). Interea tamen Nobiscum vos, Venerabiles Fratres, humilium instantia precum a Deo contendite, ut qui potest unus deducere unde velit et quo velit impellere hominum voluntates, auspice Virgine Immaculata, pacem tranquillitatemque Ecclesiae suae benignus maturet.

Sed iam ad laetiora convertamus animos. — Primum de duobus Beatis coelitibus ad Sanctorum honores evehendis vestram, Venerabiles Fratres, gratum est sciscitari sententiam. Nimium quantum, hac misera tempestate, Sanctorum suffragiis opus est! nimium quantum exemplo magnarum virtutum! Spes igitur est ut duorum Beatorum nova in Sanctorum nu-

merum cooptatio multum in utramque partem sit valitura. Beati qui sint, iam nostis, Venerabiles Fratres : Alexander Sauli e Clericis Regularibus a Sancto Paulo, Episcopus primum Aleriae, dein Ticini ; et Gerardus Maiella accensus e familia Alfonsiana; alter a Benedicto XIV, alter a Leone XIII inter coelites Beatos adscriptus. Horum Canonizationis causam cognosci Nos ac rite tractari iussimus. Quod autem nunc fieri oportet, de eorum vita, moribus, rebus gestis, prodigiis ad Nos, audientibus vobis, referri hoc ipso in loco, pro more, volumus.

*Sequitur relatio Eminentissimi Procuratoris. Relatione peracta SSmus D. N. prosequitur :*

Quae vita, qui mores fuerint B. Alexandri Sauli, quo studio pro Dei gloria animisque lucrandis flagraverit, ut Corsicae Apostolus sit appellatus, ex iis quae sunt exposita, Venerabiles Fratres, cumulatissime perspexistis. Quae vero de eodem ferebantur prodigia, diligentissimo iudicio sunt probata. PLACETNE igitur vobis ut ad Canonizationem eius solemni Ecclesiae ritu deveniamus?

*Emi Cardinales sententiam proferunt. Tum Emus Relator relationem instituit de B. Gerardo Maiella; qua absoluta, SSmus D. N. prosequitur :*

Quae modo sunt a vobis audita testantur abunde singularem fuisse in B. Gerardo Maiella integritatem morum, amplissimamque omnigenae virtutis laudem. Prodigia vero accessisse a Deo, omnino constat. PLACETNE vobis ut ad eius Canonizationem solemni ritu Ecclesiae deveniamus?

*Sententiis prolatis SSmus D. N. concludit:*

Vestras, Venerabiles Fratres, de proposito negotio sententias cognovisse placet.

Nunc vero, priusquam Episcoporum ordinem suppleamus, libet ad Ármenos curas Nostras convertere. Cum enim in patriarchatu Ciliciensi Armeniorum successor dandus esset venerabili fratri Paulo Petro XI Emmanuelian , qui in pace Christi decesserat die xvin Aprilis labentis anni, eius rei causa

Constantinopolim Episcoporum Armenio ritu, ad legum praescripta, Synodus coacta est. Die quarto Augusti superioris, Patriarcham in demortui locum elegerunt venerabilem fratrem Paulum Sabbaghian Episcopum Alexandriae Aegypti, qui Petrus pro more vocatus est, eo nomine duodecimus. De tota re qui convenerant Episcopi Nos docuere per litteras; rogantes insuper ut evectum ab ipsis ad patriarchalem dignitatem, confirmare Nos Apostolica auctoritate vellemus. Idem postulat simulque sacri Pallii honorem, supplici libello, Patriarcha electus, edita fidei catholicae professione ex forma Urbaniana, adiectis praeterea quae a Concilio Vaticano decreta sunt. Venerabilis fratris Pauli Sabbaghian egregia in Sedem hanc Apostolicam voluntas et multarum ornamenta virtutum collegarum Episcoporum testimonio abunde laudantur. Is iam episcopalia munera rite administravit; pietate, prudentia, iustitia ac modestia nec non largitate, gravibusque muneribus nitide gestis opinionem et amorem suae gentis promeruit. His de causis, atque ex sententia sacri Consilii christiano nomini propagando Ecclesiarum negotiis orientalis ritus praepositi, tam eius quam Episcoporum precibus annuendum censuimus. Itaque auctoritate omnipotentis Dei, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli et Nostra confirmamus et approbamus electionem seu postulationem a venerabilibus fratribus Armeniis Ciliciae factam de persona praedicti Pauli Sabbaghian, quem absolvimus a vinculo quo tenebatur Ecclesiae Alexandriae ac transferimus ad Patriarchalem Ecclesiam Ciliciae Armeniorum, praeficientes eum Patriarcham et Pastorem eidem Patriarchali Ecclesiae, prout in decreto et schedula consistorialibus exprimetur, contrariis quibuscumque non obstantibus. In nomine Patris «$• et Filii <£• et Spiritus «$• Sancti. Amen.

Restat ut ad Episcoporum cooptationem veniamus.

*Dein Sanctitas Sua, postquam confirmaverit electionem ab Episcopis Armenis tn Synodo coadunatis mense Augusti cur-*

*rentis anni hi Ecclesia Patriarchali S. Mariae peractam, sequentes proposuit Ecclesias, nempe:*

*Ecclesiam Patriarchalem Ciliciae Armenorum* **pro R. P. D. Paulo Sabbaghian, translato ab Ecclesia Cathedrali Alexandrina, qui iuxta morem assumpsit nomen Pauli Petri XII.**

*Ecclesiam Metropolitanam Valentin,* **pro R. P. D. Bernardino Nozaleda y Villa, ex Ordine Praedicatorum , Archiepiscopo olim Manilensi.**

*Ecclesiam Metropolitanam Compsan.,* **cui adnexa est Administratio perpetua Cathedralis Ecclesiae Campanien., pro R. P. D. Nicolao Piccirilli, translato a Sede Metropolitana Sanctae Severinae.**

*Ecclesiam Archiepiscopalem Lucan.* **pro R. P. D. Benedicto Lorenzelli, translato ab Ecclesia titulari Archiepiscopali Sardiana.**

*Ecclesiam titularem Archiepiscopalem Stauropolitan.* **pro R. P. D. Guidone Maria Conforti, translato a Sede Metropolitana Ravennatensi.**

*Ecclesiam titularem Archiepiscopalem Chalcedonen.* **pro R. P.D. Antonio Ayres de Gouvea, Commissario Generali Bullae Cruciatae in Regno Lusitano, promoto ab Ecclesia titulari Episcopali Bethsaidensi.**

*Ecclesiam Metropolitanam Ravennaten,* **pro R. P. D. Paschale Morganti, promoto ab Ecclesia Cathedrali Bobiensi.**

*Ecclesiam Metropolitanam Panormitan.* **pro R. P. D. Alexandro Lualdi, archidioecesos Mediolanensis, Doctore in philosophia, in sacra theologia et in iure canonico, Domestico Praesule Sanctitatis Suae, Rectore Seminarii SS. Ambrosii et Caroli de Urbe, Professore in Pontificiis Seminariis Vaticano et Leoniano, Socio Academiarum romanae S. Thomae Aquinatis et theologicae Mediolanensis.**

*Ecclesiam titularem Archiepiscopalem Tamiathen.* **pro R. P. D. Eduardo Carolo Gastone, comite et libero barone Pottickk de Pettenegg, dioeceseos Labacensis, Doctore in philosophia, in theologia et in iure canonico," Protonotario Apostolico** *ad instar participantium,* **Praesule Domestico Sanctitatis Suae, Referendario Signaturae iustitiae, Consiliario intimo Caesareae Maiestatis Apostolicae, Commendatore et Magno Capitulare in Teutonico Ordine.**

*Ecclesiam Cathedralem Aretin.* **pro R. P. D. Ioanne Volpi, translato ab Ecclesia titulari Episcopali Dionysiadensi.**

*Ecclesiam Cathedralem Salamantin.* **pro R. P. D. Francisco Xaverio Valdes y Noriega, ex Ordine Eremitarum S. Augustini, translato a Sede Cathedrali laccensi.**

*Ecclesiam Cathedralem Victorien,* **pro R. P. D. Iosepho Cadena y Eleta, translato a Sede Cathedrali Segobiensi.**

*Ecclesiam Cathedralem S. Iacobi Capitis Viridis* **pro R. P. D. Antonio Montinho, translato ab Ecclesia titulari Episcopali Argaea et a Praelatura Mozambicensi.**

*Ecclesiam Cathedralem Segobien.* **pro R. P. D. iuliano Miranda y Bistuer, translato a Sede Cathedrali Astoricensi.**

*Ecclesiam Cathedralem Forosempronien,* **pro R. P. D. Achille Quadrozzi, dioeceseos Verulanae, Doctore in sacra theologia ac in utroque iure, Canonico Parocho atque Abbate infulato S. Erasmi, Examinatore prosynodali et Convisitatore, Professore theologiae dogmaticae et moralis in dioecesano Seminario et in Abbatia Cisterciensi vulgo** *Casamari,* **Directore spirituali Sororum Caritatis et Filiarum Mariae, Canonico honoris Cathedralium Ecclesiarum Verulanae, Fulginatensis et Atinensis.**

*Ecclesiam Cathedralem Pisauren.* **pro R. P. Paulo Marco Tei, ex Ordine Minorum Capulatorum, archidioeceseos Lucanae, Lectore in philosophia et in sacra theologia, olim Ministro Provinciali ac Definitore Generali in suo Ordine, Praedicatore Apostolico, Consultore S. Congregationis Rituum, Visitatore Apostolico Urbis eiusque Districtus.**

*Ecclesiam Cathedralem Bobien.* **pro R. D. Carolo Castelli, archidioeceseos Mediolanensis, Vicario Foraneo ac Praeposito Parocho vulgo** *Busto Arsilo.*

*Ecclesiam Cathedralem Pacen,* **pro R. D. Felice Soto y Mancera, eiusdem dioeceseos, Auditore Matritensis Tribunalis Rotae.**

*Ecclesiam Cathedralem Oveten.* **pro R. D. Francisco Batzan y Urniza, dioeceseos Pampilonensis, Doctore in sacra theologia ac prolyta in iure canonico, Archidiacono et Vicario Generali in dioecesi Cluniensi.**

*Ecclesiam Cathedralem lacen,* **pro R. D. Antonino Lopez y Pelaez, dioeceseos Asturicensis, Doctore in utroque iure, Canonico Poenitentiario Metropolitanae Ecclesiae et Vicario Generali Burgensi.**

*Ecclesiam Cathedralem Asturicen,* **pro R. D. Iuliano de Diego y Alcolea , dioeceseos Seguntinae, Doctore in sacra theologia et in iure canonico, Archidiacono Cathedralis Ecclesiae Matritensis, Secretario archidioeceseos Vallisoletanae.**

*Ecclesiam Cathedralem Aurien.* **pro R. D. Eustachio Ilundain y Esteban, dioeceseos Pampilonensis, Segobiae Rectore Seminarii atque Canonico Archipresbytero Cathedralis Ecclesiae.**

*Ecclesiam titularem Episcopalem Syenensem* **pro R. P. D. Francisco Ferreira da Silva, Praelato Ordinario Mozambicensi.**

*Ecclesiam titularem Episcopalem Carpasien.* **pro R. D. Emmanuele Rivera, dioeceseos de Queretaro, Doctore in iure civili, Canonico Cathe-**

dralis Ecclesiae et Vicario Generali, deputato in Coadiutorem cum futura successione R. P. D. Raphaelis Camacho, Episcopi de Queretaro in Mexicana republica.

*Ecclesiam titularem Episcopalem Famagostan.* pro R. D. Ioanne Mauri, archidioeceseos Mediolanensis, Doctore in litteris, in philosophia et in sacra theologia, Canonico honoris Metropolitanae Ecclesiae, Examinatore synodali, Magistro ecclesiasticae historiae in maiori Seminario, deputato in Auxiliarem Emi ac Revmi D. Card. Andreae Caroli Ferrari, Archiepiscopi Mediolanensis.

*Ecclesiam titularem Episcopalem Proconnesien.* pro R. P. D. Ioanne Nepomuceno Weinlich, dioeceseos Reginae-Gradecen., Protonotario Apostolico *ad instar participantium,* Canonico Praeposito Metropolitanae Ecclesiae Olomucii, Examinatore prosynodali ac Vicario Generali, deputato in Auxiliarem R. P. D. Francisci Salesii Bauer, Archiepiscopi Olomucensis.

*Ecclesiam titularem Episcopalem Magyden.* pro R. D. Ludovico Szmrecsányi, dioeceseos Cassoviensis, Canonico Metropolitanae Agriensis, Directore Cancellariae dioecesanae et Abbate titulari SS. Trinitatis, deputato in Auxiliarem R. P. D. Iosephi Samassa, Archiepiscopi Agriensis.

*Ecclesiam titularem Episcopalem Callipolitan.* pro R. P. D. Carolo Wisnar, Archidiacono Olomucensis Ecclesiae, Doctore in sacra theologia, Canonico Metropolitanae Olomucensis, Cubiculario honoris Sanctitatis Suae, alio deputato in Auxiliarem R. P. D. Francisci Salesii Bauer, Archiepiscopi Olomucensis.

*Ecclesiam titularem Episcopalem Nyssen.* pro R. D. Ioanne Baptista Arista, e Congregatione Oratorii, dioeceseos Iaciensis, Praeposito ac Praeside Collegii S. Michaelis, deputato in Auxiliarem R. P. D. Gerlandi Genuardi, Episcopi Iaciensis.

*Deinde Beatissimus Pater sequentes alias Ecclesias, quas iam per Breve providerat, publicavit :*

*Ecclesiam Patriarchalem Venetizrum* pro R. P. D. Aristide Cavallari, promoto ab Ecclesia titulari Episcopali Philadelphiensi.

*Ecclesiam titularem Archiepiscopalem Pelusianam* pro R. P. D. Theodoro Kohiij translato a Sede Metropolitana Olomucensi.

*Ecclesiam titularem Archiepiscopalem Seleucien.* pro R. P. D. Eduardo Gilpin-Bagshawe, e Congregatione Oracorii, promoto ab Ecclesia titulari Episcopali Hypaepensi.

*Ecclesiam Metropolitanam Olomucen.* pro R. P. D. Francisco Salesio Bauer, promoto a Sede Cathedrali Brunensi.

*Ecclesiam titularem Archiepiscopalem Theodosiopolitan.* **pro R. P. D, Simone Aichner, promoro a Sede Cathedrali Brixinensi.**

*Ecclesiam titularem Archiepiscopalem Sebastendm* **pro R. P. D. Ioanne Cagliero, e Salesiana Congregatione, Vicario Apostolico Patagoniae septemptrionalis, promoto ab Ecclesia titulari Episcopali Magydensi.**

*Ecclesiam titularem Archiepiscopalem Bostren.* **pro R. P. D. Martino Garcia y Alcocer, ex Ordine Minorum, promoto a Sede Episcopali Caebuana.**

*Ecclesiam Metropolitanam Milwaukien.* **pro R. P. D. Sebastiano Mesmer, promoto ab Ecclesia Cathedrali Sinus Viridis.**

*Ecclesiam S. Ioannis Terrae Novae,* **ad Archiepiscopalem a Sanctitate Sua evectam , pro R. P. D. Michaele Howley, eiusdem Sedis Episcopo.**

*Ecclesiam titularem Archiepiscopalem Sàlarniniam* **pro R. P. D. Dominico Jacquet, ex Ordine Minorum Conventualium, promoto a Sede Cathedrali Iassiensi.**

*Ecclesiam Metropolitanam Urbinaten.* **pro R. P. ioanne Maria Iosepho Santarelli, ex Ordine Minorum, dioeceseos Assisiensis, Lectore in philosophia et in sacra theologia , quondam Secretario et Definitore Generali proprii Ordinis.**

*Ecclesiam Metropolitanam Naxien.* **pro R. P. D. Philippo Camassei, dioeceseos Romanae, Doctore in sacra theologia et in utroque iure, Praesule Domestico Sanctitatis Suae, Rectore Pontificii Collegii Urbani de Propaganda Fide.**

*Ecclesiam Archiepiscopalem Cerchen. Chaldaeorum* **pro R. D. Theodoro Messaich, eiusdem ritus, olim alumno Pontificii Collegii Urbani de Propaganda Fide.**

*Ecclesiam titularem Archiepiscopalem Serrarum* **pro R. D. Ioanne Baptista Castro, archidioeceseos Caracensis, Doctore in sacra theologia, Canonico Decano ac Vicario Generali eiusdem Archidioeceseos, deputato in Coadiutorem cum futura successione R. P. D. Crispuli Uzcategui, Archiepiscopi S. Iacobi de Benezuela seu Caracensis.**

*Ecclesiam titularem Archiepiscopalem Metymnen.* **pro R. D. Adulpho Alexandro Nouel, archidioeceseos S. Dominici, Doctore in philosophia ac prolyta in sacra theologia, olim alumno Pontificii Collegii Pii Latini Americani de Urbe, Canonico honoris Metropolitanae S. Dominici, deputato in Coadiutorem cum futura successione R. P. D. FerJinandi Antonii Arcturi de Merino, Archiepiscopi S. Dominici in America.**

*Ecclesiam titularem Archiepiscopalem Myren.* **pro R. P. D. Fran-**

cisco Ragonesi, dioeceseos Viterbiensis, olim alumno Pontificii Seminarii Pii de Urbe, Praesule Domestico Sanctitatis Suae, Doctore in philosophia, in sacra theologia et in utroque iure, Delegato Apostolico in Columbiana Republica.

*Ecclesiam titularem Archiepiscopalem Cyrenaeam* pro R. P. D. Aurelio Briante, ex Ordine Minorum, Vicario et Delegato Apostolico in Aegypto.

*Ecclesiam titularem Archiepiscopalem Palmyren.* pro R. P. Ambrosio Agius , e Congregatione Benedictina Cassinensi primaevae observantiae, dioeceseos Melitensis, Delegato Apostolico extraordinario in insulis Philippinis.

*Ecclesiam Cathedralem Iassien.* pro R. P. D. Nicolao Iosepho Camilli, translato ab Ecclesia titulari Archiepiscopali Tomitana.

*Ecclesiam Cathedralem S. Georgii,* nuper a Sanctitate Sua erectam, pro R. P. D. Nilo Mac Neil, translato ab Ecclesia titulari Episcopali Nilopolitana.

*Ecclesiam Cathedralem Marsorum* pro R. P. D. Francisco Giacci, translato ab Ecclesia titulari Episcopali Nyssena.

*Ecclesiam Cathedralem Neosolien.* pro R. P. D. Wolfgango Radnai, translato ab Ecclesia titulari Episcopali Europensi.

*Ecclesiam Cathedralem Scepusien.* pro R. P. D. Alexandro Párvy, translato ab Ecclesia titulari Episcopali Carpasiensi.

*Ecclesiam Cathedralem Caesenaten.* pro R. D. Ioanne Cazzani, dioeceseos Papiensis, Doctore in litteris, in philosophia et in sacra theologia, Rectore ac Professore litterarum in Seminario dioecesano.

*Ecclesiam Cathedralem Tarvisin.* pro R. P. Andrea Hyacintho Lon•ghin, ex Ordine Minorum Capulatorum, dioeceseos Patavinae, Magistro in sacra theologia, Ministro Provinciali Venetiarum, ibique Examinatore prosynodali.

*Ecclesiam Cathedralem Brtxinen.* pro R. P. D. Iosepho Altenweisel, archidioeceseos Salisburgensis, olim alumno Collegii Germanici de Urbe, Doctore in philosophia et in sacra theologia, Praesule Domestico Sanctitatis Suae, Professore theologiae in Universitate Salisburgensi.

*Ecclesiam Cathedralem Tridentin.* pro R. D. Coeiestino Endrici, eiusdem dioeceseos, Doctore in philosophia ac in sacra theologia, Examinatore prosynodali et Professore theologiae moralis in maiori Seminario.

*Ecclesiam Cathedralem Moguntin.* pro R. D. Georgio Henrico Kirstein, eiusdem dioeceseos, Doctore in sacra theologia, Canonico Cathedralis Ecclesiae et Rectore maioris Seminarii.

*Ecclesiam Cathedralem Brunen,* pro R. D. Paulo e comitibus Huyn, eiusdem dioeceseos, Doctore in philosophia, in sacra theologia ac in iure canonico, Parocho Beharovicensi.

*Ecclesiam Cathedralem Plocen.* pro R. D. Apollinare Wunkowski, dioeceseos Luceoriensis-Zytomiriensis, Doctore in sacra theologia, Canonico Praelato Custode in Cathedrali Zytomiriensi ac Rectore Seminarii dioesesani.

*Ecclesiam Cathedralem Tiraspolen.* pro R. D. Iosepho Kessler, eiusdem dioeceseos, Doctore in sacra theologia, Canonico Cathedralis Ecclesiae ac Rectore Seminarii dioecesani.

*Ecclesiam Cathedralem Southwarcen.* pro R. D. Petro Amigo, civitatis Gibraltariae, Vicario Generali Southwarcensi.

*Ecclesiam Cathedralem Kerrien,* pro R. D. Ioanne Mangan, Parocho loci *Kenmare* et Archidiacono Kerriensi.

*Ecclesiam Cathedralem Laonen.* pro R. D. Michaele Fogarty, Doctore in sacra theologia, Pro-praeside Collegii *Maynooth.*

*Ecclesiam Cathedralem Huanucen. in republica Peruviana* pro R. P. Petro Paulo Drinot y Piérola, e Congregatione SS. Cordium, archidioeceseos Limanae.

*Ecclesiam Cathedralem de Chachapoyas in republica Peruviana* pro R. P. Iosepho Iacobo Irala , ex Ordine Minorum, dioecesis Ayacuquensis, Administratore Apostolico eiusdem dioeceseos de Chachapoyas.

*Ecclesiam Cathedralem de Huara\ in republica Peruviana* pro R. P. Mariano Holguin, ex Ordine Minorum, dioeceseos Arequipensis, Commissario ac Definitore Generali proprii Ordinis.

*Ecclesiam Cathedralem S. Iosephi de Costarica* pro R. D. Gaspardo Stork, e Congregatione Missionis, Doctore in sacra theologia, Rectore Seminarii S. Iosephi de Costarica.

*Ecclesiam Cathedrilem S. Marthae in Columbiana republica* pro R. P. Francisco Simon y Rodenas , ex Ordine Minorum Capulatorum, dioecesis Oriolensis, Custode Provinciali Ordinis in Columbiana ditione atque Provicaiio Capitulari dioeceseos S. Marthae.

*Ecclesiam Cathedralem Curytuben. de Paraná in Brasilia* pro R. D. Daarte Leopoldo da Silva, dioecesis S. Pauli in Brasilia, ibique Canonico Cathedralis Ecclesiae et Parocho S. Caeciliae.

*Ecclesiam Cathedralem Cenfuegen. in insula Cubana* pro R. P. Antonio Aurelio Torres y Sanz, ex Ordine Carmelitarum Excalceatorum, dioecesis Avanensis, ibique Rectore Collegii S. Philippi atque Consultore Curiae episcopalis.

*Ecclesiam Cathedralem Coimbaturen.* pro R. D. Augustino Kroy, dioeceseos Pictaviensis, e Seminario Parisiensi Missionum exterarum, Missionario Coimbaturensi.

*Ecclesiam Cathedralem Malacen.* pro R. D. Aemiiio Barillon, dioecesis Carnutensis, e Seminario exterarum Missionum Parisiensi, Pro-superiore Seminarii Immaculatae Conceptionis.

*Ecclesiam Cathedralem Sinus Viridis* pro R. P. D. Iosepho Fox, Prae-* sule Domestico Sanctitatis Suae, Administratore eiusdem dioeceseos.

*Ecclesiam Cathedralem Manchesterien.* pro R. D. Ioanne Delaney, archidioecesis Bostoniensis, Examinatore synodali et Cancellario episcopali Bostoniensi.

*Ecclesiam Cathedralem Allahabaden.* pro R. P. Petronio Francisco Gramigna, ex Ordine Minorum Capulatorum, dioeceseos Imolensis, Missionario Apostolico.

*Ecclesiam Cathedralem Nxtchitochen.* pro R. D. Cornelio Van de Ven, archidioeceseos Novae Aureliae, Vicario foraneo et Consultore archiepiscopali.

*Ecclesiam Cathedralem Helenen,* pro R. D. Ioanne Patricio Carroll, Doctore in sacra theologia, Rectore Seminarii ac Consultore archidioecesano Dubuquensi.

*Ecclesiam Cathedralem Nagporen.* pro R. P. Maria Stephano Bonaventura, e Congregatione Missionariorum S. Francisci Salesii Anneciensi, eiusdem dioeceseos, Administratore dioecesis Nagporensis.

*Ecclesiam Cathedralem Leavenworthien.* pro R. D. Thoma Sillis, archidioeceseos S. Ludovici, Vicario Generali Leavenworthiensi.

*Ecclesiam Cathedralem Columben.* pro R. D. Iacobo Iosepho Hartley, eiusdem dioeceseos, ibique Missionario ac Parocho SS. Nominis Iesu.

*Ecclesiam Cathedralem de Fall-River,* nuper a Sanctitate Sua erectam, pro R. D. Guilelmo Nang, Doctore in sacra theologia, Cancellario episcopali, Examinatore synodali et Parocho S. Eduardi.

*Ecclesiam Cathedralem de Great-Falls,* nuper a Sanctitate Sua erectam, pro R. D. Mathia Lenihan, archidioeceseos Dubuquensis, Missionario Apostolico.

*Ecclesiam Cathedralem Idietten.,* nuper a Sanctitate Sua erectam, pro R. P. D. Iosepho Alafrido Archambeault, archidioeceseos Marianopolitanae, Protonotario Apostolico *ad instar participantium,* Doctore in sacra theologia et in iure canonico, Pro-rectore Universitatis Vallis Vidonis et Superiore Sororum Providentiae.

*Ecclesiam Cathedralem Mariae Ormensis,* nuper a Sanctitate Sua

erectam, pro R. D. Davide Iosepho Scoliard, dioecesis Peterboroughensis, Rectore Missionis *North Bay.*

*Ecclesias unitas Bellograden. et Semendrien.* pro R. D. Ioanne Baptista Krapac, archidioeceseos Zagabriensis, Doctore in iure canonico, Examinatore prosynodali, Canonico Decano et Archidiacono Ecclesiae Metropolitanae, deputato in Auxiliarem R. P. D. Georgii Posilovic, Archiepiscopi Zagabriensis.

*Ecclesiam titularem Episcopalem Titopolitanam* pro R. P. Dominico Marengo, ex Ordine Praedicatorum, Parocho S. Petri in Galata Costantinopoli, deputato in Coadiutorem cum futura successione R. P. D. Andreae Polycarpi Timoni, Archiepiscopi Smyrnensis. (Nunc successit).

*Ecclesiam titularem Episcopalem Milopolitamen.* pro R. D. Iacobo Davis, Vicario Generali Davenportensi, deputato in Coadiutorem cum futura successione R. P. D. Henrici Cosgrove, Episcopi Davenportensis.

*Ecclesiam titularem Episcopalem Arcen,* pro R. P. D. Aiafrido Peri e comitibus Morosini, dioeceseos Luganensis, Doctore in litteris, in philosophia, in sacra theologia et in utroque iure, olim alumno Pontificii Seminarii Romani et dein Academiae nobilium ecclesiasticorum, Cubiculario honoris supra numerum Sanctitatis Suae, deputato in Administratorem Apostolicum dioeceseos Luganensis.

*Ecclesiam titularem Episcopalem Samiam* pro R. P. D. Georgio Waschanski, Protonotario Apostolico *ad instar participantium,* Canonico Capituli Bautzensis, et Administratore Praefecturae Lusatiae, deputato in Vicarium Apostolicum Saxoniae.

*Ecclesiam titularem Episcopalem Tubunen.* pro R. D. Isidoro Klaus, dioecesis Basileensis, e Seminario Missionum Africae Lugdunensi, ibi Professore theologiae dogmaticae, deputato in Vicarium Apostolicum A Litore Aureo.

*Ecclesiam titularem Episcopalem Taenarien.* pro R. P. Fabiano Landi, ex Ordine Minorum, dioeceseos Fesulanae, deputato in Vicarium Apostolicum Hupè Occiduo-septentrionalis in Sinense imperio.

*Ecclesiam titularem Episcopalem Thignicen.* pro R. P. Armengaudio Coli, e Congregatione Missionariorum Filiorum Cordis I. Mariae, dioecesis Urgellensis, deputato in Vicarium Apostolicum insularum Fernando Poo in Africa.

*Ecclesiam titularem Episcopalem Terenuthidis* pro R. P. Victorio Douceré, Societatis Mariae, dioeceseos Briocensis, deputato in Vicarium Apostolicum insularum Ebridarum in Oceania.

*Ecclesiam titularem Episcopalem Thuggen.* pro R. P. Henrico De-

lalle, e Congregatione Oblatorum Mariae Immaculatae, dioeceseos Nanceyensis, Doctore in philosophia et in sacra theologia, deputato in Vicarium Apostolicum Natal.

*Ecclesiam titularem Episcopalem Hypaepen.* pro R. P. Augustino Henninghaus, e Societate Divini Verbi, dioeceseos Paderbonensis, Decano de *Ten chanfu* et *Let chanfu,* deputato in Vicarium Apostolicum Scian-Tom meridionali in Sinensi imperio.

*Ecclesiam titularem Episcopalem Eumenen.* pro R. P. Guilelmo Miller, e Congregatione Oblatorum Mariae Immaculatae, archidioeceseos Caseliensis, deputato in Vicarium Apostolicum Transvaalensem.

*Ecclesiam titularem Episcopalem Tipasitan.* pro R. P. Armando Olier, e Societate Mariae, dioeceseos Ruthenensis, deputato in Coadiutorem cum futura successione R. P. D. Armandi Lamaze, Vicarii Apostolici Oceaniae Centralis.

*Ecclesiam titularem Episcopalem Sitifen.* pro R. P. Georgio Eich, e Congregatione Picpusianorum, dioeceseos Trevirensis, deputato in Coadiutorem cum futura successione R, P. D. Iosephi Mariae Verdier, Vicarii Apostolici insularum Tahiti.

*Ecclesiam titularem Episcopalem Halicarnassen.* pro R. P. Iosepho Cecchini, ex Ordine Praedicatorum, archidioeceseos Lucanae, Magistro in sacra theologia, Rectore Pontificiae Basilicae Pempeianae SS. Rosarii, Archipresbytero ac Praelato Ordinario Alti Muri et Aquae Vivae.

*Ecclesiam titularem Episcopalem Beuden,* pro R. D. Paolo Schirò, ritus graeci, archidioeceseos Montis Regalis, deputato in Episcopum Ordinantem Iialo-Graecorum Siciliae.

*Ecclesiam titularem Episcopalem Amyclaeam* pro R. P. D. Patricio Fenton, Vicario Generali Westmonasteriensi, deputato in Auxiliarem R. P. D. Francisci Bourne, Archiepiscopi eiusdem Archidioeceseos.

*Ecclesiam titularem Episcopalem Themiscyraeam* pro R. D. Thoma Cusàch, archidioeceseos Neo-Eboracensis, deputato in Auxiliarem R. P. D. Ioannis Farley, Archiepiscopi Neo-Eboracensis.

*Ecclesiam titularem Episcopalem Rhodiopolitan.* pro R. D. Vincentio Palunko, dioeceseos Ragusinae, Vicario Generali et Archidiacono Metropolitanae Vrhbosnensis, deputato in Auxiliarem R. P. D. Philippi Francisci Nakic, Episcopi Spalatensis et Macarscensis.

*Ecclesiam titularem Episcopalem Philadelphien.* pro R. P. D. Guilelmo Giles, civitatis Londinensis, Praesule Domestico Sanctitatis Suae, Doctore in sacra theologia, Rectore Collegii Anglici de Urbe.

*Ecclesiam titularem Episcopalem Archelaiden.* pro R. D. Herculano

**Marini, Doctore in sacra theologia, Canonico Praeposito Ecclesiae Cathedralis Mathelicensis, Vicario Generali Archidioeceseos Spoletanae.**

*Deinde Emi ac Revmi D. Card. Respighi et Vives, tamquam delegati ab Emis et Revmis D. Card. Manara et Casañas, Sacrum Pallium postularunt pro Ecclesiis Anconitana, nuper in Archiepiscopalem evecta, et Barcinonensi, quae nunc hoc fruitur privilegio. Postea facta est postulatio Sacri Pallii pro Ecclesia Patriarchali Venetiarum ab Illmo et Revmo D. Ioanne Bressan, Procuratore ipsius Patriarchae; pro Ecclesiis Metropolitanis vel Archiepiscopalibus Valentina, Compsana, Lucana, Ravennatensi, Olomucensi, Milwaukiensi, S. Ioannis Terrae Novae, Panormitana, Urbinatensi et Naxiensi nuper consultis; pro Ecclesiis Metropolitanis S. Ludovici, Smyrnensi et Cine innate ns i, in quibus successerunt tamquam Coadiutores praesentes Archiepiscopi; nec non pro Ecclesia Cathedrali Aretina, quae hoc fruitur privilegio. Novus Archiepiscopus Caracensis iam habuit Sacrum Pallium extra Consistorium ex benigna Sanctitatis Suae dispositione.*

*Tandem apertis Aulae Consistorialis portis atque introduciis Orientalibus Romae residentibus, Excmus ac Revmus D. Paschalis Rubian, Archiepiscopus Amasensis et Procurator novi Patriarchae Armenorum,, per Advocatum Consistoriale postulavit Sacrum Pallium ; atque habito Summi Pontificis assensu, idem Procurator debitas egit gratias nomine Patriarchae et Armenorum catholicorum.*

# ACTA ROM. CONGREGATIONUM

## EX S. CONGR. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

### ALBAE POMPEIEN.

IURIUM

**Sustinetur immemorabilis consuetudo, vi cuius in una tantum ecclesia parochiali benedicitur aqua baptismalis Sabbato Sancto, eaque ceteris paroeciis distribuitur.**

**Species facti.** Immemorialis habebatur consuetudo, a RevrJiis Episcopis recognita et compulsata in S. Visitatione, ut in Vicaria foranea Cherasci, dioecesis Albae Pompeiensis, inter duodecim paroecias in comitatu et viciniis, in una earum, in Praepositum scilicet commendataria S. Petri in Manzaro, aqua baptismalis Sabbato Sancto benediceretur, atque aliae ab illa recipere deberent. Quinimo, ad impediendas tales benedictiones in aliis paroeciis, usus invaluit ipsis distribuendi nova Olea Sabbato Sancto pro feria VI in Parasceve, uti mos erat in coeteris dioeceseos locis.

Nonnulli ex parochis aegre hanc duplicem consuetudinem ferebant, quae sua laedebat iura ; et ex his unus, parochus loci Narzole appellati, a pluribus iam annis suo arbitrio benedictionem per se peragebat aquae in proprio fonte, Olea praecedentis anni adhibendo. Re ad Episcopum delata, hic Praepositum S. Petri invitavit ut iuri cederet. At Praepositus immotus in denegando perstitit, ne praeiudicium successoribus inferret. Episcopus ad S. Sedem recursum habuit, decretorium exposcens oraculum.

**Allegationes Praepositi S. Petri.** Ipse contendit Praeposituram S. Petri in Manzano a remotissimis temporibus

possidere ius benedicendi aquam baptismalem pro omnibus Vicariae paroeciis etiam regularibus, necnon iisdem distribuendi Olea sacra ab Episcopo quotannis benedicta. Fundamentum autem huius inveteratae consuetudinis reponit, praeter quam in matricitate, in praeeminentia propriae paroeciae prae aliis. Sane in ea tantum peraguntur omnes functiones sic dictae generales, uti sunt ex. gr. Processiones Rogationum, quibus omnes civitatis parochi convenire solent; item ad *Gloria* in Sabbato Sancto tintinnabula solum in parochia S. Petri pulsantur; cuius parocho, absente Episcopo, pertinet etiam ius coronandi B. M. Virginem SSrfii Rosarii, quamvis functio in alia ecclesia perficiatur, etc.

Addit insuper duplicem praefatum morem fuisse firmatum atque sancitum a pluribus Decretis Episcoporum S. Visitationem peragendum, quemadmodum liquet ex relationibus SS. Visitationum a. 1588, 1743 et 1828, cuius postremae verba haec sunt: « In eodem Baptisterio per D. Praepositum Sabbato Sancto cuiuslibet anni iuxta Ecclesiae ritum fit solemnis benedictio Fontis privative ad alios Parochos huius civitatis et Vicariae, qui omnes huiusmodi benedictioni non assistunt, sed ab immemorabili ad hoc Baptisterium accedunt pro aqua accipienda baptismali, una cum Sanctis Oleis ad usum suarum paroeciarum.... ».

Item observat quod, facta dismembratione paroeciae loci Narzole ab illa S. Petri, transactio inita fuit, ab H. S. C. die 9 Decembris 1833 approbata, vi cuius Rector ecclesiae filialis tenebatur una simul cum aliis parochis territorii Cherasci accedere ad Praeposituram S. Petri pro accipienda aqua baptismali et Oleis Sacris Sabbato Sancto vel die successivo. Demum concludit nihil obstare Decisionem S. C. Rituum in una *Utinen.*, 13 Ianuarii 1899 n. 4005, quae etiam ecclesiis filialibus recognoscit ius benedicendi aquam baptismalem ; quum in casu praesenti, praeter matricitatem, militet contraria consuetudo legitime praescripta.

**Allegationes aliorum parochorum.** Ex adverso sex parochi Vicariae Cherasci, admissa invocata consuetudine, petunt ut nihilominus sibi concedatur ius naturale benedicendi aquam baptismi. Quod imprimis arguunt ex iure communi, praesertim vero ex decreto S. Congr. Rituum in una *Utinen.*, 13 Ianuarii 1899 n. 4005, ubi etiam ecclesiis filialibus, quae sacrum fontem legitime habent, recognoscitur ius benedicendi aquam baptismalem in Sabbato Sancto. Eo vel magis, aiunt, quod Praepositura S. Petri, quamvis prima inter pares, excepta paroecia loci Narzole, non est ecclesia matrix respectu aliarum parochiarum ; hinc nulla invenitur sufficiens ratio cur aliarum ecclesiarum libertas et independentia laedatur. Et ab incuria parochorum, qui antiquis temporibus etiam pueros mittebant ad ecclesiam S. Petri ut in doctrina christiana instituerentur, originem deducunt illius consuetudinis, quae exinde communis iuris corruptela evasit.

Addunt praeterea saepissime in paroeciis extra civitatem Cherasci occurrere quod ad baptismum infans deferatur, quando aqua baptismalis et Olea Sacra nondum ad paroeciam delata sunt, et tunc differendam esse affirmant collationem baptismatis cum gravi infantis periculo et questibus parentum. Vel etiam quod sit ministranda morienti Extrema Unctio et sacramentum confici nequeat, Oleis Sacris deficientibus usque ad meridiem Sabbati Sancti. Quibus in casibus gravem inconvenientiam oriri asserunt oratores ex praedicta consuetudine.

Sed ultra animadvertunt baptismalem benedictionem atque Sacrorum Oleorum infusionem integre se absolvere in Vigilia Pentecostes ; cur igitur, arguunt, idem non licebit in Sabbato Sancto ?

**Dubia.** I. *An et quomodo sustineatur consuetudo in Vicariatu foraneo Cherasci, Albae Pompeiensis dioeceseos, inducta, ex qua unus Praepositus commendatarius S. Petri in Manzaro aquam baptismalem Sabbato Sancto benedicit, ac omnes undecim*

*parochi Vicariae ad illam recipiendam debent se conferre ad ecclesiam parochialem S. Petri?* Et quatenus affirmative :

IL *An sustineatur consuetudo a Praepositis S. Petri inducta non distribuendi Sancta Olea noviter benedicta parochis Vicariae, nisi post* Gloria *Missae Sabbati Sancti?*

**Resolutio.** S. Congr. Episcoporum et Regularium, die 26 Iunii 1903 respondendum mandavit : *Affirmative ad utrumque.*

## Colliges

i°. Omnes ecclesiae parochiales, sacrum fontem legitime habentes, iure gaudent benedicendi aquam baptismalem in Sabbato Sancto et in Vigilia Pentecostes (i).

2°. E contra aliae ecclesiae, licet parochiales, fonte baptismali carentes, aquam benedictam in Vigiliis Paschatis et Pentecostes conficere nequeunt (2).

(1) **Missale enim Romanum in particulari Rubrica Sabbati Sancti post prophetias decernit : « His expletis, si ecclesia habuerit fontem baptismalem, Sacerdos benedicturus fontem, accipit pluviale violaceum et... descendit... ad fontem... »; deinde post benedictionis ritum addit: «Ubi vero non est fons baptismalis, finita ultima prophetia cum sua Oratione, Celebrans casulam deponit... ». Idem confirmatum invenitur a pluribus S. R. C. Decretis, uti in una** ***Mantuana,*** **i Martii 1636, n. 63o, quod ita se habet: «Petitum fuit responderi, an benedictio fontis baptismalis in die Sabbati Sancti fieri debeat per dioecesim in plebaniis** ***(videlicet in ecclesiis matricibus)*** **tantum, aut etiam in plebaniae ecclesiis subiectis»; et responsum prodiit: «Fieri posse in omnibus ecclesiis habentibus fontem baptismalem fixum ». Consonant Decreta in** ***Spalaten.,*** 7 **Iunii** 1892, **n.** 3776 **(Cfr.** ***Acta S. Sedis,*** **vol.** 25, **p.** 112), **et in** ***Utinen.*** **ad i, i 3 Ian.** 1899, **n.** 40o5 **(Cfr.** ***Acta S. Sedis,*** **vol. 3 r, p** 540). **Nec praetereundum est tam in Rubricis Missalis quam in Decretis sub nomine fontis baptismalis venire verum et proprie dictum fontem fixum seu baptisterium, in quo aqua baptismalis conficitur atque baptisma ministratur, non autem quodcumque vas seu fontem improprie dictum, in quo reconditur tantum aqua ad baptizandum. Quo in casu solemnis benedictio fontis nullimode peragi potest; ita decrevit S. R. C. praesertim in una** ***Vicariatus Apostolici Victoriae Nyan^ensis*** 19 **Apr.** 1890, **n.** 3724. **ad i ; proposito enim dubio : « An benedictio solemnis fontis baptismalis possit vel debeat fieri Sabbato Sancto in Oratorio publico missionis, in quo quidem administratur baptismus, sed in quo non extat fons baptismalis proprie dictus ad portam Oratorii?», responsum fuit:** ***«Negative ».*** ***(N. R.).***

(2) **Nonnullis in locis etiam hodie observatur antiqua disciplina, vi cuius**

3°. Adsunt vero quamplurimae ecclesiae parochiales filiales, quae quamvis sacrum fontem habeant et baptisma ministrent, destituuntur nihilominus facultate solemniter benedicendi aquam baptismalem temporibus praedictis; hinc harum ecclesiarum parochi ad ecclesias matrices accedere indeque aquam benedictam recipere tenentur.

4°. Hoc enim provenit ex eo quod ecclesiae matrices, in propriae matricitatis recognitionem, privative quoad suas filiales ecclesias sibi reservare solent ius conficiendi aquam baptismalem in Sabbatis Paschae et Pentecostes (i).

5°. Quae tamen iuris restrictio favore ecclesiarum matricium

fons baptismalis in solis ecclesiis cathedralibus et plebanis seu matricibus habetur, ibique non solum peragitur solemnis benedictio aquae, sed etiam administratur'baptisma privative quoad omnes ecclesias parochiales, uti videre est in civitatibus Bononiae, Cremonae, Florentiae, Parmae, Pisae etc. *(N. R.).*

(i) Hoc aperte constat ex quampluribus SS. Congregationum Decretis. Ita S. C. Episcoporum et Regularium die 6 Sept. i625 decrevit: « Curatus regularis debet iuxta solitum ad assistendum in matrice benedictioni fontis accedere, indeque aquam accipere ». Item S. C. Concilii in *Savonen.,* 17 Nov. 1691 et 28 Iulii 17 i x ; *Ariminen.,* io lati. 1711 ; *Lünen.,* 23 Iul. 1718; *Derthonen.,* 7 Dec. 1720; *Aquen.,* 8 Martii 1732, necnon in *Florentina,* 18 Martii 1797: «Quum... constet de iure privativo ecclesiae Archipresbyteralis habendi fontem baptismalem, necnon adsit consuetudo favore Archipresbyteri peragendi benedictionem fontis, cum assistentia aliorum parochorum loci, compertum est ad eumdem pertinere ius peragendi huiuscemodi functionem, cum assistentia praedictorum parochorum»; nuperrime vero in *Caietana,* 28 Febr. 1903 (Cfr. *Acta S, Sedis,* vol. 35, p. 492-506). Hisce accedit S. C. Rituum, uti videre est in *Piacentina,* 10 Iul. 1638, n. 645 ; in una *S. Miniati,* 9 Sept. i836, n. 2767; in *Lucana,* 12 Apr. 1755, n. 2436, ubi haec decernuntur: «Ad i. parochos habentes facultatem benedicendi fontem baptismalem, Sabbatis diebus Paschatis et Pentecostes dumtaxat et non in aliis diebus, illum de mane benedicere debere; qui vero hanc facultatem non habent ab eius benedictione abstinere teneri. Ad 2. parochis licere alium sacerdotem delegare, qui benedictioni fontis baptismalis in ecclesia matrice pro iis assistat. . . .». Demum in supra citata *Spalaten.,* 7 Iun. 1892 (Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 25, p 112) quamvis edicatur tolerandam non esse veterem consuetudinem benedicendi fontem baptismalem tantum in ecclesia cathedrali aliisque in principalibus ecclesiis parochialibus, quia non constabat in casu de vera huiusmodi ecclesiarum matricitate; tamen illico additur: « exceptis, si adsint, specialibus ac determinatis iuribus circa ecclesias matrices ». *(N. R.).*

non praesumitur, sed constare debet vel ex iure particulari vel saltem consuetudinario; quum non parum limitetur plena et universalis baptizandi potestas, qua parochi fruuntur.

6°. Imo ipsae ecclesiae filiales vi legitimae consuetudinis sibi acquirere possunt ius solemniter benedicendi aquam baptismalem statutis temporibus, uti videre est in Decreto S. C. Rituum in una *Novarien.* 16 Febr. 1900 (Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 33, p. 62).

7°. Demum in casu praesenti agitur de ecclesia matrice quae ex immemorabili consuetudine ius privativum retinet benedicendi aquam baptismalem praefatis diebus liturgicis, eamque aliis paroeciis Vicariae distribuit.

# EX S. CONGREGATIONE CONCILII

## POTENTINA

### IURIUM

**Ecclesia Cathedralis Potentina subiacet dispositionibus Brevis « Impensa » Pii VII quoad aggregationem clericorum ecclesiis receptitiis in regno utriusque Siciliae.**

**Species facti.** Ecclesia cathedralis Potentina usque ab antiquo inter receptitias innumeratas recensebatur, ac proinde in ea tot clerici adscribebantur quot ecclesiae reditus paterentur. Sed a. 1221 Episcopus Garzia in eadem ecclesia duodecim canonicos instituit ea sub lege ut, iis cedentibus vel decedentibus, canonici superstites nominarent alios de praedicta ecclesia atque Episcopo pro canonica confirmatione praesentarent. Deinde a. 1742 Episcopus Melendez alios sex canonicatus erexit, secundae erectionis nuncupatus, qui nullimode sese ingerere in administratione canonicorum primae erectionis nec eorum praetendere debebant praebendam. Recen-

sebantur etiam tot clerici quot ex massa communi ali valerent, qui cappellani appellabantur, quique saltem ex consuetudine non admittebantur ad massae participationem, nisi praevio gratuito ac diuturno servitio ecclesiae praestando, et nemo canonicatum nancisci poterat nisi prius cappellani munus exercuisset.

Interea a. 1819 prodiit celebre Breve *Impenso*, Pii VII, per quod praescriptus fuit concursus pro assequendis portionibus in ecclesiis receptitiis regni Neapolitani, quae proinde ex innumeratis factae sunt numeratae. Sed hoc Breve receptum non fuit in ecclesia Potentina, cuius Capitulum sicut antea nominare perrexit canonicos inter cappellanos qui certo tempore gratuitum ecclesiae servitium praestitissent.

Postea iuxta leges eversivas assis ecclesiastici a Gubernio italico a. 1867 promulgatas, canonicorum numerus ad duodecim reductus fuit et cappellanorum ad sex, assignata pensione 46 presbyteris tunc ecclesiae Potentinae adscriptis.

Rebus sic stantibus a. 1896 occasione cuiusdam nominationis ad vacantem canonicatum Litteris Apostolicis factae, Capitulum eam impugnavit, contendens sibi ius esse nominandi canonicos; at S. C. C. die 16 Iulii 1896 confirmavit peractam electionem atque a servitio gratuito praestando electum exemit (i). Non acquiescentibus tamen canonicis, quaedam conventio inita fuit inter Episcopum et Capitulum, qua proposita ad H. S. O., die 20 Septembris eiusdem anni prodiit responsum : *Uniatur et reponatur. Et quoad provisionem canonicatuum Episcopus recurrat ad Apostolicam Datariam.* Ex hoc tempore innumerae exortae sunt quaestiones inter Episcopum et Capitulum, sed quum meriti quaestio usque adhuc indefinita manserit, de consensu partium infrascripta concordata sunt dubia in hodiernis comitiis discutienda.

**Iura Episcopi.** Ipsius advocatus evincere primo nititur

(i) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 3i, p. 322-341.

ecclesiam cathedralem Potentinam subiacere legi Brevis *Impenso»* Recolit enim ecclesias receptitias iam usque ab a. 1797 quamdam moderationem recepisse ; uti patet ex litera circulan diei 26 Augusti 1797 relata a *Torelli (Collezione degli atti del Concordato 1818, p, ß in app.).* Quod vero totam evertit disciplinam ecclesiarum receptitiarum fuit Breve *Impensa* a. 1819 et opportunae ad id consequentes dispositiones, praesertim vero ordinatio seu Planum pro ecclesiis receptitiis innumeratis, quae ad numeratas reductae fuerunt. Demum iussi sunt Ordinarii ut Planum pro unaquaque receptitia ecclesia conficerent, ex quo resultaret designatus et certus clericorum numerus, qui ex communi massa participare posset.

Neque oggeratur, pergit advocatus, adductam novam disciplinam ecclesiae Potentinae non fuisse applicatam ; nam, ceteris omissis, in ipsa Synodo Potentina a. 1834 legitur: « Ad normam Brevis *Impenso*.... decisum fuit, cleros receptitios Cathedralium aut Collegiatarum per concursum providendos esse; volumus atque mandamus adamussim observari.... tum in nostra Cathedrali tum in ecclesiis Collegiatis ; aliter in posterum provisi ut non participantes habeantur ». Unde facta fuit Episcopo facultas aggregandi vel eligendi clericos ad participationem iuxta praescriptiones Brevis *Impensa.*

Neque utiliter etiam, iuxta advocatum, ex adverso ^vocaretur consuetudo ; tum quia in Brevi *Impenso* omnis reiicitur et damnatur consuetudo sive existens sive extitura: « Decernentes... non obstantibus... statutis et consuetudinibus... ; quibus omnibus et singulis.... ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus » ; tum quia ageretur de consuetudine irrationabili, quum aperte esset contra bonum spirituale animarum et sacrum cultum, ad quae provehenda praecise editum fuit Breve.

Deinde, urget advocatus, falsum est hanc consuetudinem in Capitulo Potentino ab a. 1834 usque ad praesens viguisse. Ad summum dici potest, eam perseverasse et clerum man-

sisse innumeratum usque ad leges eversivas assis ecclesiastici a. 1867, quibus cappellanorum praefinitus est numerus et canonicorum. Ex eo tempore nulla nominatio ex parte Capituli locum habuit, etsi eidem non defuisset occasio praetensum exercendi ius ; si excipias duas nominationes ad Cappellanos, quae tamen ab actuali Episcopo sunt impugnatae.

Secundo patrocinator contendit canonicatus esse ab Episcopo conferendos. Sane vel ipsi spectantur uti veri canonicatus, prout in sua institutione creati sunt a. **1227** cum distincta praebenda, et tunc eorum collatio regulari debet ad iuris communis tramites sicuti in aliis Capitulis cathedralibus; vel hi habentur ut participationes maiores, et tunc pariter earum collatio pertinet ad Episcopum iuxta Breve *Impensa* et subsecutas ordinationes. Deinde advocatus rem probat ipsa consuetudine, et elenchum profert electionum canonicorum libere factarum ab Episcopis Potentinis.

Neque item iuxta patronum admitti potest Capituli praetensio, quod nempe electio in canonicum cadat inter partecipantes vel cappellanos ; haec enim conditio abrogata fuit sive a lege concordataria sive a Brevi *Impensa* et successivis ordinationibus, uti liquet ex eo quod multoties ad canonicatus in ecclesia Cathedrali Potentina personae extraneae electae sunt, et aliquando etiam extradioecesanae. Hinc facile etiam ruit altera Capitjuli praetensio de servitio gratuito praestando a novo canonico, antequam ad massae communis participationem admittatur, quum haec participatio scindi non possit a praebenda; hinc consequitur quod novus Canonicus, vix est nominatus, ius ad praebendam et participationem nanciscitur. Ceterum de conditione servitii gratuiti in omnibus Bullis altum servatum est silentium ; et si aliquando a Capitulo hoc onus novo canonico fuit impositum, id arbitrarie factum esse ait et lucri gratia.

Tertio patronus evincere satagit Archipresbyterum obnoxium esse* debere legi concursus. Hoc liquido scatere ait ex

art. 11 Concordati a. 18J8 ita se habente: « Praevio concursu in paroeciis liberae collationis Episcopi eas conferent iis inter adprobatos, quos digniores iudicabunt » ; et hoc iure fuisse usos Episcqpos Potentinos pluribus firmat adductis exemplis. Quoad vero duos Vice-Curatos Archipresbytero in cura animarum adsistentes, sive hi a Capitulo sive ab Archipresbytero deputentur, advocatus contendit eos subiici debere confirmationi et adprobationi Episcopi. Quin imo cum hi iuxta veterem inolitam consuetudinem fere totum sustineant onus curae actualis animarum, necessarium videretur eos fieri obnoxios examini de idoneitate, uti in citata litera circulan a. 1797 fuit praescriptum pro participantibus in ecclesiis receptitiis coadiuvantibus parochum in exercitio curae animarum.

Quarto demum advocatus observat, cum iuxta Concordatum a. 1818, Breve *Impensa* et alias Ordinationes ecclesia Cathedralis Potentina iurisdictioni Episcopi sit subiecta, necessario sequi ipsius Capitulum teneri ad reddendam rationem propriae administrationis Episcopo, uti Conc. Trid. *(Sess. 22, c. p de Refor.)* praescribit. Hinc a Capitulo Episcopus exigere potest ostensionem librorum Capitularium administrationis, quando accedit ad aulam Capitularem; quin imo et eorum delationem ad palatium Episcopale iubere potest pro eorum examine uti tradit Scarfant. *(Lib. 4, tit. 4, n. 16)* et De Herdt *(Praxis Capit., c. 16, § 4, n. j).*

**Iura Capituli.** Ex altera parte patronus Capituli pluribus argumentis, primum adstructo quod ecclesia Cathedralis Potentina est vere receptitia, contendit ei non esse applicandum Breve *Impensa.* Sustinet enim, Capitulo ius inesse in suum clerum cooptandi clericos Potentinos alienigenis exclusis; id descendere ait ex natura ecclesiae receptitiae et ex iure civico, atque probat auctoritate Card. De Luca *(De canon. disc. 22, n. 4).* Hanc doctrinam advocatus deinde probat praxi et disciplina recepta in ecclesia Potentina. Sane ex libris Capitularibus, constat nonnisi cives Potentinos, et praevia eorum petitione a Capitulo fuisse adscriptos.

Deinde advocatus contendit servitium gratuitum praeventivum exigi ad iuris normam, quod ecclesias receptitias moderatur; ita tradit De Luca *(Loc. cit., disc, ij, in princ.* , et consonat Pallottini *(Collect., v. ecclesia recepi., \ 4).* Hoc confirmari ait constanti consuetudine in ecclesia Potentina, quae evincitur sive ex elencho clericorum, qui praestituto tempore gratuite ecclesiae ministrarunt sive ex testimonio plurium Episcoporum, sive ex auctoritate rei iudicatae per Auditorium Camerae Apostolicae a. 1720.

Patronus ad canonicatuum collationem se convertens, contendit hos obtineri debere a clericis iam adscriptis, caeteris exclusis, et canonicos nonnisi a Capitulo esse eligendos. Primum probat tum ex instrumento erectionis 12 canonicorum factae ab Episcopo Garzia in ecclesia Potentina iuxta quod novi canonici de praedicta ecclesia eligi debent, tum ex resolutione H. S. C. diei 24 Nov. i742 idem confirmante. Secundum ostendit ex Rescripto H. S. C. diei 16 Sept. 1902, quod Capitulo recognoscit ius vacantes praebendas providendi, necnon ex citato instrumento Episcopi Garzia, qui concedit Capitulo potestatem novos eligendi canonicos.

Praeterea patrocinator ecclesiam Potentinam Brevi *Impensa* non esse obnoxiam evincere conatur, vel quia citatum Breve non cadit in rem, vel quia si caderet, esset a consuetudine abolitum. Quoad primum, innixus auctoritate Torelli *(Chiave del Concordato, pag. 124),* observat Pianum Decretum attingere tantum portiones et participationes in ecclesiis receptitiis, non vero extendi ad canonicatus in ecclesiis institutos, quae natura licet receptitiae, Cathedrali dignitate vigerent; legitur enim in citato Brevi : « ad portiones suscipiendas in ecclesiis receptitiis illi tantum admittantur sacerdotes et clerici.... qui doctrina et pietate commendatiores fuerint inventi ». Quoad alterum sustinet praedictum Breve fuisse abolitum per posteriorem consuetudinem contrariam plus quam 80 annorum, quo tempore Capitulum Potentinum semper se gessit

quoad adscribendos clericos et nominandos canonicos iuxta priscos mores cum Ordinariorum adprobatione.

Quin negotium facessat quod Pianum Breve omnes contrarias consuetudines aboleat, siquidem reponit, hoc referendum esse ad consuetudines iam existentes, non autem ad futuras, quae legitimis suffultae requisitis loco legis habentur. Deinde advocatus nonnullas recenset ecclesias, in quibus Breve Pianum non fuit receptum ; inter quas citat etiam resolutionem in *Oritana — Adscriptionis ecclesiae,* 31 Maii 1902.

Neque advocatus putat sibi utiliter opponi posse decisionem in causa *Potentina - Canonicatus,* 16 Iulii 1898, in qua nominatio sacerdotis Michaelis Padula, etsi a Capitulo non fuisset facta, tamen fuit ab H. S. C. recognita ; et nulla novo canonico imposita fuit obligatio gratuiti servitii. Recolendum siquidem esse ait tunc temporis iam a pluribus annis vacasse quatuor canonicatus, et nihilo secius Capitulum Michaelem Padula inter canonicos eligere detrectabat. Hinc Episcopus, utens iure devolutivo vel potius ad supplendam Capituli negligentiam, praefatum Sacerdotem nominavit canonicum ; et hinc etiam eidem servitium gratuitum non fuit impositum, quia pervicax contrarietas Capituli in causa fuit cur servitium gratuitum ab eodem Sacerdote non praestaretur statuto tempore.

Demum quoad deputationem Vice-Parochorum advocatus contendit eam spectare Capitulo, tum quia Capitulum uti parochus habitualis hoc ius exercuit ab immemorabili,, tum quia hi parochi assistentes a Capitulo retributionem accipiunt. Nec aliud profecto sentiendum esse censet quoad redditionem administrationis , quia Capitularia bona , sive ante fundorum direptionem a fisco patratam sive post, a Capitulo administrata sunt independenter ab Episcopo.

Dubia. *I. An ecclesia Cathedralis Potentina subiaceat dispositionibus Brevis* Impensa *Pii VII, iß Augusti 1819.*

II. *An et quomodo providendum sit quoad aggregationem clericorum et servitium ab iisdem praestandum in casu.*

III. *An Episcopus possit libere canonicatus praedictae ecclesiae conferre in casu.* Et quatenus negative:

IV. *An et quomodo idem ius competat Capitulo.*

V. *An qui canonici eliguntur, non facto vel non completo servitio, servitium pro admissione ad participationem massae communis facere vel complere teneantur in casu.*

VI. *An Archipresbyter parochus subiaceat legi concursus, et quomodo deputandi sint sacerdotes eidem Archipresbytero assistentes in casu.*

VII. *An Episcopus ius habeat exigendi rationem administrationis a Capitulo in casu.*

**Resolutio.** S. Congregatio Concilii propositis *in folio* dubiis die 21 Maii 1904 responsum dedit:

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. *Affirmative iuxta Breve* Impensa; *et Capitulum conficiat Constitutiones intra sex menses, approbandas ab Episcopo; quo tempore inutiliter elapso, Episcopus ipse Constitutiones conficiat.*

Ad III. *Affirmative iuxta art. X Concordati.*

Ad IV. *Provisum in III.*

Ad V. *Provisum in praecedentibus.*

Ad VI. *Affirmative ad i[am] partem. Ad 2[am] vero: A Capitulo simul cum Archipresbytero, salvo iure Ordinarii pro examine et approbatione, et firma obligatione Archipresbyteri gerendi animarum curam.*

Ad VII. *Affirmative.*

Capituli patronus novae audientiae beneficium petiit atque obtinuit. Quamvis autem partium procuratores de nova causae propositione moniti fuerint, nil tamen novi exhibuerunt. Unde propositum fuit sequens

**Dubium.** *An sit standum vel recedendam a decisis in casu.*

**Resolutio.** Et Emi Patres, reassumpto praeterito folio, die 27 Augusti 1904 reposuerunt: *In decisis.*

## Colliges

i°. Breve *Impensa* Pii VII ecclesias receptitias innumeratas regni Neapolitani reduxit ad numeratas, easque Ordinariorum auctoritati subiecit.

**2°.** In iisdem ecclesiis beneficia praemisso examine conferenda erant ; hinc abolita fuit praevia gratuiti servitii praestatio atque extradioecesanorum exclusio.

3°. Quinimo omnes abolitae fuerunt consuetudines contrariae; utrum autem praeter praesentes, etiam futurae abolitae fuerint, certo determinari nequit, quum inter ipsos Doctores disputetur num clausula generalis derogare quoque valeat consuetudini introducendae.

4°. Sed quidquid sit de hac quaestione, non constat in ecclesia cathedrali Potentina veram extitisse consuetudinem Brevi *Imptnsa* derogantem; ideoque dictum Breve ibidem executioni demandandum est.

5°. Episcopus Potentinus ius habet libere conferendi canonicatus ecclesiae cathedralis, quia articulus X Concordati a. 1818 statuit ut « Canonicatus liberae collationis respective conferentur a Sancta Sede et ab Episcopis; scilicet sex primis anni mensibus a S. Sede, aliis vero sex mensibus ab Episcopis. Prima dignitas semper erit liberae collationis Sanctae Sedis ».

6°. Archipresbyter parochus subiacet legi concursus , quum iuxta art. XI eiusdem Concordati « Sanctitas Sua concedit Episcopis regni huius conferendi paroec as, quae quovis anni tempore erunt vacaturae. Praevio concursu in paroeciis liberae collationis, Episcopi eas conferent iis inter adprobatos, quos digniores iudicabunt».

**7°.** Demum Episcopus ad tramitem Conc. Trid. *(Sess. 22, cap. p de Reform.)* ius habet singulis annis exigendi etiam a Capitulo cathedrali rationem administrationis reddituum.

# BERGOMEN.

## INTERPRETATIONIS ULTIMAE VOLUNTATIS

### Circa pium legatum pro pauperibus u lius paroeciae relictum, quae postea in duas dismembrata fuit.

**Species facti.** Comes Galeazzo Caleppio testamento diei 26 Martii 1871 pauperibus paroeciae loci Tagiiuno, dioeceseos Bergomensis, in perpetuum ligavit annuas libellas 400, distribuendas tamen a parocho locali cum omnimoda Congregationis Caritatis, auctoritatis politicae et municipalis exclusione.

Interea a. 1901 paroecia loci Tagiiuno per decretum episcopale dismembrata fuit atque erecta alia paroecia sub nomine S. Mariae de Cividino. Rector novae paroeciae expostulavit ut congrua legati pars sibi cederetur administranda et elargienda pauperibus propria.; paroeciae; at obstitit parochus ecclesiae matricis, tantummodo se paratum exhibens ad recipiendas preces pauperum novae paroeciae a respectivo parocho commendatas. Hinc parochus loci Cividino ad H. S. C. recursum obtulit.

**Rationes parochi loci Cividino.** Hic contendit etiam pauperes sibi concreditae paroeciae ius habere ad pium legatum, cum et ipsi tempore conditi legati et mortis testatoris efformarent unicam paroeciam loci Tagiiuno; nec ex facto quod nova erecta fuerit paroecia recte inferri potest huiusmodi pauperes amisisse praefatum ius. Quinimo hoc adeo clarum et evidens est ut neque a contradictore parocho loci Tagiiuno denegari queat ; qui tantum sese opponit ad translationem partis legati in novam paroeciam, et sibi reservatam vult facultatem distribuendi quotam partem subsidii pauperibus paroeciae loci Cividino.

Sed hanc reservationem totis viribus impugnat parochus loci Cividino, sive quia in animo testatoris fuit ut redditus legati pauperibus elargiantur a proprio parocho, sive quia

parochus proprius melius prae aliis necessitates parochianorum agnoscit, sive quia secus essent timenda iurgia et dissensiones in legati elargitione ob praelationem, quam parochus loci Tagiiuno forte- haberet pro suis filianis.

**Rationes parochi loci Tagiiuno.** Ipse ex adverso observat pauperes novae paroeciae ius amplius non habere ad legati fruitionem, quia pium legatum pro pauperibus paroeciae Tagiiuno taxative relictum fuit, dum e contra filiam novae paroeciae ad antiquam parochiam Tagiiuno non amplius pertinent.

Item adnotat quod erogatio et executio legati a testatore reservata fuit privative parocho loci Tagiiuno, ac proinde nullum ius- sibi vindicare potest parochus ecclesiae filialis, cum ipse nullimode in legati administratione sit vocatus. Demum animadvertit quod in decreto erectionis novae paroeciae nulla mentio et reservatio pro participatione legati facta fuit favore pauperum ipsius, neque fortasse fieri potuisset quia Episcopi nequeunt pias decedentium voluntates immutare.

Hisce tamen non obstantibus, parochus loci Tagiiuno declarat se non esse prorsus alienum a refundenda aliqua parte legati etiam in pauperes novae paroeciae, dummodo tamen pro re nata praecedat toties quoties parochi petitio.

**Resolutio.** Emi Patres S. Congregationi Concilii praepositi, in comitiis generalibus diei 25 Iunii 1904 respondendum mandarunt : *Diviso legato pro rata incolarum a die dismembrationis computandorum, distributionem faciendam esse ab unoquoque parocho pro suis respectivis pauperibus, et ad mentem.*

## Colliges

i°. Pium legatum relictum fuit pro omnibus pauperibus paroeciae loci Tagiiuno ; quorum pars, ex eo quod novam constituat paroeciam, ius amittere nequit ad proportionalem legati fruitionem.

2°. Divisio legati praecipitur facienda pro rata incolarum a die dismembrationis paroeciae computandorum ; hinc praecluditur etiam via possibilibus futuris controversiis pro maiore vel minore pauperum numero in utraque paroecia extantium.

3°. Testator in assignanda administratione et successiva legati elargitione parocho loci Tagiiuno intendit tantum excludere auctoritatem praesertim laicam, non autem parochi alterius parochiae eodem in loco erigendae; quod praesumendum est etiam expressis verbis statuisse, si casum praevidere potuisset.

# EX S. CONGREGATIONE RITUUM

## CARPEN.

**De genuflexione duplici peragenda a Canonicis ad circulum venientibus** et **ab illo recedentibus ad « Agnus Dei ».**

A Sacrorum Rituum Congregatione expostulatum fuit: Utrum in Missa solemni coram Episcopo celebrata Canonici venientes ad circulum et ab illo recedentes ad *Agnus Dei,* utroque genu genuflectere versus Altare debeant, vel debeant et possint genuflectere unico genu ?

Et Sacra eadem Congregatio, referente subscripto Secretario atque audita sententia Commissionis Liturgicae rescribere rata est: *Affirmative* ad primam partem (i), nisi ex

(i) Caeremoniale Episcoporum *(lib. I, cap. 21, n. 3)* agens de ultimo circulo ante Episcopum a Canonicis faciendo ad recitandum cum ipso *Agnus Dei* etc., statuit ut « dum veniunt ad circulum et dum discedunt, ambobus genibus versus Altare genuflectant propter reverentiam SS. Sacramenti, quod est super eo ». Igitur genuflectio duplex a Canonicis peragenda est, simplex vero tunc tantum permittitur, quum consuetudo viget. Citatum Decretum *Rhemen,* prostat in *Actis S. Sedis,* vol. 36, p. 697. *(N. R.).*

consuetudine obtinuerit genuflexio simplex iuxta Decretum *Rhemen.* 20 Maii 1904; et quoad secundam partem provisum in prima.

Atque ita rescripsit, die 4 Novembris 1904.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. * S.

f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

## CENETEN.

### In omnibus defunctorum Anniversariis duplicantur Antiphonae.

Hodiernus sacris coeremoniis praefectus in Ecclesia Cathedrali Ceneten., de consensu Revmi sui Episcopi sequens dubium Sacrorum Rituum Congregationi, pro opportuna declaratione humillime proposuit, nimirum:

Utrum verba Rubricae Ritualis Romani cap. 4 *Officium defunctorum,* quae ita leguntur « *In die vero... anniversario duplicantur Antiphonae* », intelligenda sint de primo tantum anniversario vel etiam de ceteris anniversariis sequentibus annis celebrandis ?

Et Sacra eadem Congregatio ad relationem subscripti Secretarii, exquisito etiam voto Commissionis Liturgicae respondendum esse censuit :

*Negative* ad primam partem, *Affirmative* ad secundam.

Atque ita rescripsit, die 4 Novembris 1904.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. ^ S.

f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

TUNQUINEN.

**Decretum Beatificationis seu Declarationis martyrii Venn. Servorum Dei Ordinis Praedicatorum Hieronymi Hermosilla, Episcopi Miletopolitani Vicarii Ap. Tunquini orientalis; Valentini Berrio-Ochoa, Episcopi Centuriensis, Vicarii Apostolici Tunquini centralis, Petri Almato, Sacerdotis Missionarii ; et Ven. Servi Dei Iosephi*Khang, indigenae.**

Ad instantiam Rmi P. Mauri M. Kaiser Ordinis Praedicatorum Postulatoris Generalis, Emus et Rmus Dnus Cardinalis Dominicus Ferrata, loco et vice Emi et Rmi Domini Cardinalis Seraphini Cretoni praedictae Causae Tunquinen. Ponentis seu Relatoris, in Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis Rotalibus subsignata die ad Vaticanum coactis, sequens dubium discutiendum proposuit : « *An constet de validitate Processuum Apostolica auctoritate constructorum, necnon Inquisitionum ab Ordinariis habitarum; item de obedientia praestita Decretis sa. me. Urbani Papae VIII super non cultu praefatorum VV. Servorum Dei in casu et ad effectum de quo agitur?* » Et Sacra eadem Congregatio, audito etiam voce et scripto R. P. D. Alexandro Verde S. Fidei Promotore, omnibusque perpensis rescribere censuit: « *Affirmative seu constare* ». Die 8 Novembris 1904.

Facta postmodum de his Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Pro-Praefectum relatione, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae eiusdem Congregationis ratum habuit atque probavit, die 9 eiusdem mensis et anni.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. S.

f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

## GIENNEN.

**De non toleranda Missa lecta in Altari chorali, de duobus Missalibus non adhibendis, deque « Gloria in excelsis » non praeintonando.**

Hodiernus Rev.mus Episcopus Giennensis in Hispania summopere cupiens ut in Ecclesia Cathedrali Dioeceseos sibi commissae sacrae functiones rite peragantur, a Sacrorum Rituum Congregatione insequentium dubiorum declarationem supplex expostulavit ; nimirum :

I. Utrum tolerari possit consuetudo celebrandi unam Missam lectam in Altari maiori, quod est etiam chorale, dum in choro canitur *Prima ?*

II. Utrum Canonici Missam solemnem celebrantes in Ecclesia Cathedrali adhibere licite valeant duo Missalia, unum in cornu Epistolae et aliud in cornu Evangelii?

III. An permittenda sit praeintonatio *Gloria in excelsis* in Missis solemnioribus a duobus cantoribus dum in choro canitur *Kyrie eleison?*

Et Deus etc....

Et Sacra eadem Congregatio, referente subscripto Secretario, auditoque voto Commissionis Liturgicae rescribendum censuit :

Ad I, II et III *Negative*, et serventur Rubricae et Decreta.

Atque ita rescripsit, die II Novembris 1904.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. S.

f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

## GOANA

**Ius sustinendi hastas baldacchini in processionibus eucharisticis, atque gestandi utrinque lucernas elatas pertinet ad Confraternitatem SS. Sacramenti.**

Hodiernus Revmus Dnus Antonius Sebastianus Valente, Archiepiscopus Goanus, Patriarcha Indiarum Orientalium, a Sacrorum Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutionem reverenter expetivit, nimirum :

I. An, ex eo quod Confraternitati Sanctissimi Sacramenti competit loci praecedentia in processionibus eucharisticis, eidem etiam prae ceteris Confraternitatibus ius adsit sustinendi hastas baldacchini sub quo Venerabilis Eucharistia deducitur, necnon portandi ad utrumque baldacchini latus lucernas elatas ?

II. Et quatenus *Affirmative,* an ab Ordinario mos permitti possit, cuius vi aliae Confraternitates in titularis sui festo processionem cum Venerabili Eucharistia peragentes consuevere hastas baldacchini et utrinque lucernas elatas portare, data de cetero loci praecedentia Confraternitati Sanctissimi Sacramenti? (i)

(i) Gregorius XIII Constitutione *Exposcit pastoralis officii* 25 Iulii 1583 ad dirimendas controversias, quae de praecedentia in Processionibus aliisque ecclesiasticis functionibus excitabantur inter varias Confraternitates laicales, sequentem generalem regulam praescripsit, ut nempe : « qui in quasi possessione praecedentiae ac iuris praecedendi sunt, ii... in Processionibus tam publicis quam privatis praecedere debeant. Quando vero non probetur aut non constet de quasi possessione praecedentiae huiusmodi... inter Confratres inter se litigantes ii, qui prius *(in civitate videlicet vel loco)* saccis usi sunt, in Processionibus tam publicis quam privatis praecedere debeant... ». Haec regula deinde firmata fuit pluribus Décrets S.C. Rituum, uti in una *Tarentina* II Iulii 1588, n. 3- *Thelesina* 19 Martii 1611, n. 291; et 24 Iulii 1638, n. 653, etc.

Huic tamen generali regulae limitatio quaedam inducta fuit favore Sodalitatis SSmi Sacramenti, quae praecedentiam obtinet super alias Sodalitates laicales antiquiores non tantummodo in omnibus SSmi Sacramenti Processionibus sed etiam in quibuscumque aliis functionibus, in quibus SSma Eucharistia de-

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisita sententia Commissionis Liturgicae, reque accurate perpensa rescribendum censuit:

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. *Negative.*

Atque ita rescripsit, die 11 Novembris 1904.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. «f S.

f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

fertur; ita, ceteris omissis, patet ex Decretis S. C. Rituum in *Mediolanen.* 19 Iunii 1655, n. 986; *Novarien.* 26 Aug. 1752, n. 2421 ad i; *Imolen.* 12 Apr. 1823, n. 2628; *Westmonasterien.* 11 Dec. 1896, n. 3g35 ad 2; et praesertim in una *Beneventana* r 7 Aug. 1833. n. 2708. At praedicto praecedentiae privilegio Sodalitas SSmi Sacramenti frui nequit nisi accedat etiam ad alias Processiones, et in loco sibi debito seu iuxta antianitatis ordinem ; imo ipsa tenetur et cogi potest ad alias Processiones iussu tamen, prudentia et arbitrio Ordinarii; quemadmodum liquet ex eiusdem S. C. Decretis in *Lünen et Sarqanen.* 18 Iun. 1639, n. 682; *Vercellen.* 20 Sept. 1687, " - 17§9 ; *Meliten.* 23 Sept. 1820, n. 2606; *Squillacen.* 17 Ian. 1887, n. 3668; et praesertim in *Beneventana* 17 Aug. 1833, n. 2708.

Praeterea Caeremoniale Episcoporum lib. I, cap. 14, n. 4 animadvertit quod in Processionibus SSmi Sacramenti observari solet ut « primo loco deferant hastas *(baldachini)* Sacerdotes digniores de Capitulo sive sint Dignitates sive Canonici, sive Beneficiati, aut Mansionarii digniores, iuxta consuetudinem ecclesiae ». Quibus verbis non inducitur praeceptum neque pro Canonicis neque pro aliis Beneficialis deferendi baldachini hastas, sed innuitur tantummodo vigens consuetudo. Ob defectum Sacerdotum de Capitulo, nullum dubium quod vocari possint alii Sacerdotes vel etiam clerici qui, iuxta Caeremoniale lib. I, cap. 14, n. 3, et lib. II, cap: 33, n. 21, hastas baldachini solum « portabunt per totam ecclesiam et in porta ecclesiae illas relinquent in manibus laicorum, qui primo loco Barones et nobiliores seu Magistratus esse debent, deinde alii». Deficientibus quoque nobilibus viris, tunc tantum exurgit ius Confratribus SS. Sacramenti sustinendi hastas baldachini, exclusis Confratribus aliarum Sodalitatum, non obstante consuetudine in contrarium faciente, veluti statuitur in hodierno Decreto.

Demum Caeremoniale Episcoporum lib. II, cap. 33, n. 7 praescribit: «A lateribus hinc inde ibunt octo Capellani... portantes funalia accensa ». Et Instructio Clementina pro Oratione 40 Horarum § XX, quae tamen extra Urbem non obligat, habet: « Intererunt omnino, superpelliceo induti et cum intorticiis ardentibus in manu, octo Sacerdotes qui a lateribus ante baldachinum ibunt ».

# EX S. C. INDULGENTIARUM ET SS. RELIQUIARUM

## PALENTINA

Circa authenticitatem unius ex spinis Coronae Domini.

Rmus Episcopus Palentinus Henricus Almaraz y Santos huic S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae quaestionem dirimendam exhibuit de authenticitate unius ex spinis Coronae Dñi Nostri Iesu Christi, quae asservatur in Sacrario ecclesiae parochialis suae Dioecesis *Sanctae Mariae ad Spinam,* cui olim adnexum erat Monasterium Monachorum Cisterciensium. Porro S. Congregatio, ad quam Episcopus Palentinus de hac re documenta examinanda detulit, sequens dubium solvendum proposuit :

An ex deductis ab Episcopo Palentino moralis certitudo habeatur de S. Reliquiae authenticitate in casu, ita ut illa cultui publice proponi in posterum valeat ?

Et Emi Patres in Generali Congregatione habita die 13 Augusti i904 in Palatio Vaticano, respondendum mandarunt: *Non esse inter loquendum super deductis ab Episcopo Palentino. Sed, attenta potius saeculari cultus possessione S. Reliquiae exhibiti, Episcopus utatur iure suo.*

Quam Emorum Patrum resolutionem, in Audientia habita die 14 Septembris 1904 ab infrascripto Cardinali Prae-

**Sacerdotes vel etiam clerici funalia portantes non debent incedere a lateribus baldachini sed hinc inde, idest ab una et altera parte immediate ante baldachinum, aliquantulum ab invicem separati ita ut tertius posset facile inter ipsos procedere. Cfr. De Herdt, *Praxis Pontificalis,* tom. III, lib.** 2, **cap.** 33, **n.** 7; **necnon Van der Stappen, tom. V, cap.** 6, **n. 13. Quum autem deficiant clerici, aut etiam ipsis adstantibus iuxta nostram sententiam et quorumdam locorum morem, tunc intorticia deferunt Confratres SSmi Sacramenti, qui (iuxta Decreta S. C. Rituum in *Nicien.*** 3o **Ian.** 1616, **n.** 33g; ***Baren.*** 23 **Sept.** 1713, **n.** 2220 **ad i; *Senogallien.*** 5 **Maii** 1736, **n.** 232o; ***Bonaëren.*** 4 **Maii** 1882, **n.** 3549), **non ante baldachinum post Capitulum sed a latere baldachini incedere debent. *(N. R.).***

fecto SSmo Dno Nostro Pio PP. X relatam, idem SSmus benigne probavit et confirmavit.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 14 Septembris 1904.

A. Card. TRIPEPI, *Praefectus.*

L. ^>S.

f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

## Indulgentia largitur invocantibus SS. Nomina Iesu et Mariae.

*Beatissimo Padre,*

Antonio Maria Grasselli, Arcivescovo di Viterbo, prostrato al trono di V. S. umilmente implora a favore di tutti i fedeli, ogni volta che divotamente invocheranno colle labbra, o almeno col cuore, i nomi SSmi di Gesù e di Maria, l'indulgenza di 300 giorni, applicabile anche alle anime purganti. Che della grazia ecc. (1).

*Ex audientia SSmi diei 18 Septembris 1904.*

SSmus D. N. Pius PP. X benigne annuit pro gratia iuxta preces. Praesenti in perpetuum valituro, absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, die 10 Octobris 1904.

A. Card. TRIPEPI, *Praefectus.*

L. 4* S.

f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

(i) (Versio). *Beatissime Pater* - Antonius Maria Grasselli, Archiepiscopus Viterbiensis, ad thronum S. V. provolutus, humiliter petit pro omnibus Christifidelibus toties quoties labiis, aut saltem corde, SSma nomina Iesus et Mariae devote invocaverint, indulgentiam 3oo dierum, applicabilem quoque animabus in Purgatorio degentibus. Quod etc.

# EX S. C. A NEGOTIIS ECCL. EXTRAORDINARIIS

## Indulgentiae largiuntur orationem initio Missae recitantibus.

OFFERTA DA FARSI AL PRINCIPIO DELLA S. MESSA

Eterno Padre, mi unisco alle intenzioni ed agli affetti che ebbe Maria SS. Addolorata sul Calvario, e vi offro il Sacrifizio che di se stesso fece sulla Croce ed ora rinnova su questo santo Altare il vostro diletto figlio Gesù: i°. Per adorarvi e darvi 1' onore che meritate, confessando in Voi il supremo dominio su tutte le cose, da Voi 1' assoluta dipendenza delle medesime, in Voi il nostro unico ed ultimo fine. *2°.* Per ringraziarvi degli innumerevoli beneficii ricevuti. 3°. Per placare la vostra Giustizia irritata per tanti peccati e darvene degna soddisfazione. 4°. Per implorare grazia e misericordia per me, per..., per gli afflitti e tribolati, per i poveri peccatori, per il mondo tutto e per le anime benedette del Purgatorio (1).

*Ex Audientia SSmi die j Iulii 1904.*

SSmus Dnus Noster Pius divina providentia PP. X, referente me infrascripto Subsecretario S. Congregationis Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis praepositae benigne annuit pro gratia Indulgentiae tercentum dierum in forma Ecclesiae con-

(i) (Versio). *Oblatio peragenda initio S. Missae* — Pater aeterne, intentiones et affectus, quos Maria SSma Perdolens super Calvario habuit, meos efficio, atque sacrificium tibi offero, quod de se ipso in Cruce obtulit et nunc super hoc sanctum Altare renovat dilectus filius tuus Iesus: i°, ut te adorem et debitum tibi reddam honorem, in te profitendo dominium supremum in omnibus rebus, a te absolutam earum dependentiam, in te nostrum unicum et ultimum finem ; 2°. ut de innumerabilibus beneficiis receptis gratias tibi agam ; 3°. ut tuam iustitiam pro multis peccatis offensam placem ac condignam tibi reddam satisfactionem ; 4°. ut gratiam et misericordiam implorem pro me, pro...., pro afflictis et cruciatis, pro miseris peccatoribus, pro universo mundo ac pro sanctis animabus Purgatorii.

sueta lucrandae etiam pluries in die ab omnibus utriusque sexus Christifidelibus qui praedictam orationem initio Sacrosancti Missae Sacrificii, cui adstiterint, devote recitaverint: nec non pro gratia plenariae Indulgentiae lucrandae semel in mense ab iis qui sacramentaliter confessi et S. Communione refecti eamdem orationem recitaverint omnibus et singulis diebus festis initio Missae de praecepto. Quas quidem Indulgentias Sanctitas Sua applicabiles animabus Purgatorii misericorditer in Domino est impertitus. Contrariis quibuscumque minime obfuturis.

Datum Romae e Secretaria eiusdem S. Congregationis, die, mense et anno praedictis (i).

L. S. IOSEPHUS AVERSA, *Subsecretarius.*

Praesens Rescriptum transmissum fuit ad hanc Secretariam S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae.

In quorum fide etc.

Datum Romae ex eadem Secretaria, die 8 Iulii 1904.

L. •!> S. Iosephus M. Can. Coselli, *Substitutus.*

# APPENDIX II.

## DE DISPENSATIONIBUS MATRIMONII RATI ET .VON COMMATI

### § 2. *De Natura Potestatis* (2).

18. Duplex in Ecclesia communiter a Doctoribus distinguitur potestas; scil. potestas *ordinis* et potestas *iurisdictionis* (3); « cum enim finis Ecclesiae proximus... *sanctificatio sit*

(1) Ad rem facit etiam oratio, quae prostat in *Raccolta di Orationi e pie Opere,* Tipografia di Propaganda Fide, ed. 1898, p. 29. *(N. R.).*

(2) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. *3j,* pag. 131.

(3) Quaestio est inter DD. an praeter potestatem *ordinis ex* potestatem *iurisdictionis* admitti debeat tertium membrum sc. potestas *magisterii.* TARG.UINI

*animarum* (Rom. VI, 22), quae nonnisi geminarum virium conspiratione comparari potest, hoc est *gratia santificante,* quam Christus *per Sacramenta* conferre voluit, atque hominis

scribit : « tertium potestatis genus quod magisterii appellavit, frustra invexit ei. Philipps, (Droit ecclésiastique trad. par M. Crouzet, Introd. § XXXII et alibi). Si enim purum sit magisterium potestas dici nequit ; sin autem ita concipitur ut ius eidem insit inclinandi fideles in obsequium fidei, eorumque assensum imponendi, pars est potestatis iurisdictionis. Non erat igitur discedendum a doctrina in scholis catholicis communi », *(Iuris eccles. Institutiones, lib. I, n. 4 nota;* DE LUCA, S. I., *Institutiones iuris eccles, publici... igoi, vol. i, pag. 2).*

At alii DD., praesertim theologi, contrarium tenent.

Non. est tamen difficile utramque componere sententiam, si prae oculis habeantur quae docte scribit, more suo, Card. FRANZELIN *(Theses de Ecclesia Christi, Romae 1887, thesis V. pag. 46).*

Cum agatur de quaestione recenti, gratum fore existimamus nostris Lectoribus, si per extensum referimus ea quae hac de quaestione scribit Cardinalis FRANZELIN.

Itaque primo thesim proponit: « Quamvis verissima et maxime necessaria sit solemnis divisio inter potestatem *ordinis* et *iurisdictionis;* attamen potestas *iurisdictionis* quae in bimembri illa partitione *generice* sumitur, ad maiorem claritatem potest et ob proprietates inter se diversas debet in S. Theologia distingui in potestatem regiminis seu iurisdictionis specifice dictae et in potestatem authentici atque in sua plenitudine infallibilis magisterii, ita ut theologice vera censeri debeat distinctio trimembris sacerdotii seu sacri ministerii, ecclesiastici imperii, et authentici magisterii ». Atque in decursu theseos ita declarat distinctionem potestatis *iurisdictionis* specifice spectatae et *authentici magisterii.*

« Verum, quod potissimum est, a nobis quaeritur non est distinctio aut divisio potestatis iurisdictionis generice spectatae ab altera potestate ordinis; sed utrum et quomodo in ipsa illa potestate iurisdictionis duae rationes formales, potestas divini *magisterii* et potestas ecclesiastici ministerii seu iurisdictionis specificae dictae, inter se distinctae censeri debeant ».

« i°. Ut nescio quam suspicionem novitatis alicui ingestam ab ipso limine praeoccupemus, videamus primo modum sentiendi et loquendi de hac re penes vetustiores theologos. Suarez certe ita loquitur, ut distinctionem supponere videatur communiter receptam ac per se notam, quae probatione aut defensione non indigeat. Ubi demonstrat Constitutionem Gregorii XIII *Ascendente Domino* non disciplinarem tantum sed dogmaticam esse, atque adeo ex plenitudine potestatis infallibilem, distinctionem duplicis clavis doctrinae et iurisdictionis, assumit ut certam et necessariam. — Quia potestas debet esse accommodata actui, certum est hic non esse tantum sermonem de potestate iurisdictionis, sed de potestate quae clavis scientiae appellatur; nam haec erat per se necessaria ad

sive per rectam fidem sive per bonam vitam *cooperatione,* necessario sequitur, duplex potestatis genus in Ecclesia esse oportere, eam scilicet quae ordinatur ad efficienda sacramenta,

hanc declarationem faciendam (ad declarationem videlicet, ad quam ergo potestas iurisdictionis sufficiens non fuisset). Potestatis autem plenitudo *in hoc genere* nihil aliud est quam quod potestas sit ad docendum, cum assistentia Spiritus Sancti ac certitudine infallibili. — Suarez, de Relig. t. IV, 1. III, c. 4, n. n. Eamdem assumit distinctionem in defensione litterarum Apostolicarum, quibus Paulus V condemnavit doctrinam ac prohibuit usum iuramenti a rege Angliae Iacobo I subditis catholicis impositi ad detegendos et reprimendos papistas; ubi attendas velim auctoris animadversionem, clavim scientiae pertinere ad condemnationem erroris in se spectati, clavim potestatis seu iurisdictionis referri ad personas, quibus fit praeceptum seu prohibitio. — Formula iuramenti, inquit, continet multa religioni et bonis moribus contraria, ergo Pontifex illam reprobando legitima clavium potestate usus est, nimirum clave scientiae declarando iniustitiam et malitiam illius iuramenti, quod est proprium munus pastoris, ad quem spectat pascere gregem Christi; et clave potestatis prohibendo usum talis iuramenti... Ad reprobandam falsam doctrinam non oportet esse iudicem competentem auctoris eius, neque ipsum aliter audire quam per scripta sua, ad *prohibendum autem sub praecepto* tale iuramentum necessaria quidem est iurisdictio in eos, ad quos fertur praeceptum, quam Angli catholici in Summo Pontifice tanquam in suo pastore recognoscunt; recte ergo potuit Pontifex Anglis talem prohibitionem imponere, praesertim cum non talem legem novam fecerit, quam divinam et naturalem de evitando illicito iuramento et falsi erroris professione fugienda declaravit (clave scientiae) et suo praecepto confirmavit (clave potestatis). Respectu autem regis, licet verissimum sit Pontificem esse ipsius iudicem competentem, ut supra ostendimus (ex charactere baptismi), nihilominus in hoc actu nullum iudicium iurisdictionis in regem exercuit. — Defens. fidei contra Reg. Ang. 1. VI, c. 7. Nullum iudicium iurisdictionis in regem exercuit; sed profecto etiam pro rege sicut pro aliis omnibus « declarando malitiam illius iuramenti » et « reprobando falsam doctrinam exercuit » potestatem quae clavis scientiae dicitur, « ad quam spectatam non opus est iudicio iurisdictionis, ut Suarez in toto contextu docet ».

« Eodem sensu sed paulo alia divisione de clavibus loquitur egregie theologus Lovaniensis Thomas Stapleton, ipse enim ex una parte ponit clavim scientiae, in altera claves potestatis tum ordinis tum iurisdictionis... Stapleton Opp. t. i, de Princip. fidei I. VI, c. i ».

« Haec obiter indicasse sufficiat ut ipso modo loquendi veterum theologorum appareat, magisterium et iurisdictionis imperium in Ecclesia ab eis ita intellecta fuisse, ut eorum distinctionem in dubium nec ipsi vocaverint nec vocari posse putaverint. Sed ne distinctio ipsa praepostere accipiatur, eius formales rationes paulo pressius definiendae sunt ».

quaeque potestas *ordinis* dicitur, et eam quae ad fidelium cooperationem dirigendam et, quantum fieri potest, efficaciter urgendam instituta est, quaeque potestas *iurisdictionis* ap-

« Nunc possumus quae induximus praecipua discrimina inter potestatem magisterii et ecclesiastici imperii seu iurisdictionis specifice dictae, sub unum velut conspectum ponere ».

« *d)* Amplitudine extensionis ex Christi Salvatoris mundi institutione potestas magisterii latius patet, quam illa iurisdictionis, ad omnes gentes non solum aggregatas Ecclesiae sed etiam ad vocandas in Ecclesiam... ».

« *b)* Potestas magisterii proprium suum obiectum veritatem nempe doctrinae et legis divinae non constituit, sed a Deo revelatam infallibiliter declarando nihil de suo addit, nihil de divinis detrahit... Hinc doctrinae ac leges semel infallibiliter per magisterium propositae aut definitae incommutabiles sunt, nec ulla est abrogandi, mutandi aut in iis dispensandi potestas. Eadem ratione interpretatio legis divinae a magisterio non fit nisi *inhaesiva;* si quando lex divina applicari videtur interpretatione quodammodo *extensiva,* id fit per legiferam potestatem iurisdictionis ».

« *c)* Obiectum magisterii formaliter spectati (i. e. quatenus est magisterium) est divinae doctrinae, legis... infallibilis manifestatio.... Obiectum iurisdictionis non est manifestatio revelatae veritatis... sed eius per infallibile magisterium manifestatae applicatio, defensio, vindicatio in Ecclesia propriis ecclesiastici imperii legibus, praeceptis, iudiciis, sanctionibus ».

« *d)* Authentica infallibilis magisterii praedicatione, expositione, definitione doctrinae tanquam revelatae immediata oritur obligatio *obedientiae fidei divinae*. . . . (Rom. 1,5; Galat. III, 2) h. e. obedientiae fidei propter solum motivum formale *auctoritatis Dei revelantis,* quamvis quae veritates et quo sensu revelatae credi debeant, per infallibilis magisterii propositionem innotescat; credimus *quidquid Ecclesia proponit* credendum *quia Deus illud revelavit*. . . . . . Potestas iurisdictionis utique et ipsa a Christo rege instituta et in suum regnum Ecclesiam derivata est, sed ita ut sit potestas ecclesiastica propria Pontifici et aliis quibus munere ordinario communicatur, vi cuius non divinis sed suis ecclesiasticis legibus, iudiciis, sanctionibus gubernant, hisque omnibus etiam doctrinam et legem divinam per infallibile magisterium traditam applicent, tueantur et vindicent erga subditos, qui in regno Christi secundum hierarchicam subordinationem iurisdictioni sunt obnoxii ».

« Propterea potestas iurisdictionis per se et immediate non ad internos sed ad externos actus in visibili regno Christi refertur; potestas magisterii primum et per se attingit ac obstringit mentem et voluntatem internam ».

« Ex adverso potestas iurisdictionis suas proprias leges constituit, atque ita novum ius conditur vel condi potest, quod sicut in suo ortu ita in suo vigore, vel in dispensatione, modificatione, abrogatione ab ipsa potestate iurisdictionis pendet... ».

« Sunt itaque rationes gravis momenti pro s. Theologia cur potestas iuris-

pellatur » (TARQUINI, *Iuris Ecclesiastici Institutiones..... Romae i862, lib. i, n. 4;* S. THOM. *Supplem,* qu. XVII et sq.; LEPICIER *De indulgentiarum valore disquisitio theologica, Romae i po o p^ I, n. I i).*

19. Cum in dispensatione matrimonii *rati* et *non consummati* nullum efficiatur sacramentum, uti patet, potestas dispensandi non est potestas *ordinis* sed potestas *iurisdictionis.*

20. Porro potestas *iurisdictionis* multipliciter a DD. distinguitur: ad casum praesentem sufficit memorasse, iurisdictionem distingui etiam in iurisdictionem *propriam* et *vicariam,* seu ministerialem, quae ita describuntur a WERNZ *{Ius decretalium, tom. 2, de const. Eccl. Catholicae, Prooemium* § *3, n. f).*

« *Prior* vocatur quae connaturaliter sequitur ipsam existentiam Ecclesiae ut verae societatis perfectae atque exercetur ab Ecclesia nomine proprio ut in foro suo. Qua potestate utitur Ecclesia si fideles indignos per excommunicationem a suo coetu expellit vel parochos negligentes suis officiis privat. Cfr. CAVAGNIS, *Inst. iur. publ. Eccles., p. i, p. 41 sq., 112 sq. Altera* cum potestas dicitur illa quae Ecclesiae concessa est vi specialis commissionis atque exercetur ab illa ut in foro Dei. Vi huius vicariae potestatis infallibiliter declarat verbum Dei, remittit peccata, concedit indulgentias, solvit vota, iuramenta, matrimonia rata ».

dictionis ut pro sua diversitate a potestate ordinis generice spectari et dici solet, ipsamet in regno veritatis fidei et sanctitatis morum distinguatur, quatenus est suprema potestas ecclesiastici imperii seu specifice dictae iurisdictionis in universam Ecclesiam, et quatenus est suprema potestas infallibilis magisterii quemadmodum ipsum Concilium Oecumenicum (Vaticanum) utramque non velut unam confundendo, sed duas connumerando distinctis capitibus definivit et declaravit, ita ut unitae duae claves S. Petri censendae sint consertae quidem et inseparabiliter auctae, non tamen confusae in unam, cum ambae datae sint a Christo ad ligandum et solvendum modo tamen diverso, ratione tum extensionis, tum specialis obiecti, tum efficientiae seu proprietatis solutionum ac ligaminum ». (Cfr. etiam BILLOT, *Tractatus de Ecclesia Christi. Editio altera, Romae ig02, quaest. VIII).*

21. Non defuerunt transactis temporibus qui putaverunt indissolubilitatem matrimonii rati provenire ex iure humano pontificio, cuius opinionis argumenta describit et confutai SÁNCHEZ *(De Matrim., lib. II, disp. iß, n. 6 et sq.* at « nostra aetate non amplius in dubium vocari potest etiam matrimonium *ratum* ex iure naturali et divino esse indissolubile» (WERNZ, */. c, n. 6p8, nota ßp ;* PALMIERI, *Tractatus de matrimonio christiano ... th. XVII et sq.).*

***22.*** Quare solutio matrimonii rati « non est actus potestatis legislativae, sicut est dispensatio, sed est actus alter plenitudinis potestatis solvendi efficax ex se ipso seu ex opere operato» (PALMIERI, */. c, th. XXV, n. LX);* et iuxta supradictam divisionem, potestas dispensandi seu solvendi matrimonia rata et non consummata est quidem potestas iurisdictionis non vero *connaturalis* sed *vicariae.*

23. Ad pleniorem intelligentiam naturae huius potestatis, nonnulla ulterius inquirenda sunt.

24. Ac in primis, an exercitium huius potestatis haberi debeat ut *solutio* vel *dispensatio* matrimonii.

25. Penes DD. et in praxi, promiscue haec vocabula usurpantur. Sic BENEDICTUS XIV seu melius LAMBERTINI, tunc cum erat a Secretis S. C. C. in causa *Frisingen.* die 7 Maii 1718 scribit: « supplicat pro eius solutione seu dispensatione » *(Quaest, can., q. 24).*

Tamen in praxi SS. CC. magis in usu est expressio *dispensationis.* Sic in S. Congr. Concilii, quando agitur de his dispensationibus, proponitur solvendum dubium sub consueta formula: *An consulenda?n sit S Sino pro dispensatione matrimonii rati et non consummati ;* et in S. C. de Propaganda Fide : *An supplicandum sit SSmo pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato.*

26. Profecto absque dubio in exercitio huius potestatis vera habetur solutio vinculi matrimonialis.

27. Sed nihil obstat, quod huiusmodi solutio dicatur etiam dispensatio, non quidem *sensu proprio* sed *sensu quodam lato.*

Certe si dispensatio sumitur *proprie,* quatenus, scilicet, significat relaxationem legis, seu melius obligationis legis, factam favore alicuius qui tamen relinquitur sub dominio legis, uti accidit v. gr. in dispensatione a lege ieiunii, huiusmodi dispensatio locum non habet in solutione matrimony rati et non consummati, in qua, cum solvatur ipsum vinculum matrimoniale, eo ipso coniuges subtrahuntur a dominio legis matrimonialis.

28. At optime dici potest dispensatio *sensu lato,* quod ita explicat BouQuiLLON, duce SUAREZIO, in casu simili dispensationis voti : « Dispensatio voti est debiti voto contracti remissio nomine Dei facta per superiorem legitimum ; unde maxime differt a dispensatione in lege, siquidem haec sit directa relaxatio obligationis, illa vero directa abrogatio facti, qua posita obligatio ipsa extinguitur; vocatur autem praedicta debiti remissio nomine dispensationis, quia non Deus ipse immediate sed per suum vicarium et quasi dispensatorem eam facit. Porro facillime intelligi potest tali modo fieri dissolutionem pacti et extingui obligationem». Sequitur citatio SUAREZII: « Nam etiam inter homines hoc modo tolluntur obligationes promissionum, et rex posset committere officiali suo ut promissiones sibi factas relaxaret vel componeret; ita ergo intelligere possumus fecisse Deum. Et tunc non dispensatur in iure divino... sed est dispensatio in iure Deo acquisito per votum quod suo modo ad factum pertinet, quatenus ius dicit actionem ad debitum. Quo modo possunt homines dici *dispensatores* iurium seu bonorum Dei, sicut a Paulo dicuntur *dispensatores* mysteriorum Dei, I Cor. 4. - Ita Suarez 1. 6, c. 9, n. 15» *(Tractatus de virtute religionis... Brugis 1880, n. 449* .

29. Sed praeter hanc rationem, quae communis est dispensationibus votorum et matrimonii rati, pro solutione matrimonii rati specialis habetur ratio, ita ut maiori iure solutio haec dici possit dispensatio.

30. Profecto solutio voti non solum non importat ullam legis relaxationem, sed quin imo conformis est legi promissionis propriae, de cuius natura est, ut quis teneatur stare promissis quousque persona, in cuius favorem promissio facta est, non renuntiaverit iuri per promissionem acquisito, atqui in solutione voti habetur renuntiatio ex parte Dei iuris per promissionem, seu votum, acquisiti: sed solutio matrimonii rati et non consummati locum habere nequit quin eodem tempore relaxetur pro casu particulari lex de indissolubilitate matrimonii. Abrogatur utique factum vinculi, sed una simul relaxando in eo casu legem indissolubilitatis.

Nimirum sicut in solutione voti ita et in solutione matrimonii rati et non consummati habetur abrogatio facti, cum hac tamen differentia, quod in solutione voti factum abrogatur adamussim iuxta legem quae promissiones et vota regit; e contra, in solutione matrimonii rati abrogatur factum sed contra legem indissolubilitatis matrimonii, quare ut abrogatio facti legitima sit, requiritur ut relaxetur pro eo casu particulari lex universalis indissolubilitatis.

31. Solutio ergo matrimonii rati et non consummati po tiori iure dici potest dispensatio quam votorum solutio, non solum quatenus habetur *dispensatio* favorum Dei, sed etiam quatenus habetur *relaxatio* quaedam legis divinae.

32. Ulterius inquiri potest; an solutio matrimonii rati actus sit *gratiae* vel *iustitiae.*

33. Non defuerunt qui recenter huiusmodi solutionem uti actum iustitiae definiverunt, quorum sententiam una cum aliorum DD. explicationibus de natura iuridica huius solutionis refert FAHRNER *(Geschichte der Ehescheidung in canonischen recht..... Freiburg. . . . ipoj, pag. ßßj) ;* de quibus tamen explicationibus bene notat WERNZ : « quae complures viri docti nostra aetate de natura iuridica dispensationis pontificiae super matrimonio rato disputarunt, praecisione theologica et canonica prorsus carent » (1. c. in *nota* 40).

34. Itaque, uti patet, huiusmodi solutio non est actus iustitiae sed actus gratiae ; ut enim bene observat FAHRNER (1. c.) « Papa exercendo potestatem dispensandi non agit ut iudex, quia agit ex libera voluntate et nullis iuridicis rationibus obligatur »; dum e contra quando v. gn agitur de declaranda invaliditate alicuius matrimonii ob impedimentum aliquod dirimens , habetur actus iustitiae qui super iuridicis rationibus fundatur, nec liberum est iudici sententiam ferre nec ne. Minus tamen est exactum quod addit idem FAHRNER (1. c.): « Quaecunque *solutio* manet valida, etiamsi ab animi levitate procederet ». Quamvis enim Pontifex per se non coarctetur ad dispensationem concedendam, si tamen eam concedit, concedere debet, et *quidem ad validitatem,* ex iusta causa, agitur enim de dispensando in lege divina, seu sui superioris.

35. Tandem restat ut videamus, an potestas dispensandi delegari possit.

36. Cum aliquando RR. PP. eamdem delegaverint, nulla potest esse quaestio,hac de re. *{Cfr.* supra n. 17 in *nota;* WERNZ, 1. c. n. 698 *nota* 41, citat nonnulla alia exempla).

37. Potius iuverit notare differentiam, quae etiam sub hoc capite intercedit inter potestatem ordinis et potestatem iurisdictionis, ita ut haec non vero illa delegari possit.

38. Sane « potestas *ordinis* non transfertur sola voluntate ac verbo committentis, neque per nudam eius commissionem, sed per manus impositionem. Cap. unie. *De sacra unctione* et cap. ultim. *De sacramentis non iterandis* ». (REIFFENSTÚEL, *lib. i, tit. 27, § 4, n. Sj).* Quare « carens charactere sacramentali .... nullam potest habere ordinis potestatem; unde haec nec *delegari* nec alio modo nisi per ipsam sacramentalem ordinationem conferri potest » (FRANZELIN, */. c, th. V, pag. jo).*

E contra potestas *iurisdictionis* a charactere essentialiter non pendet: « unde iurisdictio non solum episcopalis sed etiam suprema et plena in universam Ecclesiam quae est

Romani Pontificis, inesse potest absque charactere episcopali. Quod quidem re ipsa locum habet, quoties Pontifex eligitur, qui nec episcopus et forte neque presbyter nec diaconus est; ex divina nempe institutione, per legitimam electionem et accedentem ipsius consensum, designato Christus continuo totam confert iurisdictionis potestatem eamque divisam a potestate ordinis ».

**39.** Cum ergo potestas iurisdictionis alligata non sit characteri sacramentali, nil obstat quominus delegari possit et quidem non solum quae *connaturalis* dicitur *(I. More maiorum , ff. de iurisdictione,* et *cap.* **7** *Cum episcopus de officio Ordinarii in 6);* sed etiam ipsa *vicaria;* tamen intra limites iure divino vel ecclesiastico constitutos. « Hinc, scribit Card. FRANZELIN (1. c), . . . . patet ratio cur per delegationem Summi Pontificis sive ea sit per legem generalem, sive fiat dispositione et actu particulari, ii qui episcopi non sunt possint habere iurisdictionem qua in conciliis oecumenicis nedum concurrant ad decernendum in rebus ecclesiasticae disciplinae, sed etiam ad definiendum in rebus fidei ; nam et hoc alterum non ad ordinis sed ad iurisdictionis potestatem generice spectatam pertinet ».

Diximus intra limites *iure divinp constitutos ;* non enim v. gr. Summus Pontifex delegare posset alicui, in quacumque dignitate constituto, potestatem universalis magisterii cum praerogativa, qua ipse *personaliter* gaudet, infallibilitatis in Ecclesiae universae magisterio.

*(Sequitur)* B. Melata.

# DIARIUM CURIAE ROMANAE

*Pius PP. X Litteris Secretariae Status:*

**i°. Illmum ac Revmum D. Franciscum Faberi dignatus est nominare Secretarium Vicariatus Urbis ;**

**2°. Illmum D. Comm. Octavium Pium Conti, Advocatum consistorialem, benigne elegit Adsistentem Efño ac Revmo D. Card. Aloysio Tripepi, S. R. C. Pro-Praefecto, ac proximae Beatorum Alexandri Sauli et Gerardi Maiella canonizationis Procuratori;**

**3°. Illmos ac Rmos DD. Scipionem Tecchi et Hermetem Binzecher adnumeravit inter Abbreviatores supranumerarios Parci Maioris in Apostolica Cancellaria;**

**4°. Denique inter Consultores S. Congregationis de Propaganda Fide adnumerare dignatus est Illmos ac Revmos P. Caietanum Mariam Sergio Congregationis S. Pauli Barnabitarum, P. Benedictum Oietti Societatis Iesu, P. Seraphinum e Collepardo Minorum Cappuccinorum, et P. Ioannem Angehim de Marchi Servorum Mariae.**

**Die 17 Novembris 1904 Emus ac Revmus D. Card. Aloysius Macchi, iuxta ritum a Pontificali Romano praescriptum, Sacrum Pallium respectivis Procuratoribus imposuit, nempe Patriarcharum Ciliciae Armenorum, atque Veneciarum, necnon Archiepiscoporum Valentini, Compsani et Campaniensis, Olomucensis, Milwankiensis, S. Ioannis Terrae Novae, Naxiensis, Smymensis, Cincinnatensis, atque S. Ludovici in America ; nec non ipsis Archiepiscopis Lucano, Ravennatensi, Panormitano et Urbinatensi.**

**Die 21 Novembris ipse SSmus Dominus Sacrum Pallium imposuit Emo ac Revmo D. Card. Petro Respighi, eiusdem Vicario Generali, Procuratori Emi ac Revmi D. Card. Achillis Manara, Archiepiscopi Anconitani et Humani, atque Emo ac Revmo D. Card. Iosepho Calasanctio Vives y Tuto, Procuratori Emi et Revmi D. Card. Salvatoris Casañas et Pages Episcopi Barcinonensis.**

# ACTA ROMANI PONTIFICIS

## LITTERAE

**Quibus Pius PP. X Praesulibus Americae Septentrionalis de filialis devotionis obsequio grates agit.**

DILECTO FILIO NOSTRO
IACOBO TIT, S. MARIAE TRANS TIBERIM
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI GIBBONS
ARCHIEPISCOPO BALTIMORENSIUM

PIUS PP. X

*Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam benedictionem.*

Americae regionem, inter praestantes humanitate gentes multiplici re commendatam Nobisque apprime caram, tuae Nobis cariorem reddidere litterae, quas nomine Praesulum Foederatarum Americae Superioris civitatum haud ita pridem dedisti. Affectos enim istic mirifice in Romanum Pontificem esse animos, quamquam et saepe alias, et a te ipso etiam, quum primum fuimus ad Petri Sedem evecti, didicimus, novo tamen placuit constitisse argumento. Quod communi annui conventus voto gratulari Nobis dignitatem sacerdotii summam voluistis, id humanitati plane congruit comitatique vestrae. Ecclesiam autem quum simili prosequendam gratulatione putastis, quippe cui eum Christus Vicarium praefecerit qui instaurare omnia in eodem Christo constitutum habeat, id enimvero non sine obsecratione ac prece vos fecisse censemus, ea Nobis e coelo subsidia impertiri, e quorum vi debet proficisci tota, si quae erit unquam in Nobis, sollicitudinis Nostrae efficacitas. Vobis demum ipsi Satis ea de re gratulatis, quod nempe propensissima Nostro in animo insit erga Americanam gentem voluntas. Hunc porro sensum, e quo tam multum voluptatis, perinde quasi e vestri argumento amoris luculentissime, cepimus, afficere non modo laude, sed *con-*

firmare etiam gaudemus. Quam enim observantiam caritatemque catholicus Americae populus, optimorum exemplo Praesulum obsecutus, exhibendam Nobis, pro filiorum officio, censuit, eam studiosissima voluntate rependimus. Nostrae vero impertiendae demonstrandaequé in vos benevolentiae si assidua se occasio praebebit, erit Nobis id ad laetitiam, plurimumque procul dubio conducet ad necessitudinem arctius devinciendam, quae illustri vestro industrioque populo cum Apostolica Sede intercedit. Testem interea animi Nostri coelestiumque munerum auspicem Apostolicam benedictionem tibi, collegis tuis, universisque dioecesium vestrarum fidelibus peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die xm Iunii anno MDCCCCIV, Pontificatus Nostri primo.

PIUS PP. X

## LITTERAE

### Pii PP. X ad Sodalitatem capti vi tati abolendae in tertio conventu Tarenti coadunatam.

VENERABILI FRATRI

PETRO ARCHIEPISCOPO TARENTLNORUM

TARENTUM.

PIUS PP. x

*Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.*

Si progressione temporum progrediatur etiam civilis cultus oportet, commendandum maxime consilium putamus unde sodalitas captivitati abolendae adducta tertium Tarenti parat ad rem eamdem conventum. Unde viginti saeculorum praeterlapsa serie, ex quo Redemptor humani generis Christus homines iniquissima captivitate daemonum exuit, id certe refugit considerare animus hominem tamen captivitate hominum premi. At Christi, remedii unici loco, manent perficienda

iussa, miserisque si afferenda Religionis libertas est, nulla id fieri meliori ratione potest, quam illustrata prius hominum mente, et caritate deinde mota. Id esse tertio captivitate abolendae coetui propositum vehementer laetamur, eique memorem profitemur animum, quod, optatis congruenter Nostris, communem excitare curam pietatemque adlaboret. Tarenti autem, in urbe catholicorum congressionibus non semel hospitali, congregatum iri coetum, non minori Nobis laetitiae est, qui probe scimus nec consultandi lumen, nec deliberandi istic ardorem deesse. Restat ut vota et preces, uti prospero coetus concludatur exitu, addamus, idque pro eo, quo flagrai Nobis animus, subveniendi captivis studio, libenter facimus, Apostolicam benedictionem tibi ac singulis e conventu peramanter in Domino impertientes.

Datum Romae apud S. Petrum, die xx Decembris MCMIV, Pontificatus Nostri anno secundo.

PIUS PP. X

## ALLOCUTIO

### Qua Pius PP. X commendat studium Associationis Iurisconsultorum Galliae in iuribus Dei, Ecclesiae et Christifidelium defendendis (i).

Mi è ben grata la vostra presenza, **o** figli diletti, chiari ed illustri non solo per virtù, ma per scienza, specialmente del diritto e delle leggi; e risuonano dolci al mio animo, come la storia della vostra istituzione con tanta lucidezza narrata dal venerando Vescovo di Montpellier, così le parole piene di fede, di devozione e di santo coraggio, che mi

(i) Die i5 Octobris 1904 Sanctitas Sua in Audientia recepit Associationem Iurisperitorum catholicorum Galliae, et praesenti Allocutione respondit sermonibus Exmi ac Revmi D. Rovérié de Cabières, Episcopi Montis Pessulani, nec npn I,llmi D. De Lamarzelle, Reipublicae Senatoris *(N. R.).*

furono indirizzate dal degnissimo senatore, che presiede alla vostra associazione.

Purtroppo è manifesto a tutti *V* empio disegno e lo scopo finale cui tendono da lungo tempo i nemici della Chiesa Cattolica, che vorrebbero colla negazione e coi dubbi della incredulità spegnere la fede nel popolo cristiano, e colla indifferenza estinguerne i sensi generosi. Essi vorrebbero allontanare i popoli da questa cattedra di verità e sottrarli all'obbedienza del Vicario di Gesù Cristo per farli servire ai loro biechi intendimenti.

Non potrebbe certo immaginarsi disegno più funesto di questo come per gli interessi della religione, così pel vero benessere dei popoli, mentre la Chiesa con le dottrine che insegna, coi precetti che promulga e coi mezzi innumerevoli di cui dispone, non solo provvede alla salvezza eterna dei suoi figli, ma anche al bene temporale della società; bene che è vano sperare fuori di Dio e della sua Provvidenza.

Ora nessuno potrebbe adeguatamente apprezzare il merito di quei benedetti, che obbedienti al comando dato da Dio a ciascun uomo di adoperarsi per gli interessi eterni del suo prossimo: *et mandavit illius unicuique de proximo suo,* si uniscono insieme per opporsi a questa lega infernale, per far risplendere sui popoli il lume della verità ed infondervi T amore alla virtù.

Io quindi mi congratulo con voi, o dilettissimi figli, che da oltre trent' anni con la vostra associazione mirate a questo fine e combattete la santa battaglia per sostenere in privato ed in pubblico, e specialmente innanzi ai tribunali, i diritti di Dio e della Chiesa, la proprietà e la libertà di quanti servono all' uno ed all' altro opponendovi così direttamente all' empietà, che vorrebbe proscritto persino il nome di Dio e della Chiesa e di quanti ne osservano e diffondono le leggi santissime.

Mi congratulo con voi, o generosi campioni, che rico-

noscendo il vostro dovere, pel posto distinto che occupate nella società, col vostro esempio esercitate sul popolo una potente influenza per tenerlo unito a Cristo ed alla Chiesa. Mi congratulo con voi potenti coadiutori dei Religiosi e dei Pastori delle anime, che si sentono più forti, avendovi ausiliari al loro fianco nelle battaglie, e ne centuplicate i frutti con la efficacia della vostra parola. Mi congratulo, o gloriosi difensori dei perseguitati e degli oppressi ; e le preghiere di tante anime che riconoscono i vostri meriti, vi ottengano dal cielo le più elette benedizioni.

Ben so, che voi cristiani fedeli, che già eseguite da lungo tempo quanto ho qui ricordato, senza mancar mai ai vostri doveri verso Dio e gli uomini, non ambite in nome della religione felicitazioni ed elogi, contenti di ripetere quanto suggeriva Gesù Cristo ai discepoli : Siamo servi inutili ; abbiamo fatto il nqstro dovere: *Servi inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus.*

Ma se non volete gli elogi della religione, abbiatevi almeno quelli della vostra patria che riconosce anche in voi il principio della sua salvezza; abbiatevi quelli del Pastore universale delle anime, che apprezzando la vostra virtù, i vostri studii e i vostri sacrificii, ne vede già i frutti copiosi per la tranquillità della Chiesa. Nel cataclisma del diluvio universale Iddio ha conservato nella famiglia di Noè un seme di risurrezione: *remisit saeculo semen nativitatis.* Di questo seme partecipate pur voi, pei quali sarà chiamata col nome del Signore la generazione ventura. *Annuntiabitur Domino generatio ventura,* che vivrà per Iddio e lo servirà.

Esaudisca 1' Onnipotente questo mio voto e di esso sia presagio la benedizione che impartisco di cuore.

PIUS PP. X

# MOTU PROPRIO
## De constabilienda conditione hierarchica Ordinum Fratrum Minorum et Scholarum Piarum in Hispania.

PIUS PP. X

Singularitas regiminis, ex qua, veluti ex salubri quodam nexu, vim ac regularis observantiae tutelam Religiosi Ordines mutuantur, superiore saeculo, ob peculiaria adiuncta, gravissima illa quidem praeterque ordinem, sic in Hispania ab Apostolica Sede temperari debuit, ut moderatores instituerentur, qui, vario nomine, Religiosos omnes, in Regum Catholicorum ditione degentes, suprema auctoritate regerent; ita tamen ut, etiamsi hi totius Religiosae Familiae antistites appellarentur, nulla potirentur potestate in exterarum Provinciarum alumnos.

At vero huiusmodi Regularis Hierarchiae conditio, annorum decursu, multis magnisque, tum intra tum extra Hispaniae fines, difficultatibus patuit ; ut ideo innumeri censerentur Religiosi viri, ex omni Ordine omnique gradu, qui, laudabili studio, contenderent ad pristinam regredi regiminis unitatem, quae vel ipsis Hispanis multo fuerat gloriosior, ob dignitates ac munera, quibus Romae plures eorum fuerunt quovis tempore honestati, magna totius Catholicae Nationis commendatione.

Pro rerum igitur adiunctis, huic Religiosorum studio restituendae veteris, Ordinis cuiusque proprii, unitatis Sedes Apostolica ultro satisfacere conata est. Quamobrem Religiosae Familiae pleraeque omnes unico iam regimine gubernantur. Quod quam feliciter sit factum ipsi Religiosorum coetus manifestant, qui, in decorem pristinum revocati, adeo inter Hispanos florent, ut patriae genti maximo sint ornamento. Quod si ceterae Religiosorum consociationes, quae nondum unitate regiminis fruantur, provehi et amplificari cognoscuntur ; id debetur maxime bonae alumnorum voluntati, qui, non modo

Sedis Apostolicae mandatis stare semper parati sunt, sed cum supremis praeterea sui cuiusque Ordinis moderatoribus animo coniunguntur; unde et adstatores Romae habere de gente sua apud eosdem supremos Moderatores gaudent et gloriantur.

Iamvero, dum Franciscales Minores atque Ordo Scholarum Piarum eo regimine, in Hispania, uti pergent, quo nunc utuntur, quodque Nos peculiaribus de causis permittimus ac toleramus *ad nutum Sanctae Sedis;* ut sarta sit atque tecta eorundem Ordinum *substantialis* unitas, quam Sedes Apostolica numquam sublatam voluit, et ut certae tutaeque habeantur normae circa potestatis amplitudinem Moderatorum dictorum Ordinum in Hispania, ipsorumque cum supremo totius religiosi Ordinis Antistite coniunctionem, edicimus atque *in virtute sanctae obedientiae* iubemus quae sequuntur:

I. Vice-commissarius apostolicus Fratrum Minorum in Hispania itemque Vicarius Generalis Scholarum Piarum sunt vere Vicarii Generales, alter Ministri Generalis, alter Praepositi Generalis Ordinis cuiusque sui. Uterque appellatione *Vicarii Generalis Minorum in Hispania* et *Vicarii Generalis Scholarum Piarum in Hispania* tanquam priva et propria utetur.

II. Ambo eligentur in *Capitulo interprovinciali hispanico:* hoc enim vocabulo Capitula eiusmodi designabuntur. Electores vero, sive ut aiunt *Vocales,* qui dictis Capitulis intererunt, iidem habebuntur qui in ceteris Ordinis Provinciis, in Capitulo Generali adesse ius habent. — Porro Capitula interprovincialia sexto quoq **íe** anno cogentur, elapso mense a Capitulo Generali celebrato.

III. Assistentes seu Definitores Vicarii Generalis hispania, quavis alia appellatione abrogata, *Assistentes* seu *Definitores interprovinciales Hispaniae* vocabuntur. — Eorumdem electio in Capitulis interprovincialibus fiet.

IV. Vicarii Generales eorumque Assistentes seu Definitores ultra sexennium suo quisque munere fungi nunquam

poterunt, nisi ex peculiari Sedis Apostolicae facultate. Munere autem cedent post mensem a celebratione Capituli Generalis in quo vel Moderator supremus eligitur, vel saltem Definitores novi sufficiuntur.

V. Auctoritas Vicariorum Generalium Hispaniae quum sit tantum in Religiosos homines qui in terris hispanis degunt; iidem Vicarii in domos seu coenobia, ultra mare sita, delegata tantum auctoritate potientur ; eo modo eaque amplitudine, quae Supremis Ordinis Antistitibus videbuntur.

VI. Porro auctoritas haec in transmarinas domos sic a Moderatore Generali communi pacto cum vicario hispanico definietur, ut quae sequuntur leges minime praetereantur.

*a)* Missio ac revocatio Religiosorum fiet a Vicario Generali, adhibito prius consensu Moderatoris Generalis.

*b)* Item Vicarii Generalis erit designare eos, qui domos transmarinas regant ; id tamen non sine praevio consensu Ministri seu Praepositi Generalis fiat, praesertim ubi de maioribus Superioribus deligendis agatur.

*c)* Ius atque officium Vicario erit, per se vel per alium, transmarinas domos rite invisendi, annuente tamen in antecessum Moderatore Generali.

*d)* Quae Provinciae Religiosorum trans mare sunt, quin ab aliquo Provinciali Superiore in Hispania dependeant; earum Generalis Ordinis Moderator unice Superior esto. — Quapropter nullus erit locus auctoritati delegatae Vicariorum Generalium, si transmarinae domus cum aliqua Hispaniae Provincia, veluti pars eius, minime cohaereant, vel cum eadem in unam Provinciam vel quasi Provinciam coalescant.

VII. Celebratio Capitulorum Interprovincialium Hispaniae, itemque eorum confirmatio, nec non electionum in iis peractarum, ad unum totius Ordinis Moderatorem privo iure pertinebunt.

VIII. Quidquid a Curia Regulari, quae Romae est, pro auctoritate edicendum erit, per Vicarios Generales ordinario

transmittatur. Quin vero ab iisdem Vicariis edoceantur ac votum exquirant, Supremi Moderatores Ordinis nulli *obedientiam* quam vocant, ordinario dabunt extra fines Hispaniae exsequendam. — Nemo autem Religiosorum egredi ex Hispania poterit, etiam ut Romam veniat, nisi facultate facta a Magistro seu Praeposito Generali : quod si ab hoc arcessatur, abnuere nequaquam poterit eo pergere, quo advocabitun

ÌX. Supremo Ordinis Antistiti reservantur nov.ae domorum fundationes, expulsiones Religiosorum eorumdemque dimissiones ex Ordine, exequutio Rescriptorum apostolicorum quae commissa fuerit Moderatori maximo, nulla mentione facta Vicarii Generalis hispani: item statuta et mandata quae quamvis statutorum generalium mutationem minime importent, quovis tamen modo *substantialia* Ordinis attingunt.

X. Vicarius Generalis ius habet invisendi, etiam per delegatos, domos universas quae in Hispania sunt quaeque cum Provinciis hispanis sunt coniunctae. Ad eundem vero appellandi ius est Religiosis-omnibus, qui eius ordinaria vel delegata auctoritate reguntur. Incolume tamen esto Magistro seu Praeposito generali ius invisendi, etiam per delegatos, domos quae Vicariis subsunt, itemque excipiendi appellationes Religiosorum quorumcunque qui Vicariis eisdem subduntur.

XI. Religiosi hispani, qui necessariis ornentur dotibus eligi poterunt ad munia quaecumque universi Ordinis gerenda etiam ad Magisterium maximum: quare in Capitulis Generalibus omnes et singulae regulares Provinciae hispanae iura omnia et officia habebunt, quibus ceterae utuntur. Praeterea religiosi hispani ius habent ut unus saltem ex eorum numero sit *Assistens vel Definitor Generalis* in suprema Ordinis Curia, prout leges eiusdem Ordinis ferunt. — Item Vicario Generali ius esto idoneum e suis alumnum praesentandi, a Ministro seu Praeposito Generali ad triennium tantum adprobandum, qui *Vice-pro curator* Hispaniae Romae sit (nisi ipse Procurator Ordinis universi Hispanus fuerit), habeatque secum adiutores

pro munere. — Tandem Vicarius Generalis tertio quoque anno Romam veniat ut (salvo iure visitationis quod Moderatori Generali competit) *vice procurationem* hispanicam invisat, deque statu Provinciarum Hispaniae supremo Ordinis Antistiti rationem reddat.

XII. Quum Ordo Minorum S. Francisci itemque Scholarum Piarum unicus sit atque individuus, religiosae professiones non in manibus modo Superiorum Hispaniae emittantur, sed praecipue, immo vero necessario, in manibus Ministri seu Praepositi totius Ordinis.

XIII. Vicarii Generales tum Minorum tum Scholarum Piarum, qui nunc sunt in Hispania, itemque qui a consilio eisdem sunt, hac vice tantum, biennio in munere permanebunt: elapso biennio, Capitulum interprovinciale, ut supra dictum est, celebrabitur. — In posterum autem, ut rectius res eveniant, iidem Vicarii Generales eorumque Consiliarii suo munere décèdent quoties Capitulum Generale cogetur, elapso videlicet mense ab eius celebratione, ut supra edictum est art. in.

XIV. Si qui demum actus, ob *substantiales* defectus, nulli fuerint atque illegitimi usque ad horam receptionis huius Motu-proprii; eos, si sanabiles sint, benigne sanamus et convalidami.

Hae Nostrae declarationes et praescriptiones, vix atque acceptae fuerint, pleno robore fruentur, non obstantibus quibuscumque etiam specialissima mentione dignis.

Patrocinium Immaculatae Virginis Mariae opemque Francisci et Iosephi Patrum Legiferorum Religiosis Minoribus et Scholarum Piarum hispanis implorantes, Franciscali et Calasanctianae Familiae universae apostolicam benedictionem paterna charitate impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum in die festo SS. Apostolorum Petri et Pauli MCMIV, Pontificatus Nostri anno primo.

PIUS PP. X

# EX SECRETARIA BREVIUM

**indulgentiae conceduntur pro SS. Missionibus a Capuccinis Hispaniae dandis.**

PIUS PP. X

AD FUTURAM REI MEMORIAM

Ut sacrarum Missionum, quae variis in regionibus divinae bonitatis munere habitae fuerint, aliquod perenne recordationis monumentum permaneat, et Christianus populus in audiendo Dei verbo, divina opitulante gratia, uberiorem pro animabus suis utilitatem percipiat, coelestes Ecclesiae thesauros humilitati Nostrae ex Alto commissos, cum ii a Nobis postulantur, libenter elargimur. Itaque exhibitis supplicationibus a dilecto filio Iucundo a Montone, Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Capuccinorum Procuratore Generali, obsecundare volentes, deque Omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli App. Eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus qui concionibus Missionum, quas praedicti Ordinis Fratres ex Provinciis B. Mariae Virginis Immaculatae Andalutiana, B. Mariae Virginis a Columna Navarrensi, Pretiosissimi Sanguinis D. N. Iesu Christi Valentina, B. Mariae Virginis de Monte Serrato Cataloniensi, et SSmi Cordis Iesu Castellana, ubique locorum de respectivi Ordinarii licentia habituri erunt, saltem ter devote interfuerint, et durante uniuscuiusque Missionis curriculo, uno 'die ad fidelium arbitrium sibi eligendo, vere poenitentes et confessi ac S. Communione refecti quamlibet ecclesiam, seu quodlibet oratorium publicum devote visitaverint, ibique pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus: quam etiam pro extraneis, si alibi, idest

extra paroeciam in qua Missio habetur, Sacramentalem Confessionem et Communionem peragant, ad quindecim usque dies post expletam Missionem prorogamus. Praeterea omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere etiam poenitentibus et confessis ac S. Communione refectis, qui coram Cruce, quam memoratarum Provinciarum Fratres, emenso Missionum curriculo, respectivis in locis de respectivi Ordinarii licentia erexerint, vel qualibet in ecclesia seu publico sacello die erectionis eiusdem Crucis, ac die huiusmodi erectionis anniversario, aut Dominica proxime sequenti, necnon diebus festis Inventionis et Exaltationis SS. Crucis, vel Dominica immediate respective sequenti, ut superius diximus, oraverint, quo die praedictorum id egerint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Dno impertimur. Insuper iisdem fidelibus qui corde saltem contriti qualibet vice concionibus Missionum a Fratribus ex praedictis Provinciis peragendarum devote interfuerint, et quamlibet ecclesiam seu oratorium publicum visitaverint, ibique, ut supra oraverint, septem annos totidemque quadragenas: qui autem corde saltem contrito ante Crucem in fine Missionum, ut supra, erectam vel erigendam septies Salutationem Angelicam devote recitaverint, etiam septem annos totidemque quadragenas: quo denique die ante eamdem Crucem quinquies Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam in honorem SS. Vulnerum D. N. Iesu Christi corde saltem contrito pariter recitaverint, tercentum dies de iniunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenr* tentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Quas omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes etiam animabus fidelium Purgatorio detentis per modum suffragii applicari posse, indulgemus. Cum vero, sicut accepimus, vastissimae in Hispanus praesertim existant paroeciae, ubi magno fidelium numero eorumque pietati satisfaciendae una tantum Crux haud sufficiat,

Nos huic etiam rei benignitate Nostra prospicere statuimus, eisdemque Fratribus Missionariis ex memoratis Provinciis, tenore praesentium, veniam facimus, cuius vi ipsi in iis paroeciis quae per latum tractum nimis protensae sunt, sacris expletis Missionibus, alteram etiam Crucem, accedente respectivi Ordinarii consensu, erigere licite possint valeantque : ita ut Christifideles qui coram altera Cruce erecta vel erigenda preces, ut supra, effuderint, omnes et singulas tam plenarias quam partiales indulgentias, quas superius recensuimus, adipiscantur ; dummodo tamen cetera, quae ad eas consequendas iniuncta sunt, pietatis opera rite praestiterint. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus ad decennium tantum valituris. Volumus autem ut praesentium Litterarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die v Septembris MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno secundo.

Pro D. Card. MACCHI

L. *-fa* S« Nicolaus Marini, *Substitutus.*

**Indulgentia conceditur ter recitantibus Salutationem Angelicam** cum **invocatione ad Immaculatam** pro **castitate servanda.**

PIUS PP. X

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

S. Alphonsus Maria de Ligorio non solum strenuus extitit defensor Immaculatae Conceptionis B. M. V., sed etiam fuit promotor indefessus cultus erga Bmam Virginem sine labe conceptam, et praesertim promovit inter fideles praxim quotidie recitandi mane et vespere ter Salutationem Angelicam

addendo cuique earum hanc invocationem « *per tuam Immaculatam Conceptionem, o Maria, redde purum corpus meum et sanctam animam meam* », asserens huiusmodi exercitationem efficacem esse ad castitatem servandam contra diabólicos incursus. Iamvero quinquagesimo imminente anno, ex quo Pius IX Praedecessor Noster rec. mem. Brñam Deiparam ab originali labe immunem declaravit, peropportunum existimavimus laudabilem : Alphonsi praxim christiano populo commendare, atque ut inde uberiores fructus percipiantur, caelestes etiam Ecclesiae thesauros, quorum dispensationem Nobis tradidit Altissimus, reserare statuimus. Quamobrem de Omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli Apostolorum Eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus, qui corde saltem contriti ter Salutationem Angelicam, addita cuilibet Salutationi supradicta invocatione, sive mane sive vespere devote recitaverint, tam mane quam vespere tercentum dies de iniunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus: quas poenitentiarum relaxationes etiam animabus Christifidelium, quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari posse, indulgemus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Praecipimus autem, ut praesentium Litterarum (quod nisi fiat, nullas easdem esse volumus) exemplar ad Secretariam S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae deferatur, iuxta Decretum ab eadem Congregatione sub die xix Ianuarii MDCCLVi latum et a rec. mem. Benedicto XIV Praedecessore Nostro die xxvin eiusdem mensis adprobatum (i).

(i) Decretum, cui heic innuitur, prostat in *Collectione authentica S. Cong f., Indulg. Sacr. Reliq.* a. 1883 sub n. 2o5; quoad rem nostram facit infrascripta dispositio : « Praeterea, cum experientia quotidie comperiatur, complures indulgentiarum concessiones generales expediri inscta ipsa Sacra Congregatione, ex quo multi promanant abusus ac confusiones, re mature perpensa, praesenti *in-*

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die v Decembris MCMIV, Pontificatus Nostri anno secundo.

L. S. A. Card. MACCHI

Praesentium Litterarum exemplar delatum fuit ad hanc Secretariam S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae. In quorum fidem etc.

Datum Romae ex eadem Secretaria, die 6 Dec. 1904.

L. ✠ S. Ios. M. Can. Coselli, *Substitutus.*

## Indulgentiae largiuntur recitantibus quamdam iaculatoriam precem Sacratissimo Cordi Iesu.

PIUS PP. X

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Cum Nobis nihil antiquius est nec suavius quam ut per universum terrarum orbem fidelium pietas erga Sacratissimum Cor Iesu propagetur, amplificetur, votis annuentes dilecti filii Aloisii Palliola Sacerdotis e Congregatione SSmi Redemptoris et Rectoris Pontificalis Ecclesiae Sancti Ioachimi de Urbe, in qua erecta existit Archisodalitas Eucharistici Cordis Iesu, de Omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli Apostolorum Eius auctoritate confisi, per praesentes omnibus et singulis fidelibus ex utroque sexu ubique terrarum existentibus quoties iuxta exemplar quod in Tabulario Secretariae Nostrae Brevium asservari iussimus, quocumque idiomate, dummodo versio sit fidelis, contrito saltem corde recitaverint hanc iaculatoriam precem « *Adorons, remercions, supplions et consolons avec Marie Immaculée le très sacré et très aimé*

dem decreto declaravit, impetrantes posthac huiusmodi generales concessiones teneri sub nullitatis poena gratiae obtentae exemplar earumdem concessionum ad Secretariam eiusdem Sacrae Congregationis deferre » *(N. R.).*

*Cœur Eucharistique de Jesusa* (i), toties de numero poenalium in forma Ecclesiae consueta ducentos dies expungimus. Iis vero qui per solidum annum quotidie semel saltem iaculatoriam piam precem pie recitaverint ac festivitate Immaculatae Virginis Deiparae Conceptionis vere poenitentes et confessi ac S. Communione refecti quodvis templum publicum sive sacellum visitent, ibique pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effundant, Plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Largimur insuper fidelibus iisdem, si malint, liceat plenaria et partialibus hisce indulgentiis vita functorum labes poenasque expiare. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuo valituris. Volumus autem ut praesentium authenticum exemplar transmittatur ad Sacram Congregationem Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositam, alioquin praesentes nullae sint. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XIX Decembris MCMIV, Pontificatus Nostri anno secundo.

Pro D. Card. MACCHI

L. -*fa* S. N. Marini, *Substitutus.*

Praesentium Litterarum authenticum exemplar transmissum fuit ad hanc S. Congregationem Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositam. In quorum fidem etc.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 19 Decembris 1904.

L. -*fa* S. Iosephus M. Can. Coselli, *Substitutus.*

**(i) Latine: «Adoramus, gratias agimus, oramus et consolamur cum Maria Immaculata sacratissimum et amantissimum Cor Iesu Eucharisticum » *(N. R.).***

# ACTA ROM. CONGREGATIONUM

## EX S. CONGR. S. R. ET U. INQUISITIONIS

### EX APPROBATIONE SCAPULARIS VEL CONFRATERNITATIS NON SEQUITUR APPROBATIO APPARITIONUM, REVELATIONUM, GRATIARUM CURATI ONUM, ETC.

***Romae ex Aedibus S. O., die 3 Sept. igo4-***

*Illme ac Revme Domine,*

In Congregatione Generali S. O. habita feria iv die 31 Aug. p. p., expensis omnibus quae ad supremum hoc Tribunal delata sunt circa cultum B. M. V. vulgo de *Pellevoisin,* Emi Dñi Cardinales una mecum Inquisitores Generales decreverunt:

Quamvis devotio Scapularis SSmi Cordis Iesu et adscriptio inter sodales piae Confraternitatis in loco vulgo *Pellevoisin* a B. Virgine Matre Misericordiae nuncupatae, probatae sint; nullam tamen ex dicta adprobatione sive directam sive indirectam adprobationem sequi quarumcumqus apparitionum, revelationum, gratiarum curationum aliorumque id genus, quae praedicto Scapulari vel piae Confraternitati quovis modo referri vellent; eos vero omnes, sive sacerdotes sint sive non, qui libros vel diarios in vulgus edunt, sedulo curare debere ut adamussim, prout conscientia dictat, sequantur normas in Constitutione Apostolica *Officiorum* praefixas(i); et qui verbo Dei praedicando incumbunt, ut servent omnino praescriptiones Concilii Lateranensis V et Tridentini, sess. xxv, circa praedicationem apparitionum et miraculorum ; et ecclesiarum demum rectores qui eiusmodi piam Confraternitatem in propriis ecclesiis institui, statuasque vel picturas B. Virginis sub praedicto titulo *Matris Misericordiae* dicari satagunt, ut regulis

(i) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 3o, p. 3g.

pro Scapulari SSmi Cordis a Sacra Rituum Congregatione statutis sine ulla restrictione in posterum se conforment.

Quae dum cum Amplitudine Tua communico ut eorum plenam executionem cures, fausta quaeque ac felicia Tibi precor a Domino.

Addictissimus in Domino

L. ✠ S. S. Card. VANNUTELLI.

*Illmo ac Rmo Domino*
*Dno Archiepiscopo Bituricensi.*

# EX S. CONGR. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

## BAMBERGEN.

### TRANSLATIONIS

Confirmatur remotio oeconomica cuiusdam parochi eiusque translatio ad aliud beneficium.

Ioannes N.... a. 1897 renuntiatus est parochus cuiusdam loci in dioecesi Herbipolensi, sed anno insequenti cum auctoritatibus civilibus gravia habere coepit dissidia; quae in dies magis excreverunt hac etiam de causa quod, iuxta Bavariae leges, parochiali muneri officium est adnexum regendi et inspiciendi Gubernii nomine et mandato publicas scholas. Res itaque eo processerunt ut Ordinarius dioecesanus pluries parochum graviter admonere debuerit, eique pariter decreto praesertim 29 Febr. 1901 renuntiationem paroeciae et optionem ad simplex beneficium imposuerit. At parochus, nihili faciens episcopali decreto, graviores quoque dissensiones cum civili potestate imprudenter fovit. Quare Episcopus iterum decreto 15 Martii 1901 praescriptam translationem parocho intra tres dies sub poena remotionis a paroecia implendam

iussit; addita insuper prima monitione canonica ob neglectum praeceptum petendi aliud beneficium.

A quo decreto parochus Ioannes N.... ad Archiepiscopum Bambergensem appellavit, qui tamen die 31 Oct. 1901 sententiam Episcopi Herbipolensis plene confirmavit. Tunc parochus, posthabito iure provocandi in tertia instantia apud tertium Bavariae Episcopum a Nuntio Apostolico eligendum vi privilegii a Pio IX Breve *Nemo ignorat* concessi, supremo Sedis Apostolicae iudicio sistere maluit.

**Allegationes parochi.** Ipse contendit iniuste canonicam monitionem ab Ordinario sibi inflictam esse; in decreto enim 29 Febr. 1901 nullum praeceptum sed merum Episcopi desiderium quoad paroeciae renuntiationem continebatur. Hinc, quum nemo teneatur propriis iuribus valedicere ad votum superioris implendum, parochiali beneficio non abdicavit; eo vel magis quod Episcopus in suo decreto nullam suae decisionis rationem attulerit. Praeterea addit contra canonicas sanctiones et praecipue contra Conc. Trid. *(Sess. 21, c. 6 de Reform.)* militare impositam sibi a paroecia amotionem ; enimvero Episcopus veram rerum cognitionem non habuit, nec habere voluit, quum et testes audire et inquisitionem peragere neglexisset. Ceterum dissidium cum laica auctoritate, de quo ipsa tantum est iudex competens, non est ratio sufficiens pro parocho inamovibili destituendo.

**Allegationes Archiepiscopi.** Ex adverso Bambergensis Archiepiscopus animadvertit Episcopum Herbipolensem sive in procedendo sive in iudicando non errasse. Non erravit in procedendo: tum quia Episcopus est incompetens in dissidiis parochum tamquam Inspectorem scholasticum inter et civiles magistratus exortis iudicandis, quod ad Gubernium pertinet; tum quia accusationes adversus parochum prolatae per ipsius rei confessionem perque publicam notorietatem satis in propatulo erant, quin opus esset testes audiendi atque inquisitionem instituendi. Sed neque Episcopus erravit in iudicando:

sive quia parochus morali impossibilitate detinebatur absque gravi fidelium scandalo fungendi munere parochiali ob notissima dissidia, sive quia in potestate Ordinarii est monitione canonica validi rescripti, quod in rem iudicatam transierit, adimplementum urgere.

**Dubium.** *An et quomodo confirmandum sit decretum Archiepiscopi Bambergensis in casu?*

**Resolutio.** S. Congregatio EE. et RR., die 13 Maii 1904,, omnibus perpensis rescripsit: *Decretum esse confirmandum.*

## Colliges

i°. Ad iuris tramitem parochus sive amovibilis sive inamovibilis dupliciter a propria paroecia amoveri potest, vel per privationem vel per oeconomicam remotionem.

2°. Et imprimis privatio beneficii aut ipso iure aut iudicis sententia incurritur (i).

3°. Parochus inamovibilis beneficio privari nequit nisi ex causa canonica et quidem notoria, atque servato iuris ordine (2); attamen parochus amovibilis beneficio spoliari potest qualibet de causa, dummodo sit legitima et iusta.

(1) Principaliora delicta, sive ipso facto privatione beneficiorum ecclesiasticorum punita, sive per sententiam iudicis condemnatoriam privatione eorumdem beneficiorum punienda, recensentur in *Actis S. Sedis (vol. 12, p. 243 in nota);* pleraque alia describuntur a Wernz *(Ius Decret., tom. II, n. 53j-54i),* quia adhuc enumeratio completa dici possit *(N. R.).*

(2) Alexander enim III ad Archiepiscopum Cantuariensem *(Decret, lib. H> tit. i3, cap. y)* scribit: « Conqueren te nobis Renaldo clerico accepimus quod ipsum ecclesia de Carrefort sine iudicio spoliasti : quia vero iam non decet honestatem tuam clericos tuae iurisdictionis sine manifesta causa et rationabili, suis beneficiis spoliare, quibus teneris paterna provisione consulere; mandamus, quatenus, si ita est, praedicto clerico praefatam ecclesiam cum reditibus inde perceptis. restituas, et in pace eam possidere permittas ». Et Decretum Gratiani *(Caus. 16, quaest. J, can. 38)* habet: « Unde oportet ut, canonica regula servata, nullus absque consensu Episcopi sui cuilibet praesbytero ecclesiam det; quam si iuste adeptus fuerit, hanc nonnisi gravi culpa sua et coram Episcopo canonica severitate amittat ». Cfr. Conc. Trid. *(Sess. 21, cap. 6 de Reform.)* *(N. R.).*

4°. Quando, relate ad parochos inamovibiles, causa vere canonica non habetur pro beneficii privatione, aut iudicialis processus saltem summarius confici nequit (1), tunc in subsidium venit remotio oeconomica, quae duplex est, temporanea et perpetua. Remotio *ad tempus* fit per coadiutoris dationem ; remotio *in perpetuum* fit dupliciter, vel per translationem parochi ad'aliud beneficium quamvis simplex, vel per congruae pensionis assignationem (2).

5°. Causae remotionis oeconomicae a paroecia ad duas tantum reduci possunt, nempe vel ad inidoneitatem parochi ad parochiam salutariter regendam, vel ad odium plebis (3).

(1) EX hodierna Ecclesiae praxi processus summarius seu oeconomicus sufficit, qui confici valet ad tramitem Instructionis S. C. Episcoporum et Regularium, die r i Iunii 1880 (Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. i 3, p. 324). Iamvero sub n. IX legitur: « Oeconomicae formae consulere intendunt illis casibus Curiisque, in quibus solemnes processus aut adhiberi nequeant aut non expedire videantur ». Et paulo inferius sub n. X habetur : « Quum procedi oporteat criminaliter, sive infractionis praecepti aut criminum communium vel legum Ecclesiae violationis •causa, processus confici potest formis summariis et absque iudicii strepitu, servatis semper regulis iustitiae substantialibus ». Forma vero summaria, quum attingat tantum solemnitates non autem substantiam, nihil mutat in ratione procès sus *(N. R.).*

(2) Remotio oeconomica *ad tempus* explicitis verbis statuitur a Conc. Trid. *{Sess. 21, cap. 6 de Reform.)* « Quia illitterati et imperiti parochialium ecclesiarum Rectores sacris minus apti sunt officiis, et alii propter eorum vitae turpitudinem potius destruunt quam aedificant; Episcopi, etiam tamquam Apostolicae Sedis delegati, eisdem illitteratis et imperitis, si alias honestae vitae sint, •coadiutores aut vicarios pro tempore deputare, partemque fructuum eisdem pro sufficienti victu assignare vel aliter providere possint, quacumque appellatione et exemptione remota ». Remotio vero oeconomica *in perpetuum* satis aperte colligitur ex Decretalibus *(Lib. III, tit. ig, cap. 5):* « Si autem Episcopus causam inspexerit necessariam licite poterit de uno loco ad alium transferre personas *(beneficiatas),* ut quae uni loco minus sunt utiles, alibi se valeant utilius exercere ». Quae agendi ratio a iurisprudentia et a praxi universali confirmata fuit

(3) Inidoneitas seu imperitia parochi innuitur a Conc. Trid. *(Sess. 21, cap. 6 •de Reform.)* superius citato. Odium plebis, quod interdum adesse potest absque culpa parochi, desumitur ex Decretalibus *(Lib. I, tit. g, c. io, § 5):* « Propter malitiam autem plebis cogitur interdum Praelatus ab ipsius regimine declinare

6°. Etiam gravia et continua dissidia, ob parochi culpam inter ipsum et civilem auctoritatem exorta, quae in notabile animarum detrimentum vergant, reddere valent parochum minus idoneum ad officia parochialia saltem in eodem loco ulterius praestanda.

7°. In themate autem gravissima et inconciliabilia dissidia parochi cum civilibus magistratibus, subsequuta eiusdem destitutio a munere Inspectons scholastici, necnon popu Ii scandalum sunt rationes sufficientes pro translatione parochi ad aliud beneficium decernenda.

**quando plebs adeo durae cervicis existit ut proficere nequeat apud ipsum, sed propter eius duritiam, quo magis satagit, eo magis ipso iusto iudicio deficere permittatur ». Hoc caput, quamvis praecise ad Episcopos referatur, a fortiori tamen applicatur etiam ad Parochos, quum eadem in utroque casu sit ratio, videlicet bonum animarum, quod supremam legem esse omnia iura clamant. Hinc fit ut parochus, interdum etiam sine culpa, sed semper cum causa in salute animarum reposita, ad aliud beneficium transferatur, et quidem reditus aequivalentis. Huiusmodi est hodierna S. Congr. Concilii iurisprudentia, uti in *Piacentina,* 6 Decemb. 1727; in *Eystelten - Permutationis paroeciae,* 21 Iulii,** 11 **Aug. et** 22 **Sept. 1742; in *Fabrianen.* seu *Camericen.,* 6 Dec. 1784; in *Taurinen. - Suspensionis,* 17 Iulii** 1855; **in *Colonien.,* 5 Iulii** 1856; **in *Limburgen. - Permutationis paroeciae,* 27 Iunii et 19 Dec. 1857 (quarum potiores inveniuntur adductae in *Actis S. Sedis,* vol. I, pag. 517-519); nec non conferri possunt quamplurimae aliae causae, quae disceptantur in *Actis S. Sedis,* vol. i, p. 51 3—520; vol. 2, p. 276-284; vol. 4, p. i 3—27 5 v°l« 5, p- 68-77; v°l* 9> P* 29-36; vol. ii, p. 143—151 ; vol. 16, p. 467-479; vol. 20, p. 126-142; vol. 22, p. 82-84; vol. 25, pag. 412-420; vol. 27, p. 594-606; vol. 3o, p. 11-21. Congruit communis Doctorum sententia, veluti eruditionis causa videre est apud Reiffenstuel *(lib. III, tit. i* g, *n.* 38-40); Engel *(lib. I, tit.* 7, *n.* 3); Parisius *(De résignât, benef. lib. III, quaest.* 18, *n.* 12); Abbas *(lib. III Decret., de rerum permut. in c.* Quaesitum, *n.* 7) ; Leurenius (For. benef., vol. III, quaest. 867) ; De Nigris (De vacat, benef., lib. II, c.** 2, **n. 16); D'Annibale (Summ, theol, mor., part. III, n. 61 , not. 51); Aichner (Comp, iuris eccl. pag. 790, ed. 9); Lega *(Prael. iur. can., vol.* 3, *n.* 173, *pag.* 252-254 *cum nota) (N. R.).***

# EX S. CONGREGATIONE CONCILII

## METEN.

**Episcopo Metensi datur facultas dispensandi ab applicatione missae « pro populo » in diebus festis suppressis, necnon permittendi perceptionem eleemosynae secundae missae.**

*Beatissime Pater,*

Episcopus Metensis S. V. quae sequuntur devotissime exponit: Post restaurationem cultus catholici initio saeculi xix ab Episcopo Metensi in aedibus conventus quondam Eremitarum S. Augustini in oppido Bitensi (vulgo Bitsch nuncupato) consentiente Municipio loci, cui post spoliationem rerum sacrarum in Gallia proprietas dicti conventus attributa **fuerat,** instauratum est pium Institutum a S. Augustino nuncupatum, ad informandos uteris et pietate pueros qui clericali militiae nomen dare intendebant. Lapsu vero temporis vetustate collabuntur aedes conventus S. Augustini, quin ab Episcopo potuerint refici, cum sint proprietas Municipii, et insuper propter vetustatem vix opportune refici queant. Gubernium etiam civile iterum atque iterum ab Episcopo petivit, ut nova domus aedificaretur Instituti necessitatibus et scholarum usui magis accommodata. Episcopus igitur necessitate coactus, statuit **in** territorio eiusdem oppidi novam ex toto aedem erigere, quae omnino respondeat scopo Instituti. Huius autem domus aedificandae impensae computantur ad fere 800,000 francorum, summam quibus solvendis aerarium dioecesanum omnino impar est. Porro eum in finem intendit Orator Episcopus **an**nuam collectam in sua Dioecesi indicere et sperat fore ut fideles libenter ad iuvenes clericos informandos pecuniam conferant.

Ulterius autem a S. V. postulat ut sibi facultas concedatur qua Parochis et coeteris sacerdotibus Dioecesis concessio fiat: i) accipiendi stipendium pro secunda missa, quam

diebus dominicis et festis pro necessitate populi plures sacerdotes celebrant; 2) accipiendi stipendium et applicandi missam ad intentionem offerentis diebus festis suppressis, **loco** applicationis missae *pro populo,* cum onere in utroque casu integrum stipendium sic acceptum sive missae **lectae** sive missae cantatae transmittendi ad Episcopum pro reaedificando praefato pio Instituto, retentis solummodo si quae sint iuribus casualibus seu parochialibus simulque supplicat ut S. V. de thesauro Ecclesiae supplere dignetur pro missis *pro populo* sic non applicatis.

Die II Novembris 1904, Sacra Congregatio Conc. Tridentini Interpres, auctoritate SSmi Domini Nostri Pii PP. X, attentis expositis licentiam dispensandi parochos ab applicatione missae *pro populo* in diebus festis suppressis, ad effectum de quo in precibus, nec non licentiam permittendi perceptionem eleemosynae secundae missae, ut integra erogetur ad eundem finem, Episcopo Metensi Oratori benigne ad triennium tantum impertita est.

f VINCENTIUS Card. Ep. Praenest, *Praefectus.*

## PRAGEN.

### DUBII CIRCA LITERAS TESTIMONIALES AD SS. ORDINES

**Ordinarius non tenetur sub poena suspensionis ad testimoniales exquirendas pro ordinatione candidatorum in aliena dioecesi commorantium, nisi agatur de trimestri vel semestri moraliter continuis.**

**Dubium.** Emus Card. Archiepiscopus Pragensis die 2 Decembris 1903 quae sequuntur exposuit:

« Iuxta leges ecclesiasticas pro ordinatione candidatorum in alia dioecesi tanto tempore commorantium, ut ibidem impedimentum canonicum contrahere potuerint, litterae testimoniales ab Ordinario illius dioecesis necessariae sunt. Tempus,

quo candidati aliquod impedimentum iuxta communiter contingentia contrahere potuissent, respectu servitii militaris trimestre, secus autem — saltem iuxta plures - semestre statuitur, quamvis non desint, qui brevius statuant temporis spatium. Iam vero dubium est, utrum litterae testimoniales pro eiusmodi candidatorum ordinatione nonnisi tunc sint necessariae, cum requisitum temporis spatium per continuam eorum in alia dioecesi commorationem fuerit adimpletum, an etiam tunc, cum idem ipsum temporis spatium non quidem per continuam, tamen vero per iteratam in respectiva dioecesi ex parte candidatorum commorationem completum fuerit ».

**Disceptatio.** Iuxta Constitutionem *Speculatores* Innocentii XII et Bullam *Apostolicae Sedis* Pii IX (i) statutum est ut, qui per notabile tempus in aliena dioecesi commoratur, ad Ordines promoveri non possit absque litteris testimonialibus Ordinarii huius loci. Etenim Constitutio Innocentiana decernit : « Quod si quis tanto temporis spatio in eo loco, in quo ex accidenti, sicuti praemittatur, natus est, moram traxerit, ut potuerit ibidem canonico aliquo impedimento irretiri, tunc etiam ab Ordinario eius loci litteras testimoniales, ut supra, obtinere illasque Episcopo Ordinanti, per eum in collaturum ordinum testimonio similiter recensendas, praesentare teneatur ».

Quae dispositio per Bullam Pianam extensa et amplior effecta est; siquidem in hac statuitur quod: «suspensionem per annum ab Ordinum administratione ipso iure incurrunt Ordinantes.... subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit, absque Ordinarii eius loci litteris testimonialibus ».

Iam vero hoc temporis spatium commorationis clericorum in aliena dioecesi, si agatur de militiae addictis, sive hi sint clerici regulares sive saeculares, est trimestre tempus.

(i) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 5, p. 287.

Pro Regularibus enim adest Instructio S. C. super Disciplina Regulari diei 27 Nov. 1892, n. 5 (1): « Pro omnibus *(alumnis nempe Institutorum Regularium, qui servitium militare unius anni vel maioris temporis compleverint, quique ad solemnem professionem et ad sacros Ordines promovendi sint)* necessariae erunt litterae testimoniales Ordinariorum dioecesanorum, in quorum territorio saltem per tres menses commorati fuerint ». Haec autem dispositio clericis saecularibus servitio militari mancipatis extensa fuit, uti clare patet ex resolutione H. S. C. in *Firmana - Postulatum quoad litter ras testimoniales Ordinandorum,* 9 Sept 1893 (2): «Litteras testimoniales esse necessarias, quoties promovendus *(functus iam servitio militari)* moratus fuerit in aliqua dioecesi, saltem per trimestre tempus ». Accedit Resolutio in *Urgellen. - Dubia sufer testimoniales ad S. Ordines,* 26 Ian. 189.5 (3).

Pro aliis vero clericis, qui lege militari non tenentur* tempus commorationis in aliena dioecesi ad effectum litterarum testimonialium est semestre, uti tenent Santi *(Praelect. iuris can., lib. I, tit. ii in append.) ;* Card. d' Annibale *( Tom. III, tit. ß, art. 2, not. u),* etc.

Hisce praemissis, ad propositum dubium videretur respondendum, quod trimestre vel semestre tempus commorationis candidati in aliena dioecesi pro inducenda obligatione litterarum testimonialium ad S. Ordines deberet esse continuum, adeo ut prorsus exclusa maneret iterata vel disiuncta commoratio. Sane in communi loquendi ratione quando dicitur trimestre vel semestre sine alio addito intelligitur quod sit continuum. Atqui evulgatum satis est principium, quod verba legis explicari debent iuxta communem loquendi usum, Leg. *Libror. \ Quod tamen Cassius ff. De legat, ß ;* Leg. *Labeo ff. de supellect. leg.;* et quod leges non respiciunt nisi ea quae corn-

il) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 2.5, p. 635-639.

(2) Cfr. ibid., vol. 26, p. 428-431.

(3) Cfr. ibid., vol. 28, p. 45-5o.

muniter et frequentius fiunt, Leg. *Nam ad ea ff. de leg.* Ergo trimestre vel semestre tempus relate ad literas testimoniales videtur quod debeat esse continuum.

Idque eo fortius tenendum apparet, si expendatur quod res est de novo onere a lege non expresso Ordinariis imponendo in S. Ordinatione peragenda, et aliunde notum est axioma « *lex quod voluit expressit* », et nulla imponenda obligatio nisi de ea certo constet. Insuper expendendum in themate agi de materia odiosa, et super qua lex poenas imposuit; siquidem Ordinariis ordinantibus sine Uteris testimonialibus inflicta est suspensio latae sententiae Romano Pontifici reservata ab Ordinum administratione ad annum. Hinc in interpretatione legis non videtur posse procedi cum criterio legis extensivo, sed potius restrictivo.

Demum est advertendum quod admissa coniunctione variarum commorationum ad complendum trimestre vel semestre tempus, res in praxi pluribus esset involuta difficultatibus ; siquidem primum difficultas esset in determinanda longitudine interruptae commorationis; deinde munus indagandi circa mores et vitae rationem a candidato ductam evaderet nimis arduum, ne dicam inutile et impossibile; per interruptionem enim commorationis candidati, facile etiam obtruncantur relationes, atque facta et notitiae obliterantur.

Ex altera vero parte expendendum venit, quod scopus et tota vis legis in exigendis litteris testimonialibus in eo posita est, ne quis aliquo irretitus canonico impedimento temere ad S. Ordines admittatur, atque ut de candidati idoneitate Episcopus ordinans certior usque evadat. Hanc fuisse legislatoris mentem in dubio revocari nequit, si paulisper recolatur historica evolutio legislationis hac in re, initium sumens a Constitutione Innocentiana *Speculatores,* cuius sensus magis magisque declaratus fuit per responsiones S. H. C. in *Asculana,* 7 Febr. 1733 ; in *Bononien.,* 14 Nov. 1733; in *Fabrian.,* 19 Aug. 1797; in *Lünen.,* 29 Maii 1824 et in aliis

pluribus; et deveniens usque ad taxativas dispositiones quae continentur in Constitutione *Apostolicae Sedis,* in supra citata Instructione S. C. super Disciplina Regulari 27 Nov. 1892, et in citatis declarationibus S. H. C. in *Firmana,* 9 Sept. 1893, et in *Urgellen.,* 26 Ian. 1895.

Quibus ex omnibus facile patet legem de litteris testimonialibus requisitis pro clericis, qui in aliena dioecesi commorati sunt, promovendis strictioris in dies interpretationis evasisse, et temporis spatium aptum ad impedimentum canonicum contrahendum noviter coarctatum fuisse pro illis qui militiae servierunt ad trimestre, quo efficacior evaderet de ordinandorum idoneitate inquisitio.

Praeterea , abunde constat inter omnes, quanto nostra aetate faciliores mores effecti, et quam aucta sint ubique cornunicationum atque itinerum commoda, quae omnia profecto non minuere videntur, praesertim in militibus, pericula canonici impedimenti contrahendi, etiam per non continuam seu interruptam in aliqua militari statione trimestralem commorationem. Haec commorationis interruptio, praesertim si magna non fuerit, data communicandi itinerumque facilitate, quae, ut ita dicam, omnem fere locorum distantiam abstulit, potius augere censenda est illud temporis spatium a iure definitum uti aptum ad impedimentum contrahendum, ita ut non detrahenda sed potius trimestri addenda videatur.

Quapropter si legis mens magis quam littera attendatur, ne ea frustretur, litterarum testimonialium necessitas admitti debere videatur etiam in casu, quo quis nedum per trimestre aut semestre continuum, sed per interruptum quoque, sive vacans militiae sive non, in aliena dioecesi fuerit commoratus. Ceterum etiamsi litterae quis adhaerere velit, eadem valeret conclusio, cum iuxta illud effatum : « *ubi lex non distinguit neque nos distinguere debemus* », et cum nullam in casu legislator distinctionem fecerit inter tempus continuum et non continuum, utrumque comprehendere voluisse censendus est. Ne-

que invocari posse videtur benignior interpretatio ; non agitur enim de lege odiosa, sed de lege in maximam reipublicae christianae utilitatem prolata.

Attamen haec quae hucusque disputata sunt, locum habere amplius non videntur, quando commorationis interruptio tanta sit, ut relate ad impedimentum contrahendum tempus consequens nullo modo cum antecedenti computari possit, ex. gr. si inter primum et alterum mensem integer annus intercesserit. Non agitur enim, in hoc tempore statuendo, de possibilitate in abstracto impedimenti contrahendi; hoc in casu etiam vel brevissimum temporis spatium sufficeret; sed ad ea quae communiter et frequentius, non ad ea quae raro contingere solent, respicit legislator; Avanzini, (Commentarium in Const. *Apostolicae Sedis,* n. 51).

Quae autem interruptio haberi debeat sufficiens ut Episcopus Ordinans tuto se dispensare possit ab onere requirendi has litteras testimoniales, a priori decerni nequit, sed potius ex locorum personarumque circumstantiis melius diiudicabitur. Quidquid sit, videant Emi Patres, utrum ad omnia dubia hac de re in posterum praecavenda, tutius foret si nulla habita interruptionis ratione, indiscriminatim huiusmodi litteras testimoniales exigendas decerneretur, dummodo trimestre intra dimidium annum et semestre tempus intra annum completum fuerit. Nam in casu, quo haec inquisitio impossibilis vel irrita et frustranea evaderet, iam provisum est ab H. S. C. in citata *Urgellen.*, 26 Ian. 1895. Quare etc.

**Resolutio.** S. C. Concilii, omnibus sedulo perpensis, die 25 Iunii 1904 rescripsit: *«Ordinarium non teneri sub poena suspensionis ad testimoniales exquirendas, nisi agatur de trimestri vel semestri moraliter continuis, salvo nire Episcopi inquirendi super idoneitate promovendi et testimoniales exigendi pro -minori vel discontinua commoratione, aut exigendi iuramentum suppletorium, si in Domino necessarium censuerit ».*

## Colliges

i°. Pro clericis militari servitio addictis sive regularibus sive saecularibus per authenticas S. C. C. declarationes in *Firmana* 9 Sept. 1893 et in *Urgellen.* 26 Ian. 1895 definitum fuit saltem trimestre esse tempus sufficiens ad canonicum impedimentum contrahendum.

**2°.** Hodierna insuper decisione, inhaerendo praxi Curiae Romanae et communi Doctorum sententiae, authentice statuitur saltem semestre tempus requiri pro omnibus aliis clericis servitio militari non mancipatis (i).

3°. Ratio huius discriminis trimestralem inter et semestralem commorationem promovendi in aliena dioecesi reponenda est in maiori facilitate, qua milites prae aliis clericis canonicum impedimentum, praesertim quoad mores, experientia duce contrahere possunt.

(i) Item sex saltem menses (non quatuor tantum) requiruntur relate ad clericos saeculares exteros, qui, sive in Urbe adhuc commorari pergentes sive non, ordines suscipere cupiunt a proprio ipsorum Ordinario, qui proinde exigere tenetur testimoniales litteras Emi Urbis Vicarii sub poena suspensionis a Const. *Apostolicae Sedis* sub n. 3 comminatae. Praeterea exploratissimi iuris est clericos, qui a propriis Episcopis dimissoriales epistolas ad ordines suscipiendos acceperint, ordinari posse a quovis Antistite cum Sede Apostolica gratiam et communionem habente, nisi in ipsis aliter statutum sit. Hisce tamen non obstantibus, iuxta Const. *Apostolicae Sedis* sub n. 7 : « clerici saeculares exteri ultra quatuor menses *(ideoque etiam infra semestre)* in Urbe commorantes *(et commoratione perdurante),* ordinati ab alio quam ab ipso suo Ordinario absque licentia *(litteris nempe testimonialibus)* Card. Urbis Vicarii,.... suspensionem ab ordinibus sic susceptis ad beneplacitum S. Sedis ipso iure incurrunt; Episcopi vero ordinantes ab usu Pontificalium per annum ». Ratio huius specialis dispositionis pro Urbe, potiusquam in facilitate contrahendi canonicum impedimentum, reponenda videtur in intentione legislatoris praecavendi innumeras fraudes, quae ex nimia libertate clericis non romanis nec suburbicariis concessa, quoad ordines ineundos extra romanam Curiam ab extraneo Episcopo, facile oriri possunt. Quod vel ab onere iisdem imposito praevium examen peragendi coram Card. Vicario apprime. confirmatur. Cfr. hac de re *Acta S. Sedis,* vol. 2, p. 585-5q2 et praesertim p. 591, not. i; Card. D'Annibale, Comm. in Const. *Apost. Sedis,* p. i3o n. 208; Pennacchi, Comm. in eamdem Constitutionem, p. 423 *(N. R.).*

4°. Tamen Ordinarius ad tramitem Const. *Apostolicae Sedis* non tenetur, sub poena suspensionis latae sententiae Romano Pontifici reservatae ab Ordinum administratione ad annum, exigere litteras testimoniales pro ordinandis candidatis in aliena dioecesi commorantibus, nisi trimestre vel semestre tempus sit *moraliter* continuum.

5°. Quae moralis seu relativa continuitas medium locum tenet continuitatem absolutam inter et discontinuitatem ; quapropter illa adhuc adesse censenda est, quotiescumque clericus per longe maiorem trimestris vel semestris partem in aliena dioecesi moretur, quamvis per aliquot dies vel etiam hebdomadas ab eadem discedat.

6°. Omni in casu semper remanet Ordinario facultas inquirendi super idoneitate et moribus promovendi, sive per privatas Ordinarii loci informationes sive per Moderatorum Seminarii, Parochorum aliorumque testimonium; nec non testimoniales ab Ordinario loci exigendi pro quocumque commorationis tempore.

7°. Quinimo, quando impossibile aut saltem valde difficile evadat testimoniales ab Ordinariis commorationis habere, Episcopus ordinans, obtenta prius facultate ab Apostolica Sede, potest deferre candidato iuramentum litteris testimonialibus supplens, quod proinde suppletorium vocatur.

# EX S. C. DE PROPAGANDA FIDE

## DECRETUM

### Residentia archiepiscopalis ab urbe Verapolis transfertur ad urbem E maculam.

Revmus Dnus Bernardus Arguinzonis Archiepiscopus Verapolytanus nuper petiit ab hac S. Congregatione ut residentia Archiepiscopalis ex urbe Verapolis in urbem Erna-

culam transferretur, eo quod urbs Verapolytana numerum valde imminutum fidelium latini ritus post erectionem trium Vicariatuum Apostolicorum Syrianorum a Leone fel. rec. PP. XIII peractam et ob relationum difficultatem cum caeteris Archidioeceseos fidelibus, amplius haberi nequeat uti centrum religiosum, sicut nec politicum centrum habetur.

Porro cum in Generalibus Comitiis diei 28 superioris mensis Nov., sapienti iudicio EE. PP. Cardinalium S. huic Consilio fidei propagandae praepositorum, sequens dubium propositum fuerit: «An sit conveniens residentiam Archiepiscopalem ex Verapolis in Ernaculam transferre » iidem, EE. ac RR. Patres, attentis expositis, respondendum censuerunt: «affirmative».

Hanc autem EE. PP. sententiam SSmo Dno Nostro Pio div. prov. PP. X in Audientia diei 20 huius vertentis mensis Decembris a Rmo Dno Secretario huius S. Congregationis relatam, Sanctitas Sua benigne adprobare ratamque habere dignata est, praesensque ad id Decretum confici iussit.

Datum Romae ex Aedibus S. Congregationis de Propaganda Fide, die 29 Decembris 1904.

Fr. H. M. Card. GOTTI, *Praefectus.*

L. S. Aloisius Veccia, *Secretarius.*

# EX S. CONGREGATIONE RITUUM

## PLURIUM DIOECESIUM

### Circa qualitatem cerae in sacris functionibus adhibendae.

Nonnulli Sacrorum Antistites a Sacrorum Rituum Congregatione semel atque iterum reverenter postularunt: « An attenta etiam magna difficultate vel veram ceram apum habendi vel indebita cum alia cera commixtiones eliminandi, candelae super Altaribus ponendae, omnino et integre ex cera

apum esse debeant; an vero esse possint cum alia materia seu vegetali seu animali commixtae? »

Et Sacra Rituum Congregatio, in Ordinario Coetu die 29 Novembris hoc vertente anno in Vaticanum coadunato, omnibus perpensis, una cum suffragio Commissionis Liturgicae, anteacta decreta mitigando, rescribere rata est: « Attenta asserta difficultate, *Negative* ad primam partem; *Affirmative* ad secundam, et ad mentem. Mens est, ut Episcopi pro viribus curent ut cereus paschalis, cereus in aqua baptismali immergendus et duae candelae in Missis accendendae, sint ex cera apum saltem in maxima parte; aliarum vero candelarum, quae supra Altaribus ponendae sunt, materia in maiori vel notabili quantitate ex eadem cera sit oportet. Qua in re parochi aliique rectores ecclesiarum et oratoriorum tuto stare poterunt normis a respectivis Ordinariis traditis, nec privati sacerdotes Missam celebraturi de qualitate candelarum anxie inquirere tenentur >. Atque ita rescripsit, die 14 Decembris 1904.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. S. f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

## DUBIORUM

### Quoad Titulares Abbatiae destructae vel extinctae.

Expostulatum est a Sacra Rituum Congregatione:

I. An Ecclesiastici, quibus a quacumque potestate etiam regia titulus conferatur alicuius Abbatiae vel Praepositurae iampridem destructae, aut penitus extinctae, functiones pontificales celebrare possint?

II. An saltem iidem Abbates vel Praepositi titulares insignia, quibus utuntur Abbates mitrati, sive pontificalium usum habentes, uti sunt crux pectoralis, mitra et baculus, gestare unquam possint?

III. An iidem, qua tales, benedictionem ullam recipere possint et praesertim illam, quae invenitur in Pontificali Romano?

Et Sacra eadem Congregatio in Ordinariis Comitiis die 29 Novembris hoc labente anno ad Vaticanum coactis, exquisita prius sententia Commissionis Liturgicae, re maturo examine perpensa, rescribendum censuit: « *Negative* in omnibus».

Atque ita rescripsit, die 14 Decembris 1904.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. -*fa* S. f D. Panici Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

## SOCIETATIS PARISIENSIS MISSIONUM AD EXTEROS

In Missa votiva de Fidei propagatione adhibendus est color violaceus.

Revmus P. Petrus Xaverius Cazenave, Procurator Generalis Societatis Parisiensis Missionum ad exteros, SS. Rituum Congregationi ea quae sequuntur humiliter exposuit; nimirum:

Die 5 Martii 1787 approbata fuit Missa votiva de Fidei Propagatione pro omnibus et singulis. Missionariis ubique gentium existentibus, et die 21 Aug. 1841 concessa fuit etiam Dioecesibus, in quibus adest Societas Propagationis Fidei in Gallia instituta. Nunc autem ambigitur et quaeritur : Quinam sit color paramentorum in praedicta Missa votiva adhibendus?

Et Sacra eadem Congregatio in Ordinariis Comitiis die 29 Novembris hoc vertente anno ad Vaticanum habitis, re sedulo perpensa una cum voto Commissionis Liturgicae, rescribendum censuit: « *Adhibendum esse colorem violaceum* ». Atque hanc Sacri Consilii resolutionem SSmus Dnus Noster Pius PP. X ratam habuit et probavit, die 14 Decembris 1904.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. -*fa* S. f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

# EX S. CONGREGATIONE CONSISTORIALI

## NULLIUS SEU SANTAREMSIS ET BELEMENSIS DE PARA IN BRASILIANA REPUBLICA

### NOVAE FINIUM DESIGNATIONIS

**Limites Praelaturae Nullius seu Santaremsis in Brasiliana Republica erectae denuo constituuntur.**

Decreto Consistoriali, cuius initium *Romani Pontifices* die 21 Septembris anno elapso edito, praevia dismembratione perampli territorii in parte septentrionali Brasilianae Reipublicae prope trium Gaianarum Gallicae, Hollandiae et Anglicae fines siti e dioecesi Belemensi de Para, cui pertinebat, nova ex eodem condita est Praelatura Nullius seu Santaremsis, cuius fines ita constituti sunt : ad Meridiem, flumen quod Amazonas vocant, qua ex parte ad Orientem vergit, usque ad Aequatorem, adiectis insuper civitate Santaremsi citra flumen posita insulisque Caviana et Mexiana ; ad Ortum, linea aequatorialis iuxta Oceani Atlantici oras usque ad Orangicum seu Sancti Vincentii Promontorium, seclusa tamen «a territorii parte, quae circa idem Promontorium Gallicae Reipublicae subiacet; ad Boream, flumen Oyapoc seu Vincente Pinzón dictum usque ad montes Acaray, iuxta fines qui Brasilianam Rempublicam a tribus supramemoratis Gaianis separant; ad Occasum, flumen Iamunda usque dum in Amazonas influit. Ipsa vero in executione decreti erectionis compertum statim est descriptos fines minus apte adsignatos fuisse iuxta locorum fideliumque necessitates, ad iisque occurrendum necesse esse, ut constituti fines latius protraherentur et novae evectae Praelaturae territorium magis amplum adiudicaretur ; cumque in rem R. P. D. Franciscus do Reyo Maria Cathedralis ecclesiae Belemensis de Para Episcopus assensum suum praestitisset, et Apostolicae Sedi supplicasset, ut

occasione novae circumscriptionis Praelaturae Nullius seu Santaremsis, fines etiam dioecesis Belemensis de Para Apostolica auctoritate magis exacte describerentur, totius negotii accurata relatio SSmo D. N. Pio PP. X facta est.

Sanctitas Sua, rebus omnibus mature perpensis, atque rei sacrae procurationi spiritualique animarum saluti, meliori qua fieri potest ratione consulere cupiens, attento consensu Antistitis Belemensis de Para, necnon utendo facultate in Apostolicis Litteris, quarum initium *Ad universas Orbis Ecclesias* die 27 Aprilis an. Dñi 1892 datis, Apostolicae Sedi reservata, novas circumscriptiones in dioecesibus Brasilianae Reipublicae, nulla etiam adiecta territoriali compensatione, peragendi, quandocumque id in Domino expedire visum fuisset, atque suppleto, quatenus opus sit, quorumcumque in hac re interesse habentium vel habere praesumentium consensu, Santaremsem Praelaturam, suppressis iis qui supra descripti sunt, novis finibus definiendam censuit in eum qui sequitur modum :

Ad Boream noviter erectae Praelaturae Nullius seu Santaremsis fines iidem erunt ac illi qui Brasilianam Rempublicam a tribus Gaianis Gallica, Hollandica et Anglica dividunt, flumen nempe Oyapoc seu, uti aiunt, Vicente Pinzón usque ad montes Acaray; ad Ortum, Oceanus Atlanticus, comprehensis tamen insulis Caviana et Mexiana usque ad ora fluminis, cui nomen Xingù, idem deinde flumen usque ad locum Pedra Secca dictum; ad Meridiem, nova Praelatura linea continebitur, quae a loco Pedra Secca per dictum flumen Xingu usque ad fluminis Sancti Emmanuelis ora vulgo tres Boxas, in loco sita qui Sete Quedas nuncupatur, protenditur ; ad Occasum tandem, incipiendo ab oris fluminis Sancti Emmanuelis, vulgo tres Bocas dictis, circumscribetur hoc flumine usque ad aliud Tapajoz vocatum, ad oppidum usque Mundurucù et fines politicos et civiles, quibus regiones de Gram Para et Amazonum ad invicem separantur.

Cum totum hoc territorium Praelaturae Nullius seu Santaremsi adiudicatum e dioecesi Belemensi de Para fuerit integre distractum, huius dioecesis amplitudo imminuetur. Cathedralis itaque ecclesia Belemensis de Para in posterum iis qui sequuntur limitibus constricta erit: ad Boream Oceanus Atlanticus eius finis erit, ita tamen ut exceptis insulis Caviana et Mexiana, quae territorio Praelaturae Nullius seu Santaremsis attributae sunt, reliquae omnes inter locum Macapà dictum et ora fluminis Xingu existentes Belemensi de Para dioecesi addictae remaneant; ad Ortum, eadem dioecesis fluminibus Guruny et Araguaya vulgo nuncupatis, quibus regio de Gram Para a regionibus Sancti Ludovici de Marantiao et Goyasensi dividitur, circumscribatur; ad Austrum vero continebitur linea quae ab insula Bananal dicta fluminis Araguaya prosiliens ad locum usque Pedra Secca vocatum prope Xingu flumen pertingit; denique ad Occasum, qua parte dioecesis Belemensis de Para neo-erectam Santaremsem Praelaturam attingit, ipsa a praedicto loco Pedra Secca usque ad Oceanum Atlanticum flumine Xingu limitabitur.

Documenta vero respicientia personas et loca Santaremsi Praelaturae attributa et a territorio dioecesis Belemensis de Para separata ab huius archivio extrahenda erunt, ut in posterum in tabulario Praelaturae supradictae serventur.

Ad praemissa autem exequenda Beatitudo Sua deputare dignata est R. P. D. Iulium Tonti Archiepiscopum Titularem Ancyranum et in Brasiliana Republica Nuntium Apostolicum cum facultatibus necessariis et opportunis etiam subdelegandi ad effectum, de quo agitur, quamcumque aliam personam in ecclesiastica dignitate constitutam, nec non definitive pronuntiandi super quacumque difficultate aut oppositione super praemissis quomodolibet oritura, iniuncta eidem obligatione intra sex menses ad Sacram Congregationem mittendi exemplar authentica forma exaratum executionis peractae, mandavitque praesens hisce super rebus edi decretum consistoriale

perinde valiturum ac si super praemissis Litterae Apostolicae sub plumbo vel in forma Brevis expeditae fuissent, et decretum ipsum referri inter Acta Sacrae huius Congregationis Consistorialis.

Datum Romae hac die 25 mensis Octobris anno Domini 1904.

Pro R. P. D. Secretario

L. *£* S. Iulius Grazioli, *Substitutus.*

# EX S. C. INDULGENTIARUM ET SS. RELIQUIARUM

## MEDIOLANEN.

**De modo metiendi distantiam inter duas ecclesias privilegio « Portiunculae » ditatas.**

Emus et Rmus Archiepiscopus Mediolanensis huic S. Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae sequentia dubia exhibuit solvenda circa modum quo metienda est distantia inter duas ecclesias, quae privilegio Indulgentiae de *Portiuncula* nuncupatae ditatae sunt, quum in Brevibus Apostolicis nec non in Rescriptis huius S. Congnia apponitur clausula: « Dummodo eo loci nulla extet Franciscalis ecclesia, aut alia simili ditata privilegio, vel, si extet, unius saltem milliarii spatio ab ea distet »; nimirum:

I. Qualis sit mensura metrica, quae unius milliarii spatia respondeat ?

II. Quomodo talis distantia (unius milliarii) sit metienda; an ex via communi, quae ab omnibus peragatur, vel ex quibusdam semitis, quae utramque ecclesiam inter se coniungunt?"

III. An clausula supradicta privilegium irritum faciat, quando distantia non existit inter unam et alteram ecclesiam privilegio *Portiunculae* ornatam ?

Et Emi Patres in Generali Conventu ad Vaticanum habito die 18 Augusti 1904 propositis dubiis responderunt:

Ad I. Milliarium respondet metris 1489.

Ad IL *Affirmative* quoad primam partem ; *Negative* quoad secundam.

Ad III. *Affirmative* post annum 1878, quo praefatae clausulae appositio fuit praescripta (i).

Quas Emorum Patrum responsiones relatas ab infrascripto Cardinali Praefecto in Audientia habita die 14 Sept. 1904, SSmus Dnus Noster Pius PP. X benigne confirmavit.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 14 Septembris 1904.

A. Card. TRIPEPI, *Praefectus.*

L. *fa-* S.

f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

## VENETIARUM

### In Stationum Viae Crucis erectione Cruces affigi etiam possunt supra scamna inamovibilia et satis erecta.

Huic Sacrae Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, circa locum ad quem Cruces affigi debeant

(i) Heic innuitur Decretum H. S. C. in *Bergomen.,* 15 Nov. 1878, quod prostat in *Actis S. Sedis,* vol. 11, p. 412 et seqq. Ante illud tempus distantia unius saltem milliarii requirebatur dumtaxat relate ad ecclesias, quae ad Ordinem Franciscalem actu pertinerent, non vero relate ad alias ecclesias huiusmodi privilegio *Portiunculae* donatas. Clausula enim tunc temporis usitata sequentis tenoris erat : « *dummodo nulla extet eo loci, vel unius saltem milliarii spatio distet franciscalis Ordinis ecclesia* ». Sed postea per supra citatum Decretum a. 1878 clausula de unius saltem milliarii spatio ad omnes alias ecclesias, quae privilegio *Portiunculae* fruebantur ac fruuntur, extensa fuit insequenti dispositione: *«Attenta tamen speciali praerogativa Indulgentiae Portiunculae, expedire ut in novis concessionibus, clausula quoad distantiam, quae apponi solet favore ecclesiarum Ordinis S. Francisci, extendatur ad alias omnes ecclesias hoc privilegio ditatas » (N. R.).*

in erectione Stationum Viae Crucis, sequentia dubia dirimenda sunt proposita :

I. Utrum ad validitatem erectionis sit essentialis conditio, ut Cruces ad parietem tantum affigantur ; an vero affigi possint etiam supra scamna, quin erectio sit invalida ?

Et quatenus affirmative quoad primam partem ;

II. Utrum erectiones dictarum Stationum cum affixione Crucium supra scamna convalidatae censendae sint a recentioribus Decretis huius Sacrae Congregationis, quibus sanati fuerunt omnes defectus admissi in erigendis Stationibus ?

Et Emi Patres ad Vaticanum coadunati die 18 Augusti 1904 responsum dederunt :

Ad I. Quoad primam partem *Negative;* quoad secundam *Affirmative,* dummodo scamna sint inamovibilia et satis erecta.

Ad II. Erectiones Stationum cum affixione Crucium supra scamna inamovibilia non indigere sanatione ; erectiones vero Stationum cum affixione Crucium supra scamna amovibilia convalidatas quidem esse a recentioribus Decretis huius S. C. (i); iniungitur tamen, ut Cruces a scamnis amovibilibus removeantur, et ad locum stabilem affigantur.

De quibus relatione facta SSmo Dno Nostro Pio PP. X in Audientia habita ab infrascripto Cardinali Praefecto die 14 Septembris 1904, Sanctitas Sua Emorum Patrum responsiones ratas habuit et confirmavit.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. C, die 14 Septembris 1904.

A. Card. TRIPEPI, *Praefectus.*

L. «f* S.

f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

(i) Ultimum Decretum sanans omnes defectus in erectione Stationum Viae Crucis incursos habetur in *Actis S. Sedis,* vol 35, p. 163 *(N. R.).*

## SUMMARIUM

**Indulgentiarum, Privilegiorum ac Indultorum, quae Tertiariis Saecularibus Ordinis Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum tributa sunt.**

### I. INDULGENTIAE PLENARIAE

*A)* Tertiariis ex utroque sexu confessis ac S. Synaxi refectis:

i°. Die ingressus in Tertium Ordinem;

2°. Die professionis;

3°. Semel in anno, die quo professionem renovaverint;

4°. Quoties per octo dies continuos spiritualibus **exer**citiis vacaverint;

5°. Semel in mense, die cuiusque arbitrio eligendo.

*B)* Iisdem Tertiariis, qui uti supra dispositi, ecclesiam ubi sedes Sodalitii est constituta visitaverint, ibique ad mentem Summi Pontificis oraverint, sequentibus diebus festis:

i°. SSmae Trinitatis;

2°. A primis vesperis diei quo festum SSmi Redemptoris de licentia Ordinarii celebratur;

3°. Nativitatis, j
4°. Epiphaniae, /
5°. SSmi Nominis, > D. N. Iesu Christi;
6°. Paschatis, i
7°. Adscensionis, J

8°. Corporis Christi;

9°. Pentecostes;

io°. Immaculatae Conceptionis,
11°. Nativitatis,
12°. Visitationis,
13°. Annuntiationis,
14°. Praesentationis, B. Mariae V.;
15°. Purificationis,
16°. Maternitatis,
17°. Assumptionis,

18°. S. Ioseph Sp. B. M. V.;
19°. S. Agnetis (secundo) Virg. et Mart. (28 ian.);
20°. S. P. Ioannis de Matha (8 feb.);
21°. S. P. Ioannis Bapt. a Conceptione (14 feb.);
22°. S. Gabrielis Arch. (18 mart);
23°. S. Raphaelis Arch. (Dom. IV post Pascha);
24°. S. Michaelis a Sanctis Conf. Ord. (5 iul.);
25°. S. Rochi Conf. Tert. Ord. (16 aug.);
26°. S. P. Bernardi Abb. (20 aug.);
27°. S. Ludovici Regis Conf. Tert. Ord. (25 aug.);
28°. B. Simonis de Roxas Conf. Ord. (28 sept), a primis vesperis;
29°. S. Christophori Mart. Tert. Ord. (25 sept);
30°. S. Michaelis Arch. (29 sept.);
31°. B. Marci Criado Mart. Ord. (3 oct);
32°. Omnium Sanctorum Ord. (13 nov.);
33°. S. P. Felicis de Valois (20 nov.);
34°. S. Catharinae Virg. et Mart. (25 nov.);
35°. Feria IV Cinerum.

*C)* Iisdem Tertiariis, uti supra dispositis, quamlibet ecclesiam vel publicum sacellum visitantibus:

i°. Quo die ad concionem menstruam convenerint;
2°. Bis in anno, si Benedictionem nomine Summi Pontificis acceperint;
3°. Si ad partes infidelium ad captivos redimendos se contulerint, die ante profectionem;
4°. Si processioni, quae una ex Dominicis cuiuslibet mensis fit in ecclesiis Ordinis vel Sodalitii, interfuerint et ad mentem Summi Pontificis oraverint; vel, si rationabili de causa processio locum habere nequit, pio exercitio in honorem Triadis Augustae loco processionis, coram SSmo Sacramento publice exposito, peragendo, orantes adstiterint;

5°. Semel in mense, die cuiusque arbitrio eligendo, si singulis mensis diebus ter *Pater*, *Ave* et *Gloria* in honorem SSmae Trinitatis recitaverint.

*D)* Iisdem Tertiariis, si, uti supra dispositi, ad mentem Summi Pontificis oraverint sequentibus diebus festis, quibus Absolutionem generalem, seu Benedictionem acceperint:

1°. Feria IV Cinerum;
2°. Feria V in Coena Domini;
3°. In festo SSmae Trinitatis;
4°. S. P. Ioannis de Matha;
5°. S. P. Felicis de Valois;
6°. B. P. Ioannis Baptistae a Conceptione;
7°. S. Michaelis a Sanctis;
8°. Translationis S. P. Ioannis de Matha;
9°. S. Agnetis Virg. et Mart. (secundo);
10°. S. Catharinae Virg. et Mart.

*E)* Iisdem Tertiariis in mortis articulo constitutis, si, uti supra dispositi, vel saltem contriti, SSmum Iesu nomen ore, si potuerint, sin minus corde, devote invocaverint.

### II. INDULGENTIAE STATIONALES

Diebus Stationum in Missali Romano descriptis iidem Tertiarii, si ecclesiam Sodalitii visitaverint, ibique ad mentem Summi Pontificis oraverint, easdem indulgentias consequuntur, quas lucrarentur, si ecclesias Urbis in eodem Missali recensitas praefatis diebus personaliter visitarent, dummodo alia pia opera praescripta exercuerint.

### III. INDULGENTIAE PARTIALES

*A) Septem annorum totidemque quadragenarum:*

*a)* Tertiariis corde saltem contrito ac devote ecclesiam Sodalitii visitantibus, sequentibus diebus festis:

1°. SSmae Trinitatis;
2°. Nativitatis D. N. I. C.;
3°. Paschatis Resurrectionis;

4°. Assumptionis B. M. V.;
5°. S. Agnetis Virg. et Mart. (secundo);
6°. S. P. Ioannis de Matha;
7°. S. P. Felicis de Valois;
8°. S. Michaelis de Sanctis;
9°. S. Christophori Mart. Tert. Ord.;
io°. B. Marci Criado;
B. P. Ioannis Bapt. a Conceptione;
12°. B. Simonis de Rbxas;
13°. S. Ludovici Regis;
14°. S. Rochi.

*b)* Tertiariis pariter corde saltem contritis:

i°. Si intervenerint processioni, vel pio exercitio, uti supra (Cap. I, c. 4);

2°. Si piis operibus tam spiritualibus, quam corporalibus vacaverint pro suorum peccatorum remissione ac pro captivorum a servitute infidelium redemptione;

3°. Si intervenerint processioni, quae fit quando, peracta redemptione, in aliqua ecclesia aut oratorio Ordinis vel Sodalitii recipiuntur captivi redempti;

4°. Si quotidie recitaverint sexies Orationem Dominicam cum *Gloria Patri* etc., ac etiam sexies Angelicam Salutationem item cum *Gloria Patri* etc., et oraverint ad mentem Summi Pontificis, pro qualibet die.

5°. Si pariter singulis anni diebus recitaverint ter *Pater, A ve* et *Gloria* in honorem SSmae Trinitatis, item pro qualibet die.

*B) Tercentum dierum:*

Quoties aliquod pium opus pietatis vel caritatis corde saltem contriti exercuerint.

*Omnes et singulae indulgentiae superius relatae, excepta tamen plenaria in mortis articulo lucranda, sunt etiam applicabiles animabus defunctorum in purgatorio igne degentibus.*

## IV. PRIVILEGIA

1°. Sacerdotes Tertiarii ad quodlibet altare missam celebrantes gaudent indulto altaris privilegiati personalis tribus in qualibet hebdomada diebus, dummodo simile indultum pro alia die non obtinuerint.

2°. Missae omnes, quae in suffragium Sodalium defunctorum celebrantur, sunt semper et ubique privilegiatae.

## V. INDULTA

1°. Tertiarii degentes in locis ubi nulla extat ecclesia Ordinis vel Sodalitii, indulgentias sibi proprias, ceteris servatis servandis, lucrari possunt, si respectivam parochialem ecclesiam visitaverint.

2°. Tertiarii in collegiis, seminariis aliisque communitatibus degentes praefatas indulgentias lucrari valent, propriam ecclesiam vel privatum suae domus sacellum, ceteris piis operibus positis, visitando.

3°. Tertiarii legitimo impedimento detenti, iudicio confessarii dignoscendo, quominus ecclesiam visitent, dictas indulgentias lucrari poterunt aliud pium opus loco visitationis implendo, ab ipso confessario ad hoc imposito.

4°. Tertiarii impediti quominus ecclesiam adeant Absolutionem generalem accepturi, eam accipere valent alio die festo de praecepto intra octiduum occurrente.

5°. Tertiarii Absolutionem generalem pridie diei festi, cui adnexa est, post expletam sacramentalem confessionem a proprio confessario accipere valent.

6°. Tertiarii si sint infirmi vel convalescentes, nec possint commode e domo egredi, recitando quinque *Pater, Ave* et *Gloria Patri* etc., et orando ad intentionem Summi Pontificis, lucrantur easdem iudulgentias ac si personaliter ecclesiam Ordinis vel Sodalitii visitarent.

7°. Iidem Tertiarii infirmi vel convalescentes lucrari possunt omnes praefatas plenarias indulgentias infra octiduum diei pro quo concessae sunt.

DECRETUM

Quum per Decretum huius S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae die 18 Iulii 1902, undequaque abrogatis omnibus indulgentiis, quibus Tertiarii saeculares cuiusvis Ordinis, ob communicationem cum primo et secundo Ordine respective perfruebantur, Supremis Moderatoribus religiosorum Ordinum proprium Tertium Ordinem habentium praescriptum fuerit, ut novum indulgentiarum Indicem pro suis Tertiariis saecularibus proponerent; Minister Generalis Ordinis SSmae Trinitatis Redemptionis Captivorum, tali mandato obtemperans, novum praedictum Indicem elaboravit, illumque huic S. C. humillime subiecit; quae, adhibita etiam quorundam ex suis Consultoribus opera, illum ad examen revocavit. SSmus vero Dnus Noster Pius PP. X in Audientia diei 28 Augusti 1904, audita de his omnibus relatione facta ab infrascripto Cardinali Praefecto, ex Indulgentiis in supra proposito Elencho enumeratis, eas, quae olim Tertiariis directe tributae fuerunt, confirmavit, alias vero, loco earum, quibus vi communicationis gaudebant, clementer est impertitus, simulque mandavit, ut in posterum praedicti Ordinis Sodales Tertiarii in saeculo viventes earum tantummodo participes evadant indulgentiarum, iisque potiantur privilegiis et indultis, quae in praedicto Elencho recensentur. Quam concessionem eadem Sanctitas Sua perpetuis quoque futuris temporibus valituram esse voluit, absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 25 Septembris 1904.

A. Card. TRIPEPI, *Praefectus.*

Pro R. P. D. D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretario*

L. ✠ S. Iosephus M. Can. Coselli, *Substitutus.*

# EX S. CONGR. VISITATIONIS APOSTOLICAE

## Visitatio Apostolica Urbis eiusque Districtus a SS.mo D. N. Pio Papa X Bulla * Quum arcano Dei consilio » diei 11 Februarii 1904 indicta (O.

### Per gli Oratorii privati.

*Quesitz che si propongono per gli Oratorii privati, con preghiera agli Indultarii di rispondere colla maggiore chiarezza e precisione.*

*Una copia dì questi quesiti, colle rispettive risposte, potrà depositarsi nell'archivio proprio della Casa; l'altra sarà trasmessa all' Illmo e Rmo Mons. Segretario, presso gli uffici della Congregazione della S. Visita Apostolica nel palazzo della Cancelleria, non più tardi del ßo Giugno p. v.*

N. B. *La copia da trasmettersi a Mons. Segretario dovrà essere firmata in fine dall' Indultarlo 0 dal Capo della Famiglia indultarla.*

**1.** Da chi fu eretto l'Oratorio privato? Quando?

2. Con quale autorizzazione ecclesiastica ? Perpetua o temporanea ?

3. A quali persone fu concesso l'indulto ? Sono esse ancora tutte viventi ? Si ottenne forse estensione dell' indulto ad altre persone ? A quali ? Quando ?

4. Nell'indulto sono eccettuati alcuni giorni? Quanti ? Quali ?

5. Gli indultarì godono qualche altro privilegio circa l'uso dell'Oratorio per funzioni, o per indulgenze? *(Sipresenteranno al Visitatore i documenti autentici dell'indulto e dei privilegi).*

6. L'Oratorio fu mai visitato? Quando? Da chi? *(Sipresenterà l'atto di visita).*

7. Ove trovasi l'Oratorio? È in una camera appartata, nobile e decente ? Serve essa di passaggio ? Serve anche talvolta per altro uso domestico ?

(i) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. *3j,* p. 202 et 275.

8. Sopra l'Oratorio vi sono altre stanze? A quale uso servono?

9. Le pareti, il soffitto, il pavimento dell' Oratorio sono puliti e decenti? Se vi sono affreschi, o anche quadri mobili, bassorilievi o altre figure in stucco o in marmo rappresentano tutti qualche soggetto sacro? Che cosa rappresentano?

10. L'Altare a chi è dedicato? Vi è in esso l'immagine del Titolare in pittura o in scultura?

11. Di che materia e l'Altare? Ha esso gradini o almeno la sua predella? *(L'Aliare delle Cappelle private può servire per armadio solamente per le sacre suppellettili, e per le reliquie),*

12. Sovra l'Altare vi è il baldacchino? *(Questo è prescritto se sopra V Oratorio vi è un altro appartamento).*

13. L'Altare fu consacrato? Quando? Da chi?

14. *Se non è consacrato.* Ha la pietra sacra ben conservata? Quanto misurano i suoi lati? Non ne fu mai aperto il sepolcrino? È dessa inserita nella mensa debitamente così?

•

15. Quale l'altezza dell'Altare misurandolo dal piano della predella? *(Non dovrebbe essere minore di cm. yj, nè maggiore dim. i.of),* quale la lunghezza della mensa? *(Non dovrebbe essere minore di m. 1,50).*

16. La fronte dell'Altare è bene adornata? *Se no:* Ha il paliotto decente?

17. L'Altare ha le tre tovaglie di lino? La superiore pende dai lati sino alla predella? *(Se l'Altare è ben ornato anche ai lati, oppure al disotto è tutto vuoto e aperto, la tovaglia superiore è tollerata se breve ai lati come sul davanti).* Sopra le tre tovaglie di lino vi è la copertura per conservarle pulite?

18. Sull'Altare vi è il Crocifisso ben visibile? È della grandezza necessaria? *(L'asta maggiore della crocè deve essere lunga almeno cm. 40, e la minore cm. 20; però nelle piccole cappelle private si può tollerare il Crocifisso di misura, alquanto minore).*

19. Vi sono i Candelieri e le tavolette in buono stato?

20. Vi è forse anche un sottoquadro? Che cosa rappresenta?

21. Vi è il leggile pel Messale? Il Messale è ben conservato? Contiene tutte le messe anche concesse recentemente?

22. Il Calice ha la coppa d'argento internamente dorata? La Patena è pulita e ben dorata? Patena e Calice sono conservati nella loro custodia? *(Se nell' Oratorio, 0 anche nella casa, si avessero altre suppellettili in argento sarebbe sconvenientissima cosa che per il santo sacrificio si usasse il Calice e la Patena di metallo meno nobile).*

23. Ha T Oratorio un armadio destinato per custodirvi esclusivamente i sacri arredi?

24. Vi ha una conveniente provvista di corporali, di purificatoi e di palle? *(Devono essere di lino)*. Chi ne fa la prima lavatura innanzi che siano messi in bucato?

25. Vi ha parimenti una conveniente provvista di camici, amitti e cingoli? *(Il camice e l'amitto devono essere di lino; il cingolo può essere di lino, oppure di seta del colore bianco, 0 concordante colla pianeta).*

26. Vi hanno le pianete colla rispettiva stola, manipolo, velo pel calice e borsa pel corporale? *(Tutti questi oggetti devono essere di seta).* Ve ne sono nei cinque colori liturgici, bianco, rosso, violaceo, verde e nero? Sono tutte in buono stato?

27. Vi sono le ampolline di cristallo ben terse, col rispettivo piattello? *(Non sono più ammesse quelle di metallo).*

28. Chi sorveglia alla provvista delle ostie e del vino per la S. Messa? Quale diligenza si usa perchè queste materie del sacrificio siano genuine?

29. In luogo opportuno vi è il lavabo col suo manutergio pel celebrante?

30. L'Oratorio ha delle reliquie di santi? *(Sipresenteranno al Visitatore insieme colla nota di esse e coi documenti di autenticità).*

31. Quante volte al mese si celebra la Messa nell'Oratorio? Vi ha un cappellano fisso ? Chi è ?

32. Nel tempo della celebrazione della Messa si ha cura che dagli appartamenti vicini, e sovra o sottoposti non si rechi disturbo alla sacra azione?

33. Havvi legati di messe da celebrarsi nell'Oratorio? *(Se sì, U Indultarlo dovrà richiedere al Vicariato due copie del questionario per i legati ; rispondere a ciascun quesito, e presentare le due copie firmate al Visitatore).*

## Per i Legati pii.

NOTIZIE E STATO[1]

del Legato (1)
eretto nella Chiesa di (2)
**per** (3)

N. B. /. *Ogni Amministratore di Chiesa, di Beneficio, di Confraternita, di Istituto anche Regolare, 0 di altro Ente ecclesiastico, dovrà riempire il presente modulo, in due copie per ogni Legato, e amendue firmate da lui e dal Superiore della Chiesa, dovranno essere presentate al Visitatore. Una copia rimarrà depositata nell' Archivio dell' Ente gravato dèi Legato e Valtra sarà allegata agli atti della S. Visita Apostolica.*

2. *Se per rispondere campletamente ai quesiti intorno al Legato occorresse maggior spazio per le risposte, 0 si avessero notizie utili non previste in questo modulo, si aggiungeranno uno 0 più fogli a parte, indicando il numero del quesito a cui si riferiscono le aggiunte.*

(1) **Denominazione de) Legato.**

(2) **Titolo della Chiesa ove è eretto.**

(3) **Messe, anniversari, funzioni sacre, o altro pio scopo.**

1. Chi ha fondato il Legato?
2. In quale anno, mese e giorno?
3. Con quale atto? Rogato da chi?
4. Il Legato ha dote propria? In origine quale era?
5. Se non ha dote distinta, su quale altro Ente o famiglia gravita il Legato? (1)
6. Per le ultime leggi civili, la dote ha subito variazioni? Quali?
7. Quale è la dote attuale del Legato? *(Se in capitali, Censi, Prestazioni e simili si descrivano nel seguente specchio)* (2).

| **Cognome, nome e dimora dei debitori** | **Somma capitale** | | **Tasso percentuale** | **Data del-l'Atto** | **Nome del Notaro** | **Data** dall'ultima iscrizione ipotecaria | **Scadenza del capitale** | **Frutto annuo** | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| | | | | | | | | | |

*Se in Rendita pubblica, si descrivano i titoli nel seguente specchio:*

| **Intestazione dei Titoli** | **Numero d'iscrizione** | **Data dell' emissione** | **Somma Capitale** | **Rendita annua** | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| | | | | **lorda** | | **depurata** | |
| | | | | | | | |

(1) Si esprimerà il nome del Beneficio, del Capitolo, dell' Opera pia, dell'Amministrazione, della Confraternita o Famiglia, sul cui patrimonio gravita il Legato, tanto nella Risposta 5, come nello specchio alla Risposta 7.

(2) Se per caso il Legato possedesse beni stabili, si descriveranno in un foglio a parte.

8. Chi amministra il Legato? L'Amministratore esige un compenso per l'amministrazione? Quale?

9. Per le prestazioni dovute da qualche ente o famiglia, si ottennero mai dalla S. Sede riduzioni o sospensioni? *(Se ne produca l'atto autentico al Visitatore).*

10. Si è esatta qualche somma capitale del Legato? Ove trovasi depositata? Come è stata rinvestita?

11. I frutti di Capitali, Censi o Prestazioni, sono pagati regolarmente? Se vi sono arretrati, in qual somma? Si è iniziato alcun atto legale per esigerli?

12. Quale è lo scopo del Legato?

a) *Se per celebrazione di Messe:* Indicarne il numero, la Chiesa, l'altare, il giorno, l'ora, a suffragio di chi, l'elemosina per ciascuna messa, la somministrazione, il tutto come è prescritto nell'atto di fondazione.

b) *Se per anniversarii'.* Indicarne il numero, la Chiesa, a suffragio di chi, il numero richiesto di preti e quali, se tutti con applicazione della Messa, l'elemosina per ciascun Sacerdote, la somministrazione alla Chiesa, e altre spese annesse, come è prescritto nell'atto di fondazione.

c) *Se per funzioni 0 provviste di culto, per Benedizioni, Tridui, Novene, Predicazioni, Vespri e simili; 0 provviste di olio, cera, vino e simili:* Indicarne la Chiesa, l'Aitar^, il giorno, il modo, e le spese relative, secondo l'atto di fondazione.

d) *Se per doti, sussidi, limosine, distribuzioni di pane od altro:* Indicarne il giorno, il numero ed i requisiti delle nubende o sussidiandi, la somma di ciascuno e la somma totale a spendersi, tutto siccome dall'atto di fondazione.

13. Si ottennero mai riduzioni o modificazioni perpetue degli oneri? Quando e da chi? In qual misura? *(Si presenti al Visitatore il decreto autentico).*

14. Si ottennero riduzioni temporanee e sospensioni? Quando e da chi? In quale misura? Quando scadono? *(Se ne presenti il decreto).*

15. Quali furono le cause esposte per conseguire le dette riduzioni o sospensioni ? Quelle cause sussistono ancora ?

16. Quale è il modo attuale col quale si soddisfa il Legato?

17. Quale è il bilancio del Legato ? *Si descriva nel seguente specchio:*

| Rendite | | | Passività | | |
|---|---|---|---|---|---|
| Frutti di Capitali, Cen-<br><br>Prestazioni attive d'altri enti 0 famiglie . . . . »<br>Rendita pubblica lorda. »<br><br><br><br>Totale Attivo L. | | | Tassa Manomorta . . . L.<br>Quota di concorso . . . »<br>Ritenuta sulla Rendita<br><br>Ricchezza mobile su ai-<br>Spese d'amministrazione »<br>Somministrazione alla<br><br>Totale Passivo L. | | |

RIEPILOGO: / Totale attivo. . . . . . . . L.
I 0tale PaSS?7 • : »
1 Somma nitida da erogarsi
' pel legato. . . . . . . L.

18. Risulta sui registri che gli oneri del Legato furono sempre adempiuti nel modo e misura voluti dal Fondatore, o indicati nel decreto di riduzione? *(Si presentino i registri al Visitatore).*

19. In caso contrario, se ne ottenne sanatoria? Come? Quando? e da chi? *(Si presenti il decreto autentico al Visitatore).*

20. Attualmente ne è regolare l'adempimento ? In caso contrario, per colpa di chi ?

21. Nell'elenco di Sagrestia è iscritto questo Legato ?

22. Quali proposte si possono fare circa il miglior andamento del Legato?

(1) **Qui si inscriveranno quelle rendite o spese particolari che potesse avere qualche Legato, non comprese nelle sovra esposte.**

*Le risposte ai quesiti, e gli specchi sovra descritti si dichiarano conformi a verità. Si aggiungono fogli N. . . . . - documenti N. . . . .*

*Roma, questo giorno. . . • 1904.*

Il Rettore della Chiesa

L'Amministratore del Legata

*Si riscontrarono le risposte e gli Specchi sopra descritti* cogli atti e registri prodotti nella Santa Visita Apostolica della: Chiesa di. . . . con fogli N. . . . e con documenti N. . . .*

*Roma, questo giorno. . . . 1904.*

Il Visitatore

Il Cancelliere

———*+o*»———

# APPENDIX III.

## De matrimonio per procuratorem, nuncium, interpretem, litteras, telegraphum et telephonium.

*Prooemium.*

1. Hanc de matrimoniis per procuratorem, nuncium etc. celebrandis tractationem, licet agatur de re, maxime ex hodiernis moribus, in praxi haud frequenti, variis de causis suscepimus.

2. In primis nos permovit consideratio forsan multos esse, qui non satis perspectam habeant horum coniugiorum naturam, conditiones et effectus. Dein illud etiam nos suasit tractationem huiusmodi eam esse, quae mirifice inserviat genuinae intimaeque naturae matrimonii christiani cognoscendae et aestimandae. Tandem nec tertia ratio defuit, quae nos impellerei, eaque exinde deprompta, quod haec tractatio suppeditare valeat media ad casus quosdam solvendos, qui, licet perraro contingant, evenire tamen possunt, ac, ob novitatem et gravitatem, non levem difficultatem facessere valerent.

3. Breves, quantum licebit, in hac tractatione consulto erimus. Ne vero ob rerum molem et gravitatem parsimonia formae noceat substantiae, seriatim has quaestiones, quippe quae caeterarum sunt cardo et fundamentum, expendemus: i) *quis procurator dicatur et in quibus negociis procurator constitui legitime possit:* 2) *an in coniugiis celebrandis procuratores ex iure canonum rite admittantur:* 3) *an Concilium Tridentinum veterem disciplinam immutaverit:* 4) *num coniugia sic celebrata etiam post Conc. Trid. naturam quoque sacramenti sortiantur:* 5) *quaenam conditiones ex iure requirantur, ut legitima sit procuratorum constitutio in coniugiis celebrandis:* 6) *quomodo mandatum huiusmodi sit implendum:* 7) *quibus modis illud expiret:* 8) *num, sicut procuratores, ita nuncii vel interpretes in coniugiis ineundis admitti valeant:* 9) *quid sentiendum de matrimoniis per litteras, telegraphum et telephonium.*

## QUAESTIO I.

### *Quis procurator dicatur et in quibus negociis procurator constitui legitime possit.*

4. Procurator, iuxta definitionem datam ab Ulpiano in Frag. I D. tit. *De procur.*, ille est: *qui aliena negotia mandato domini administrat.* Qua ex definitione tria liquent, seu: *d)* procuratorem dictum esse a *pro alio curare,* seu a gerendis negociis nomine et favore alterius: nemo enim sui procurator rite diceretur, quamvis rerum suarum sollicitissimam curam gereret: *b)* procuratorem ab uno domino, saltem generatim, constitui posse: *c)* procuratorem differre a negociorum gestore, qui equidem aliena negocia gerit, at citra domini mandatum; itemque a tutore, quia hic constituitur vel a lege vel a testatore etc.; itemque a nuncio, nam hic, ut melius dicetur inferius, nudum habet ministerium enunciandi seu communicandi quae gesta vel gerenda sunt aut etiam quae actu geruntur ab illo, cuius nuncius est.

5. Procuratores omnes, licet in eo conveniant quod aliena gerant negocia ex domini mandato, plures tribuuntur in spe-

cies, ac proinde plura sortiuntur nomina, ratione habita extensionis mandati. Unde rectissime Ulpianus 1. c. : *Procurator autem vel omnium rerum vel unius rei esse potest constitutus vel coram vel per nuntium vel per epistolam* . . . . Et Frag, III idem Ulpianus : *Item ad litem futuram et in diem et sub condicione et usque ad diem dari potest.*

6. Usitatissima autem est procuratorum distinctio : *d)* in procuratores *ad negocia* vel *ad lites,* prouti constituuntur ad negocia extraiudicialis, vel iudicialia : *b)* in procuratores *generales* et *speciales,* prouti dantur vel ad omnia negocia seu lites, vel ad aliquod negocium seu aliquam litem.

7. Cur autem procuratorum usus receptus fuerit, evidentissimum est. Nam, ut recte Ulpianus (Frag, i iam citato) : *usus... procuratoris perquam necessarius est, ut qui rebus suis superesse vel nolunt vel non possunt, per alios possint vel agere vel conveniri.*

8. Quod si quaeratur, an haec regula de procuratoribus constituendis ita generalis sit et constans, ut nullam exceptionem admittat, respondendum negative, quum, si plura sint negocia quae procuratoris constitutionem ferunt, non pauca sunt quae ipsam non patiuntur.

9. Ne autem incerti vagemur in hac distinctione inter negocia et negocia facienda, tutas expedit constituere normas. Sunt autem plus minusve quae sequuntur: *d)* Quum, iuxta Reg. iuris LXVIII in vi : *Potest quis per alium, quod potest facere per seipsum,* et Reg. LXII item in vi : *Qui facit per alium est perinde ac si faciat per semetipsum,* generatim possit quis negocia sua agere per alium, eo quia faciendo per alium videtur facere per semetipsum, *regulae ad instar* est servandum posse procuratores in genere constitui quoad omnia negocia sive iudicialia, sive extraiudicialia: *b)* Quia vero nonnulla sunt negocia, quae, vel rerum natura vel lege positiva id exigente, personaliter seu per se debent expediri, *exceptionis per viam* excludenda sunt a regula generali, procuratorum usum admitiente, ea omnia et singula negocia, quae vel ratio vel lex iubent, ut personaliter peragantur.

10. Regula autem sic constituta ac debitis terminis definita, iam liquet cur rite constituantur procuratores v. g. ad contractum ineundum, ad litem ferendam etc.; et e contra non admittantur v. g. ad testamentum condendum, ad confessionem sacramentalem peragendam etc.

QUAESTIO II.

*An in coniugiis celebrandis procuratores ex iure canonico rite admittantur.*

11. Iure romano coniugium (saltem certis sub legibus) inter negocia fuisse recensitum, quae per procuratorem agi valerent, constat v. g. ex fragmentis Pomponii et Papiniani, relatis n. 5 et 34 Digest. *De ritu nuptiarum.*

12. Sic enim habet Pomponius: *Mulierem absenti per litteras eius vel per nuncium posse nubere placet, si in domum eius deduceretur : eam vero quae abesset ex litteris vel nuncio suo duci a marito non posse: deductione enim opus esse in mariti, non in uxoris, domum, quasi in domicilium matrimonii.* Papinianus autem : *Generali mandato quaerendi mariti filiae familias non fieri nuptias rationis est ; itaque personam eius patri demonstrari, qui matrimonio consenserit, ut nuptiae contrahantur necesse est.*

13. Quae verba praeclarissimorum romanorum iurisconsultorum placuit heic referre ea potissimum de causa, quod etiam in iure nostro sententiarum eis contentarum ratio sit habenda. Quodsi quis obiecerit Pomponium agere de litteris et de nunciis minime vero de procuratoribus, respondendum argumentum procedere a minori ad maius, nam, si per litteras vel merum nuncium fieri potest coniugium, eo magis poterit per procuratorem.

14. Iure autem nostro matrimonia per procuratorem legitime iniri posse certissima res est, ut liquet ex iuris fontibus, doctorum auctoritate, ac tandem receptis moribus.

15. Ad fontes iuris quod attinet, habemus in primis canonem xiii, Caus. xxxii, Quaest. 11 in Decreto Gratiani. Eo enim in canone, deprompto ex Lib. *De Patriarchis* a

S. Ambrosio scripto, memorantur nuptiae iussu Abrahae ab eius servo celebratae cum Rebecca nomine et favore Isaaci. *Honorantur* (ita enim ibi legitur) *parentes Rebeccae muneribus, consulitur puella non de sponsalibus (illa enim iudicium expectat parentum, non est enim virginalis pudoris eligere maritum) sed iam desponsata viro de profectionis consulitur die, nec immerito dilationem non attulit. Iure enim properar e debuit ad maritum* etc.

**1**6. Verum inter caeteros iuris fontes potissimum est habendum C. ix *De procuratoribus* in vi, ubi Bonifacius VIII, accuratissime describit v. g. conditiones, quibus pollere ac modus quo exerceri debet mandatum procuratorium ad matrimonium. Quem canonem tamen heic non excribimus, quum inferius singulas ipsius partes expendere debeamus.

17. Quod pertingit ad doctorum auctoritatem, sufficiat unum alterumve tum ex theologorum tum ex canonistarum agmine citare. Sic v. g. inter theologos S. Alphonsus de Ligorio ( *Theol. Moral.* L. vi, n. 885 commentando verba Busembaum) apertissime edisserit de matrimonio per procuratorem necnon de condicionibus ad id requisitis. Inter vero canonistas Schmalzgrueber *(Comm. in Decretai.)* sub Tit. *De sponsalibus* n. 248 ad quaestionem: *an matrimonium contrahi per procuratorem- possit?* respondet: *affirmative, nam ita habetur expresse cap. fin. de procurat, in VI, ex quo certum fit id licuisse saltem ante Tridentinum.* Quae postrema verba ideo adhibuit Schmalgrueber, quia non defuerunt aliqui, qui falso prorsus, ut probabimus inferius, existimarunt Conc. Tridentinum per caput *Tametsi* (C. i *De Ref. Mat.* Sess. xxiv) antiquam disciplinam mutasse.

18. Tandem quod spectat ad praxim coniugiorum per procuratores celebrandorum, de ea nobis testes sunt inter caeteros v. g. Gasparri *De Matrim,* v. 11, n. 834. *Haec doctrina* (quod nempe etiam post C. Trid. haec matrimonia sint legitima) *confirmatur ex praxi Ecclesiae, quae haec matrimonia in forma Tridentina aliquando permittit.* Itemque v. g. Ferraris, in sua *Biblioth. Canon,* ad verbum *Matrimo-*

*nium,* n. 34, ubi decertans pro eadem legitimitate post Conc. Trid. scribit: *Accedit... praxis ac sensus ecclesiae, quae de facto permittit publice sic celebrari matrimonia praesertim inter Magnates,* etc.

19. Ex dictis ergo concludimus iure canonum (saltem ante Conc. Trid. ut concedunt omnes, imo etiam hodie ut mox probabimus) permisisse, esto certis sub legibus, ut matrimonia per procuratores inirentur.

20. Quod si quaeratur cur in uno matrimonio, caeteris sacramentis prorsus exclusis, procuratores rite admittantur, respondebimus rationem in propatulo esse. Quamvis enim Christus matrimonium naturale evexerit ad dignitatem sacramenti, nihil prorsus in eius intima natura immutatum voluit. Gratia enim naturam perficit et non destruit. Unde, quum ante Christum matrimonium esset verus proprieque dictus contractus, et hinc qua talis procuratorum ministerium admitteret, debuit hoc etiam post Christum esse omnino verum. Eapropter eodem prorsus iure ac admittebantur olim procuratores ad ineundum matrimonium-contractum, admittuntur hodie ad celebrandum matrimonium-sacramentum. Paucis, quum matrimonium priusquam sacramentum sit contractus, et non aliter subsistat sub ratione sacramenti nisi prius prioritate rationis incipiat esse verus contractus, admittit procuratores ut caeteri contractus, prout liquet v. g. ex regula iam citata: *Potest quis per alium quod potest facere per seipsum.*

21. Est autem doctrina haec in argumento nostro valde attendibilis, quum ex ea bene intellecta ac adplicata facilis sit via ad plures quaestiones solvendas, ad plures ambages vitandas, ad plures difficultates enucleandas.

22. Vix autem advertere oportet, per procuratorem in omnium sententia sive ante sive post Conc. Trid. rectissime celebrari sponsalia, servatis tamen iuxta communem interpretationem, ut notat Gasparri *De Matr.* v. i, n. 33, condicionibus iisdem, quas Bonifacius VIII in C. ix *de procur.* assignat quoad procuratores ad coniugia celebranda.

## QUAESTIO III.

### *An Concilium Tridentinum antiquam disciplinam immutaverit.*

23. Duplicem immutationem a Patribus Tridentinis effingere possumus inductam, unam *accidentalem* subiiciendo matrimonium per procuratorem legi general de clandestinitatie vitanda, et alteram *substantialem* matrimonia ipsa per procuratorem penitus abolendo.

24. Quoad primam immutationis speciem, minime ambigendum eam reapse fuisse peractam. Matrimonia enim per procuratorem, quum ex lege clandestinitatem interdicente non fuerint excepta, necessario debent aestimari ut in ea comprehensa. Et quia omnes hoc concedunt, nihil ulterius advertemus nisi nos alibi esse investigaturos quomodo hodie, ut legi Tridentinae de clandestinitate fiat satis, debeant huiusmodi coniugia celebrari.

25. Quoad alteram vero ex suppositis immutationibus, seu substantialem per abolitionem horum coniugiorum per procuratores, sciendum non defuisse, ut iam superius monuimus, aliquos qui contenderent Concilium Tridentinum hanc substantialem immutationem per C. *Tametsi,* quo induxit necessitatem matrimonia celebrandi coram parocho et testibus, reapse peregisse, et hinc hodie matrimonia per procuratores in locis, ubi cit. cap. *Tametsi* viget, esse habenda ut reprobata.

26. Licet autem sententia haec nullo modo retineri possit, praestat ad abundantiorem eruditionem saltem praecipuiora argumenta, quibus ipsius adseclae innitebantur, heic summatim referre.

27. Quia vero haec ipsissima argumenta, brevi contracta sermone, referuntur a Schmalzgrueber in cit. Comm. Decretal, sub tit. *De sponsal.* n. 248, nos tempori et labori parcentes propriis eiusdem clariss. viri verbis utemur.

28. *An vero hoc* (seu an matr. hodie post Conc. Trid. possit contrahi per procur.) *procedat etiam post Trid. controversia est. Aliqui, quos recenset Petr. de Ledesm. quaest. 42,*

*art.* ***I,*** *dec.* 7 *et I. 2 de matr. D. 11, n. i, putarunt cap. fin. cit. (seu cap. IX* De procur.) *per laudatam synodum fuisse correctum. Fundantur:* i. *quia ideo olim matrimonium per procuratorem contractum valebat, quod eo tempore ad illud sufficeret mutuus nudus consensus, sed hodie non sufficit nudus consensus, sed is coram parocho et testibus praestari debet, prout habetur Sess. 24, Cap. i.* De reformat, matrimon. *ergo etc.;* 2. *idem Trid. loc. citat, decernit, ut omnino coram parocho et testibus contrahatur, ita quidem, ut parochus, viro et muliere interrogatis, et eorum mutuo consensu intellecto, dicat, ego vos in matrimonium coniungo etc. ac proinde supponit ambos contrahentes debere per se immediate et praesentialiter exprimere consensum suum, non autem mediante procuratore vel internuntio ;* 3. *ab eodem concilio praescribitur nova matrimonio forma, quae per aequivalens seu aequipollens suppleri atque adeo procuratoris ministerio compensari nequit ;* 4» *parochus et testes debent posse testari de matrimonio rite contracto, non autem testari possunt de isto, si consensus ante ipsos per solum procuratorem praestatur, quia nesciunt an principalis mandatum dederit, vel an non interea eumdem revocaverit ;* 5. *ex matrimonio per procuratorem contracto oriu'Uur multa non levia inconvenientia ; quia contingere potest et saepe contingit aliquem ex contrahentibus tempore, quo celebratur, esse mortuum, vel consensum revocasse, vel cum non satis cognitam habeat personam, cu?n qua per procuratorem contrahit, compelli cum gravi sua displicentia eidem convivere.*

29. Verum hisce non obstantibus argumentis, *dicendum* (prosequitur idem Schmalzgrueber) *et tamquam certum tenendum, quod matrimonium etiam in Ulis locis, in quibus Trid. receptum est, per procuratorem contrahi etiamnum possit.* Ita, addit Schmalgrueber, Henriquez, Sánchez, Guttierez, Coninck, Palaus, etc. etc. *et alii plures apud istos, ex quibus nonnulli temeritatis notam inurunt adversae sententiae.*

30. Schmalzgrueber concinunt S. Alphonsus, ut iam indicavimus, Ferraris, Scavini, Gasparri, Feije et alii infiniti sive ex theologis, sive ex canonistis, qui post Conc. Trid. seri-

pserunt, adeo ut hodie nullus, quod sciamus, contrariae sententiae, quae propterea ut prorsus antiquata et falsa est aestimanda, adhaereat.

31. Sic **v.** g. Gasparri *De matr.* v. 11, n. 834: *Communis sententia est hoc ius adhuc vigere, et matrimonium per procuratorem servatis hisce condicionibus* (seu condicionibus de quibus cavet Bonif. VIII) *contrahi posse etiam Tridentino urgente decreto, quia Conc. Trid. nihil in hac re immutavit.* Itemque v. g. Feije: *De imped. et disp. matr.* n. 300: *Certum est posse matrimonium,* servatis servandis, *contrahi per procuratorem.*

32. Quod si quis praeter doctorum auctoritatem alia argumenta sive extrinseca, sive intrinseca exquirat ad probandam sententiae aifirmantis veritatem, respondebimus nec illa nec ista deesse.

33. Reapse S. Congr. Concilii et Rota pluries ut rata et legitima habuerunt matrimonia celebrata per procuratorem post Conc. Trid. Sic v. g. Riganti in Comment, ad Reg. XLV Cancell. Apóstol, refert S. C. C. die 7 Maii 1701 validum habuisse matrimonium Ioannis Baptistae Piccino cum Anna Rollo, per procur. celebratum, et Rotam in *Neapolitana Matrim,* die 18 Iunii 1703 *coram. Ansaldo* item matrim, quoddam per procuratorem initum validum declarasse.

34. Recentioribus autem temporibus, eadem S. C. Conc. die 7 Apr. 1883 proposita in secunda instantia causa matrimonii celebrati per procur. inter Leonem et Eleonoram, ad dubium: *An sententia Curiae Arch. Neapolit.* (quae edixerat constare de validitate) *sit confirmanda vel infirmanda in casu,* respondit: *Sententiam esse confirmandam.*

35. Nihil autem mirum quod hodie et schola et forum ut prorsus certam admittant legitimitatem coniugiorum per procuratorem etiam post Conc. Tridentinum. Nam Conc. Trident, solum reprobavit matrimonia clandestina, seu non celebrata coram parocho et testibus; idque ad tollenda gravissima incommoda, quae ex clandestinis coniugiis oriebantur. Verum nemo sanae mentis serio dixerit matrimonium, celebratum quidem per procuratorem at coram parocho et

testibus, esse clandestinum et locum praebere illis incommodis, de quibus tollendis solliciti fuere Trid. Patres. Ergo.

36. Igitur eodem iure quod hodie post Conc. Trid. rite celebrantur coniugia per nuncios et epistolas, possunt rite quoque celebrari per procuratores, quum Concilium, nihil de eiusmodi coniugiis statuendo, omnino praesumendum sit ea reliquisse sub dispositione iuris antiqui. Idque eo magis quia, (ut scitissime monet Schmalzgrueber loc. cit.) *decreta correctoria iuris sunt strictae interpretationis, et extra casus in propria verborum significatione comprehensos extendi non debent,* etc.

37. Quia vero superius placuit uti verbis mox laudati Schmalzgrueber ad referenda, brevi contracta sermone, saltem praecipua adversariorum argumenta, placet heic quoque de verbo ad verbum referre eorumdem refutationem, quam ibidem facit eximius canonista n. 250.

38. *Neque urgent argumenta opposita. Ad i. discrimen inter ius antiquum et novum introductum per Trid. hoc est, quod olim matrimonium per procuratorem potuerit contrahi nudo consensu absque parocho et testibus : nunc vero requiratur istorum praesentia. Ad 2. imprimis interrogatio illa, et verba parochi non sunt essentialia; deinde etiam procurator interrogari potest de consensu sui principalis, et hoc explicato, parochus dicere, ego vos, nomine procuratoris comparentes, coniungo; vel ego vos procuratores, quatenus repraesentatis vestros principates, coniungo. Ad ß. Trid. praescripsit novam formam matrimonio ex parte actus et obiecti, requirendo praesentiam parochi et testium, non vero ex parte subiecti, seu personae contrahentium ; et hinc praesentia parochi et testium per aequipollens suppleri non potest, potest autem suppleri praesentia contrahentium per ministrum et procuratorem, quia cum ex vulgata regula, quod per alium quis facit per seipsum censeatur facere, reg. qui facit 72 in VI praesentia procuratoris aequipollet praesentiae principalis. Ad 4. non requiritur ut Parochus et testes testentur de matrimonio quod reapse sit validum, (hoc enim impossibile est, cum illud invalidum reddi*

*possit ex defectu consensus mere interni) sed sufficit quod testare possint de matrimonio, quod in foro externo habetur et haberi debet pro valido, de hoc autem testari iam possunt, quamdiu non probatur defectus sufficientis mandati, vel eius revocatio. Ad 5. argumentum illud ad summum probat, quod ob illa inconvenientia matrimonium per procuratorem contractum irritari potuerit, non vero, quod actu sit irritatum. Adde omnem contractum humanum aliquibus incommodis semper expositum esse.*

39. Stat ergo firmissima conclusio (a qua iuxta iam citatos aliquos doctores, quibus plenissime subscribimus, nullo modo recedere licet absque temeritatis nota), etiam hodie post Conc. Trid. matrimonia rite celebrare per procuratores, eaque sic celebrata *saltem valere sub ratione contractus.* Si quod enim dubium adhuc permoveri forsan posset circa validitatem talis coniugii qua est sacramentum, ut mox videbimus, nullo prorsus pacto ambigi potest circa validitatem eiusdem qua est contractus. Nam si etiam post Conc. Trid. haec coniugia valent, sub qua ratione valerent nisi saltem sub ratione contractus ? Et reapse, si de aliquibus coniugiis a christianis rite et legitime celebratis interdum dubitatum est (ut in casu praesenti) num valerent sub ratione sacramenti, numquam dubitatum est an saltem valerent sub ratione contractus. Nam matrimonium quod sit certo validum, at non sit validum nisi sub ratione sacramenti, est prorsus absurdum, quum omne matrimonium christianum antequam et magisquam quoddam sacramentum necessario sit quidam contractus. Verum si hodie omnino tenendum, coniugia per procuratorem inita esse saltem valida sub ratione contractus, gaudetne eadem certitudine propositio eamdem certam firmitatem eis tribuens sub ratione sacramenti? Est hoc autem investigandum sub quaestione quarta.

**Carolus Lombardi**

***Prof. in Pont. Seminario Romano.***

***(Sequitur)***

# ACTA ROMANI PONTIFICIS

LITTERAE

## Pii PP. X de spiritualibus exercitiis a Clero peragendis (i).

DILECTO FILIO NOSTRO
PETRO TIT. SS. QUATUOR CORONATORUM
S. R. E. PRESB. CARD. RESPIGHI
NOSTRO IN URBE VICARIO

PIUS PP. X

*Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam benedictionem.*

Experiendo plus satis cognitum est, tam instabili hominem esse natura, ut vel diligentissimus quisque officii, nisi opportunis subinde stimulis excitetur, sensim frigeat ad virtutem, ac tandem languescat prorsus in vitiumque decidat.

(i) Emus Urbis Vicarius, votis Summi Pontificis obsequens, infrascriptas salutares dispositiones pro Clero saeculari Urbis eiusque Districtus statuit:

*Ai dilettissimi Sacerdoti del Clero Secolare di Roma e suo Distretto.*

Siamo lieti di parteciparvi che il S. Padre si è degnato di indirizzarci la lettera che qui appresso riportiamo, la quale contiene una prova novella dell'affetto e della premura che Egli nutre per il Clero di quest' alma città.

E in conformità dei voleri del S. Padre Noi disponiamo quanto segue :

i°. Tutto il Clero secolare di Roma dovrà, almeno ogni tre anni, fare i santi Spirituali Esercizi in una delle tre case delle quali è cenno nella lettera del S. Padre o in altre che in seguito fossero a ciò destinate.

2°. Chi per ragioni speciali desiderasse farli altrove, dovrà ottenerne licenza dal Vicariato di Roma, e presentare poi il certificato di averli compiuti.

3°. A cominciare dall'anno 1908 non si rinnoveranno nè le facoltà di celebrare r\è quelle di ascoltare le sacramentali confessioni a quei Sacerdoti che non avessero nel triennio adempito all' obbligo loro imposto dal S. Padre. Ma siamo ben persuasi che non saremo mai costretti ad usare di tale misura con nessun Sacerdote.

4°. Ciascun Sacerdote per essere ammesso a far parte di una muta di S. Esercizi dovrà dare in tempo il suo nome alla Segreteria del Vicariato, indicando il luogo e,i giorni che preferisce secondo la Tabella che si pubblicherà ogni anno.

Ab hac naturae conditione quum sacerdotes profecto soluti non sint, idcirco ne suis partibus aliquando prae languore desint, certa adhibeant subsidia oportet, quibus identidem reparare vires et alacritatem redintegrare pristinam possint. Subsidia eiusmodi non obscure videtur Deus velle, ut potissimum in pio aliquo recessu, idest seorsum per dies aliquot anteactam vitam reputando, quaerantur. *Cogitavi vias meas: et converti pedes meos in testimonia tua* (Ps. cxvin, 59). Perspicuum id quidem ratio facit, qua cum Apostolis se gessit Christus Dominus. Qui quum, doctrinae legisque suae destinatus orbi universo nuntios, interea in vicos et castella Iudaeae et Galilaeae, praedicandi Evangelii causa, solerei mittere, reversos, ubi quae docuissent fecissentque audierat, ad

**5°. La retta è fissata in L.** 16. **Si procurerà di venire in aiuto con qualche provvedimento a coloro che si trovassero nella riconosciuta impossibilità di pagare la detta retta.**

**6°. Si raccomanda caldamente ai Sacerdoti di non aspettare gli anni venturi, ma di affrettarsi a secondare fin d'ora i santi desideri dell'amato Pontefice, iscrivendosi subito per le mute di quest'anno iç)**o5 **già stabilite secondo la tabella che qui sotto aggiungiamo.**

**Dalla Nostra Residenza questo dì** 25 **Gennaio** igo5.

P. CARD. VICARIO.

**Francesco Can. Faberi,** ***Segretario.***

*TABELLA degli Eserciti Spirituali pel Clero di Roma, nelle pie case di Villa Cecchini, della Missione e dei SS. Giovanni e Paolo durante l'anno* igo5.

| | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| *Febbraio.* | — | **Dalla** | **sera di** | **Domenica** | ·9> | **alla** | **mattina di** | **Sabato** | 25. |
| *Mar\o.* | — | » | » | » | <9> | » | » | » | 25. |
| *Maggio.* | — | » | » | » | 21, | » | » | » | 27. |
| *Giugno.* | — | » | » | | 18, | | » | » | 24. |
| *Luglio.* | — | » | » | » | 2, | » | » | » | 8. |
| *Agosto.* | — | | | » | 20, | » | » | » | 26. |
| *Settembre.* | — | » | » | » | 3, | | » | » | 9- |
| *Ottobre.* | — | » | » | » | 8, | » | » | » | 14. |
| *Novembre.*— | | » | » | | >9> | » | » | » | 25. |
| *Décembre.*— | | » | » | | 3>- | | | | 9- |

***(N. R.).***

solitudinem invitabat; quo recreatis animis, pares laborando vel magis deinceps fierent. *Venite seorsum in desertum locum, et requiescite pusillum* (MARC, VI, 31).

Iamvero non Apostolos tantum quos coram alloquebatur, sed omnes, quicumque Apostolici ministerii participes futuri essent, hac invitatione excitasse Dominus putandus est; ut nimirum qui, ob sanctimoniam non modo officii sed etiam vitae, et sal terrae et lux mundi et quasi terrestres dii esse deberent, iidem praesidium retinendae augendaeque sanctimoniae maximum usurparent.

Etenim, si quaerimus omnium ornamenta virtutum, quae Clericum decent, studium sacrarum rerum continet: id vero ob eam quam diximus, inconstantiam naturae, ex quo die sacris initiati sumus, diuturnitate in multis defèrvescit, in non paucis dissipatur misere et extinguitur. Ipsa etiam assuetudo, quae quotidie res easdem tractando gignitur, causa est quare paullatim sacerdos non diligentior ad sancta, quam ad cetera vitae munia evadat. Accedunt huc pericula et varia et magna, quae saepe sunt in administratione sacerdotalis officii subeunda. Denique quum necesse sit de mundano pulvere etiam religiosa corda sordescere, multo magis necessitas haec sacerdotem tenet, in mediis mundi illecebris et miseriis habitantem. Quibus ex rebus omnino apparet oportere, ut, si rectos in nobis denuo excitare spiritus, si quamlibet vitiositatem corrigere in agendo contractam, si maiorem ad discrimina constantiam induere volumus, intermissis loco quotidianis curis, atque e magisterio parumper in disciplinam regressi, illuc revertamur, unde olim bono incensi studio prodivimus, docilesque excipiamus vocem, quae nos de officiis admoneat, salubriter corripiat, ad potiora hortetur atque urgeat. Quamobrem nihil tam proderit quam longe a strepitu et agitatione communis vitae secedere; quippe animae ad Spiritus Sancti accipienda munera quies est amicissima: *Ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor eius* (OSEE II, 14).

Equidem non intelligimus sacerdotem ullum posse reperiri qui, in tantis difficultatibus, molestiis periculisque collocatus, non tamen sentiat subinde ex intervallo requirendum sibi esse praesidium, quod spiritualia, quae dicuntur, exercitia suppeditant. Atqui videmus haec ipsa ab iis quidem, quorum est actio vitae munerisque commendabilior, cupide expeti accurateque frequentari, ab aliis vero, utinam paucis, ita negligi, ut minimo aestimari videantur. Quid? mercator quivis, cui sunt sua negotia cordi, diligenter quotidie, diligentius quotannis acceptorum et expensorum rationes computabit; sacerdos autem quispiam curatorque animarum, qui quum Dei negotia administret, Deo districtam rationem redditurus est, non, se colligens aliquando, aequa iudicii lance ponderabit hinc officia sua, hinc facta, atque dispiciet utrum vocationi suae congruat, an penitus discrepet ?

Imploranda quidem est divina benignitas, ut omnibus ad unum Clericis persuadeat huiusce opportunitatem instituti, quod tanta eis affert adiumenta, unde se rite praestent ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei. Nobis interea, qui in universa gubernanda Ecclesia praecipuam quandam curarum partem huic Almae Urbi debemus, ad temperandam, ut oportet, Romani disciplinam Cleri, visum est praesertim spiritualium exercitiorum morem fovendo dirigere. Quare Sodalibus et e Societate Iesu et a Christi Passione et Vincentianis significavimus, gratum Nobis eos facturos, si per unam singulis mensibus hebdomadam (quantum spatii est a vespertinis diei dominici ad matutinas horas proximi Sabbathi) in suo quique asceterio urbano sacerdotibus navare operam voluissent. Qui Sodales quum paratissimos respondeant sese esse Nostris obsequi votis, iam tuum erit, Dilecte Fili Noster, usque ab initio appetentis anni opportuna praescribere, ut quotquot Romae, praeter religiosas familias, sacerdotes numerantur, omnes, nullo cuiquam suffragante pri-

vilegio, spiritualibus exercitiis in aliquo e ternis asceteriis, quae dicta sunt, saltem tertio quoque anno vacent.

Dubitandum minime est quin eiusmodi praescriptiones universi omnes, ad quos datae erunt, magna cum voluntate studeant perficere, atque hoc ipso consolari Nos ; qui quidem ad propositum, quod necessitatibus temporum adducti urgemus, instaurandi omnia in Christo, nihil tam valere arbitramur, quam recta studia et exempla Clericorum. — Auspicem divinorum munerum benevolentiaeque Nostrae testem tibi, Dilecte Fili Noster, Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die xxvn Decembris anno MDCCCCiv, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. X

## LITTERAE

### Pii PP. X de institutione religiosa a parochis Urbis impertienda pro prima Communione puerorum in paroecia (i).

AL SIGNOR CARDINALE PIETRO RESPIGHI

NOSTRO VICARIO GENERALE

*Signor Cardinale,*

Fra i molti e gravi uffici, ai quali deve consacrarsi lo zelo dei Parroci, tiene certamente il primo posto la cristiana istruzione della gioventù. E ben vero che tale dovere s'ap-

(1) Versio latina: Emo Petro Card. Respighi, Nostro Vicario Generali.

*Eme Domine* — Inter multa et gravia munera, quibus vacare debet Parochorum zelus, christiana eruditio iuventutis primum obtinet locum. Verum quidem est hoc munus parentibus potissimum spectare, qui hoc tantum medio ad paternitatis coronam ius habent; at praeterquamquod plures illud negligunt, eruditio religiosa quae tam magna pars christianae institutionis est, imponitur iis, quibus Iesus Christus dixit: *Ite, docete omnes gentes.* Quod, si malo semine a prima culpa procedente, institutio opus ita arduum est ut, etiam absque impedimentis, omnium quoque concursu, difficulter bonum exitum sortiatur, quomodo poterit

partiene principalmente ai genitori, che per questo mezzo soltanto hanno diritto alla corona della paternità; ma oltreché molti pur troppo lo trascurano, l'istruzione religiosa, che forma tanta parte della cristiana educazione, s'impone a coloro, ai quali ha detto Gesù Cristo: *Ite, docete omnes gentes.* Che se pel mal seme contratto dalla prima colpa, l'educazione è un' opera così ardua che, anche senza ostacoli, anche col concorso di tutti, difficilmente arriva ad un buon successo, come potrebbe un giovane senza aiuti arrivare alle sublimi e difficili altezze della virtù e della perfezione cristiana?

Per questo la Chiesa, sollecita del bene delle anime, ingiunge ai Parroci 1' obbligo di impartire al popolo l'istruzione religiosa almeno nelle Domeniche, nelle feste solenni, e tutti i dì, o almeno tre volte per settimana, durante il tempo dell' Avvento e della Quaresima. Ed aggiunge pure che, almeno nelle Domeniche e nei giorni festivi, i medesimi, o per sè o per mezzo di altri sacerdoti, sono tenuti ad istruire nei principi della fede e nella obbedienza a Dio e ai genitori i fanciulli (Conc. Trid., Sess. xxiv, cap. 4). I quali, come hanno bisogno di prendere con frequenza il cibo materiale per vivere e crescere, così per la loro anima hanno continuo e urgente bisogno di questo cibo celeste per formarsi alla vita cristiana e per conservarsi buoni.

**iuvenis sine auxiliis sublimes et difficiles virtutum christianae perfectionis celsitudines assequi?**

**Quam ob rem Ecclesia, salutis animarum sollicita, iubet Parochos docere populum religiosam eruditionem saltem diebus Dominicis, festis solemnibus, et quotidie, aut saltem ter in hebdomada tempore Adventus et Quadragesimae. Addit praeterea saltem diebus Dominicis et festis, eosdem vel per se, vel per alios presbyteros, teneri ad docendos pueros principia fidei et obedientiam Deo et parentibus (Conc. Trid., Sess. xxiv, cap. 4). Qui, uti frequenter egent cibo materiali ut vivant et crescant, ita pro ipsorum animis hoc caelesti pabulo semper et admodum indigent, ut vitae christianae se conforment et boni se custodiant.**

**Haec autem eruditio necessaria omnino est, ut ipsi parentur participes fieri mediorum salutis a Iesu Christo Domino Nostro oblatorum: SS. Sacramento-**

Tale istruzione poi si rende assolutamente necessaria per prepararli a partecipare ai mezzi di salute offerti da Nostro Signore Gesù Cristo : i santi Sacramenti della Confessione, della Confermazione e della Comunione, che soli possono aiutarli a condurre una vita santa.

Ed è specialmente per questo che Ci sentiamo mossi, Signor Cardinale, a scriverle questa lettera, perchè Ella abbia la bontà di richiamare 1' attenzione dei Reverendi Parroci di Roma sopra siffatto loro dovere, il cui adempimento non può esser contenuto tra i limiti della semplice scuola della Dottrina Cristiana nelle feste, ma esige per la preparazione ai santi Sacramenti una istruzione particolare, assidua, continua di più settimane e fors' anche di mesi, a seconda della capacità dei giovani e del Sacramento che devono ricevere.

A tal fine Ella dovrà ordinare che tutti i Reverendi Parroci innanzi a certe solennità dell'anno preparino i giovanetti e le fanciulle pervenuti all' uso della ragione ad accostarsi al Sacramento della Penitenza. Egualmente in certe epoche dovranno ben disporli al Sacramento della Cresima, ed essere molto severi nell' accordare loro il biglietto, se prima non abbiano risposto in modo acconcio all' esame; allora potranno veramente dichiarare che i medesimi si sono accostati alla Confessione, e si riconoscono idonei a ricevere il Sacramento della Cresima.

**rum Poenitentiae, Confirmationis et Eucharistiae, quae sola ad sanctam vitam ducendam iuvare possunt.**

**Et hanc praecipue ob rem, Eme Domine, ad Te praesentes litteras minimus, ut Tu, quaesumus, Reverendos Urbis Parochos ad hoc ipsorum munus explendum excites, cuius adimplementum inter limites simplicis scholae Christianae Catechesis diebus festis contineri nequit, sed exigit, ut pueri parati sint ad SS. Sacramenta, eruditionem peculiarem, solertem, continuam per plures hebdomadas et fortasse etiam per menses, iuxta puerorum capacitatem et Sacramentum suscipiendum.**

**Idcirco iubebis omnes Reverendos Parochos ante quasdam solemnitates anni parare pueros et puellas usu rationis pollentes ad recipiendum Sacramentum**

Per la Comunione poi i Parroci di Roma dovranno scegliere, d' accordo con Lei, Signor Cardinale, il tempo più opportuno per istruire nel debito modo per quaranta giorni o almeno per un mese i giovani da ammettersi alla prima Comunione, per conoscere la loro pietà, per inspirare in essi la massima riverenza a questo Sacramento, e per prepararli a rendersi meno indegni di un tanto dono.

E ben vero che abbiamo in Roma *Y Opera Pia Michelini,* detta di Ponterotto, l'*Istituto Imperiali Borromeo,* detto le Cappellette di S. Luigi, e vari altri per le prime Comunioni dei giovani; ma, oltreché i medesimi non bastano all' immenso bisogno, questi Istituti, od altri che si potessero aprire, saranno bensì opportuni pei giovani, che già istruiti vi si recano per la preparazione prossima, ma non certo per la istruzione necessaria alla preparazione remota.

Benedicendo pertanto il Signore, che ha donato alla Nostra Roma queste pie istituzioni, delle quali potranno appro-

**Poenitentiae. Item statuto tempore eos ad Sacramentum Confirmationis Parochi congrue parent, eisque tesseram minime concedant, nisi prius illi idoneo modo periculum fecerint; tunc vere adfirmare poterunt eosdem Sacramentum Poenitentiae recepisse et ad Sacramentum Confirmationis esse idoneos.**

**Pro Communione autem Parochi Urbis eligant, Te, Eme Domine, adsentiente, tempus opportunius ut debite per quadraginta dies vel saltem per mensem pueros admittendos ad primam Communionem doceant, quo facilius eorum pietatem cognoscant, in eis maximam venerationem huic Sacramento excitent, eosque tanto privilegio minus indignos efficiant.**

**Verum est Nos Romae habere Piam Operam *Michelini,* nuncupatam *Ponterotto,* Institutum *Imperiali Borromeo,* seu *Cappellette di S. Luigi,* aliasque institutiones pro primis puerorum Communionibus ; at, praeterquamquod haec Instituta maximae necessitati non sufficiunt, ipsa vel alia, quae aperiri poterunt, opportunae quidem erunt pueris, qui iam edocti ad eas se conferunt pro praeparatione proxima, non tamen sufficiunt necessariae instructioni pro praeparatione remota.**

**Dum igitur Dominum benedicimus, qui Nostrae Romae has pias institutiones donavit, quibus uti possunt pueri iam valde eruditi, praesertim si adulti, pro spiritualibus Exercitiis ante Communionem, volumus quotannis et in unaquaque Paroecia statui (ut supra diximus) tempus eruditionis, et insimul diem solemnem primae Communionis; huic diei periculum, quo pueri se apte et op-**

flttare i bene istruiti, specialmente se adulti, per un corso di spirituali Esercizi prima della Comunione, vogliamo che in tutti gli anni e in ogni Parrocchia sia fissato (come sopra abbiamo detto) il tempo per la istruzione, e insieme il giorno solenne per la prima Comunione, facendo precedere questo dì da un esame, in cui i giovanetti dieno prova di essere convenientemente istruiti, e dalla preparazione di tre giorni sempre in Parrocchia.

Preveniamo alcune obbiezioni, che si potranno fare. E prima d' ogni altra, che il Parroco da solo non sarà in grado di provvedere a tanto bisogno ; — ma egli avrà, purché lo desideri, dei validi coadiutori nei Sacerdoti della Parrocchia, anche appartenenti ad Istituti religiosi, ed eziandio nei buoni laici, che la Dio mercè non mancano nemmeno a Roma ; ne verrà meno ai Parroci in opera di tanto rilievo la liberalità e il generoso concorso della classe più agiata per sostenere le spese, che dovranno incontrare.

Si dirà che moltissimi Parrocchiani amano che i fanciulli per là prima Comunione sieno rinchiusi. Facile la risposta dei Parroci : questo premio si accorda ai diligenti nel Catechismo; che il giovanetto sostenga lodevolmente 1' esame, ed avrà il biglietto per *Ponterotto,* o per le *Gzppellette,* o per altri luoghi che potessero in seguito essere dall' Autorità

portune eruditos praebeant, et triduana praeparationem in Paroecia praecedere volumus.

Nonnullas obiectiones, quae afferri possunt, anteimus. In primis Parochum unum tantae necessitati providere non posse ; at ille, si velit, strenuos coadiutores Sacerdotes Paroeciae habebit, etiam Institutis religiosis pertinentes, nec non optimos laicos, qui, Deo opitulante, Romae non deficiunt; nec in re tanti momenti deerit liberalitas et validum auxilium divinorum sumptibus obeundis.

Dicet quispiam plurimos parochianos cupere pueros ante primam Communionem claudi. Parochi facile respondebunt : substineat puer laudabiliter periculum, et habebit tesseram pro *Ponterotto,* vel *Cappellette,* vel aliis locis, qui in futurum ab ecclesiastica Auctoritate ad hoc destinari poterunt. Et hic Nos Communitatibus Religiosis Urbis ex toto corde opportunum ducimus commendare ut efficaciter coadiuvent Parochos in re tam sancta.

ecclesiastica all' uopo destinati. E qui crediamo opportuno fare una calda preghiera alle Comunità religióse di Roma perchè vogliano coadiuvare efficacemente i Parroci nell' opera santa che ad essi raccomandiamo.

Si dirà finalmente che il Parroco distratto da tante cure non potrà far altro. Ma nulla è difficile, nulla è arduo alle industrie dello zelo di un buon Parroco, e lo dimostrano i due Parroci Stefano Bellesini e Gio :* Battista Maria Vianney testé innalzati all' onor degli altari. Ma anche se il Parroco non potesse far altro, avrà fatto molto, avrà fatto tutto, perchè avrà provveduto con questo al vero bene dei suoi Parrocchiani, ed insieme ai migliori conforti dell' animo suo.

Colle Comunioni in Parrocchia egli avrà il vantaggio di conoscere non solo i fanciulli, ma anche le loro famiglie, e di poter dire col divino Maestro: *Cognosco oves meas et cognoscunt me meae,* cattivandosi la loro stima e il loro affetto. — Inoltre, potendo egli avere a cagione delle Comunioni in Parrocchia facile accesso presso le famiglie, sarà in grado di esercitare sulle medesime la più salutare influenza non solo per rimuovere da esse quei disordini e quei mali che vi esistessero, e portarvi le più care consolazioni, ma per averle altresì alle funzioni, alle prediche e per sorvegliare specialmente i giovani rispetto alla frequenza dei Sacramenti, affine

Denique dicet quispiam Parochum, tot curis implicatum, aliud facere non posse ; at nihil difficile, nihil arduum industriis zeli boni Pastoris, quod clare ostendunt duo Parochi Stephanus Bellesini et Io. Baptista Maria Vianney nuper inter beatos recensiti. Quod si Parochus aliud facere nequit, multa, quin etiam omnia fecerit, quia hoc modo consuluerit bono suorum Paroecianorum et una simul optimis gaudiis sui animi.

Communionibus in Paroecia ille cognoscere poterit non solum pueros, sed etiam ipsorum familias, et dicere poterit cum Divino Magistro : *Cognosco oves meas, et cognoscunt me meae,* eorum existimationem et amorem acquirens. — Insuper, cum habeat ob Communiones in Paroecia facilem aditum in familias, exercere poterit in iis suum saluberrimum opus, non solum ad illas inordinationes et mala amovenda, quae inesse possint, et dulcissimas consolationes ferre, sed etiam faciet ut illae sacris functionibus et instructionibus adsint, et super

di non dover deplorare che per tanti la prima Comunione sia anche l'ultima per tutta la vita.

Finalmente colle Comunioni in Parrocchia il Parroco, che si studierà di segnalare quella festa con solennità straordinaria, perchè resti impressa nei fanciulli la santità dell' atto che compiono, avrà il conforto di vedere in quel dì attorno a sè numeroso stuolo di genitori, di parenti e di amici, ai quali tutti con accenti amorosi di zelo pastorale potrà rivolgere opportuni e salutari ammonimenti.

Le fanciulle delle Parrocchie d' ordinario sono istruite e preparate alla prima Comunione negli Istituti religiosi femminili, che si prestano a quest' opera di carità fiorita. I Parroci dimostrino alle buone Religiose la loro gratitudine, sorveglino queste istruzioni ed esaminino le fanciulle che dovranno essere ammesse alla prima Comunione nelle loro chiese parrocchiali.

Qui poi dobbiamo encomiare i Superiori di tutti quei Collegi ed Istituti cattolici, nei quali gli alunni e le alunne sono preparati ogni anno alla prima Comunione. A queste

iuvenes vigilent praesertim quoad frequentiam Sacramentorum, ne nimio dolore eveniat ut illis prima Communio et ultima sit.

Denique Communionibus in Paroecia Parochus, qui studebit illud festum extraordinaria solemnitate celebrare, ut in pueris sanctitas actionis, quam complent, imprimatur, laetus erit videns apud se magnam frequentiam parentum, affinium et amicorum, quibus omnibus opportuna et salutaria monita suavibus verbis pastoralis zeli dare poterit.

Puellae Paroeciae communiter docentur et parantur ad primam Communionem in Institutis religiosis mulierum, quae huic verae caritatis operi student. Parochi gratum animum his optimis Religiosis monstrent, super has eruditiones invigilent, et periculum faciant puellis, quae admittendae erunt ad primam Communionem in eorum ecclesiis parochialibus.

Hic Nobis laudandi sunt Superiores omnium Collegiorum et Institutorum catholicorum, in quibus alumni et alumnae quotannis ad primam Communionem parantur. His Communionibus privatis Parochi adsint, ut gratum animum benemeritis Institutoribus monstrent, pueris puellisque gratulemur, eosque invitent cum licentia ipsorum Superiorum ad primae Communionis festum, quod fiet in respectivis Paroeciis, ut una cum aequalibus Sacra Eucharistia se reficiant.

private Comunioni procurino di intervenire i Parroci per dimostrare la loro riconoscenza ai benemeriti Istitutori, per congratularsi coi giovanetti e colle fanciulle e per invitarli col permesso dei loro Superiori alla festa della prima Comunione, che si farà nelle rispettive Parrocchie, accostandosi coi loro compagni alla Mensa Eucaristica.

La nequizia dei tempi vorrebbe relegato il Sacerdote nel Santuario; e sia pure, ma sappiano, specialmente i Parroci, che T anima di un giovane è il più augusto dei Santuari, e se è loro dovere di accendere e mantenere il fuoco sacro in questi templi viventi, dove delle mani colpevoli cercano di gettare delle fiamme incendiarie, uno dei mezzi potenti è quello da Noi inculcato.

Ci affidiamo pertanto allo zelo di Lei, Signor Cardinale, perchè imponga assolutamente a tutti i Parroci della città quest' obbligo; e sicuri che tutti accetteranno con animo ossequente 1' ingiunzione, impartiamo di cuore a **Lei,** Signor Cardinale, e ai dilettissimi Parroci l'Apostolica benedizione.

Dal Vaticano, li 12 Gennaio 1905.

PIUS PP. X

Vult temporum pravitas Sacerdotem in templo religari: transeat; sed sciant praesertim Parochi animam iuvenis augustissimum templum esse; quod si eorum munus est incendere et conservare sacrum ignem in his templis viventibus, ubi manus improbae cupiunt immittere flammas ignis, praecipuum medium est quod Nos iteravimus.

Zelo igitur Tuo, Eme Domine, confidimus, ut omnibus Parochis Urbis hoc munus omnino imponas; et omnes accepturos hoc munus animo docili certiores cum essemus, Tibi, Eme Domine, et dilectissimis Parochis Apostolicam benedictionem ex toto corde impertimus.

Ex Aedibus Vaticanis, die 12 Ianuarii 1905 *(N. R.).*

ALLOCUTIO

## Pii PP. X ad Episcopos solemniis quinquagenariis Immaculatae B. M.V. Conceptionis praesentes in Urbe (i).

*Venerabili fratelli,*

Io avrei voluto ricevervi ad uno ad uno, in udienza particolare, e parlare a ciascuno di voi *os ad os.* Ma in mezzo ad una tale affluenza — voi medesimi lo riconoscerete — il mio desiderio, per quanto fosse ardente, non poteva essere soddisfatto. Del resto la maggior parte di voi desidera rientrare nelle proprie diocesi, ed in ciò merita tutta la mia approvazione ; poiché nulla è più dolce ad un Padre, che di trovarsi in mezzo ai suoi figli, specialmente alla vigilia della santa solennità del Natale. Ricevete adunque adesso i miei ringraziamenti, per aver risposto al mio invito e, colla vostra presenza, resi più solenni sia la festa di Maria Immacolata, sia la canonizzazione dei nuovi santi, Alessandro Sauli e Gerardo Maiella.

Ricevete nello stesso tempo il saluto affettuoso di Colui che si sente per voi padre e fratello. Congedandovi, io vi lascio come addio le parole dell'Apostolo: *Gaudium meum*

(i) SSmus Dominus Noster die 12 Decembris 1904, excipiens Episcopos qui solemnibus caeremoniis Iubilaei Immaculatae B. M. V. Conceptionis adfueranr, dixit se libentissime singulos in privata audientia excepturum fuisse, sed propter eorum frequentiam hoc fieri non potuisse. Laudavit Episcopos quod propriam dioecesim quamcitius petere cuperent ad SSmi Natalis D. N. I. C. solemnia celebranda, eisque gratias egit, quod solemniores caeremoniae Iubilaei Immaculatae et canonizationis SS. Alexandri Sauli et Gerardi Maiella eorum praesentia fuerunt. Cum verbis Apostoli « *gaudium meum et corona mea* » delectatus est appellare Episcopos, quos cum Ipso posuit Spiritus Sanctus regere Ecclesiam Dei, ab eisque cooperationem in regimine Ecclesiae quammaximam fidenter expectare affirmavit. Tempora difficiliora Christi Sponsae eventura, at in verbis Christi: « *Non veni pacem mittere sed gladium. Si me persequuti sunt, et vos persequentur. Sed confidite, ego vici mundum* », certitudinem victoriae repositam esse asseruit, quia : « *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi-».* Vitae sanctimoniam, scientiam, abnegationis et sacrificii spiritum, animarum zelum, atque caritatem eis commendavit ut amorem bonorum

*et corona mea f* Sì, voi siete la mia gioia! perchè chiamati a dividere con me le fatiche apostoliche, nel governo della Chiesa di Gesù Cristo, io aspetto da voi, a giusto titolo, la più generosa e più efficace collaborazione. Voi siete la mia corona ! perchè le virtù che brillano in voi aumentano lo splendore della dignità della quale il Signore ha voluto rivestirmi, nonostante la pochezza del mio merito.

I tempi si fanno difficili e dolorosi per la Chiesa cattolica: non turbiamoci. Sulla terra la Chiesa è militante: a noi T essere i capitani che conducono le milizie al combattimento. Non abbiamo noi, come potente incoraggiamento, la certezza della vittoria ? Davanti ai nostri occhi sono sempre queste divine parole: *Non veni pacem mittere sed gladium. Si me persequuti sunt, et vos persequentur. Sed confidìte, ego vici mundum.*

Se noi sappiamo essere, per la dottrina, la luce del mondo; per i nostri esempì, il sole della terra ; se in una parola noi facciamo valere come un tesoro, ciò che San Paolo raccomandava ai suoi discepoli, Tito e Timoteo, cioè primo la santità e la perfezione della vita, secondo il vigore della dottrina, terzo lo spirito di abnegazione e di sacrificio, quarto

**ipsorumque maiorum venerationem sibi conciliari queant, quum : «** ***Omnia possum in eo qui me confortât »*****. Praeterea haec gravia verba Summus Pontifex addidit: « Venerabiles fratres, unum dumtaxat a vobis petimus; vigilate super seminariis et super postulantibus ad sacerdotium ; quemadmodum vos scitis, independentiae spiritus animabus lethalis vehementer inflat in mundum, quae independentia, non solum quoad auctoritatem sed etiam quoad doctrinam, Sanctuarium quoque ingressa est. Hinc sequitur nonnullos ex nostris iuvenibus clericis, huiusmodi effrenis criticae spiritu hodie omnia invadente imbutos, quamlibet observantiam erga scientiam a nostris summis magistris, a patribus nempe et Ecclesiae doctoribus, doctrinae revelatae interpretibus, haustam penitus amittere. Quod si in seminario unus ex istis novae formae sapientibus haberetur, citius dimittite eum, et nullo pacto manus ei imponitote. Vos semper de sacris ordinibus eidem collatis, licet de unico tantum clerico ageretur, nunquam vero de eiusdem ab ordinibus exclusione poenituri estis». Pontifex demum omnia bona auspicatus Apostolica benedictione adstantes Episcopos eorumque fideles roboravit** ***(N. R.).***

lo zelo attivo ed illuminato, quinto la carità forte e dolce ad un tempo, noi ci concilieremo l'amore e la venerazione dei buoni, la stima e il rispetto dei nostri stessi nemici.

In quest' opera difficile sia nostro sostegno l'amorosa Provvidenza di Colui che inviando i proprii apostoli per il mondo come agnelli in mezzo ai lupi, li rassicurò e li esortò a non temere di nulla, persuasi che egli si terrebbe sempre allato a loro : *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi.*

D' altra parte la difficoltà dell' opera, posta a confronto delle nostre povere forze, ci porterà a considerarci sempre come strumenti inutili nelle mani del Signore, ed a ricorrere a Lui nelle nostre più grandi necessità. Egli ci esaudirà e così ci farà ripetere: *Omnia possum in eo qui me confortai.* Io non vi faccio, venerabili fratelli, che una sola raccomandazione : vegliate sui seminarii e sugli aspiranti al sacerdozio : voi lo sapete : troppo spira sul mondo un soffio d' indipendenza mortifero per le anime, e questa indipendenza si è introdotta anche nel santuario ; indipendenza non solo riguardo all' autorità, ma altresì riguardo alla dottrina. Ne deriva che alcuni dei nostri giovani chierici ', animati da questo spirito di critica senza freni che domina oggidì, giungono a perdere ogni rispetto per la scienza derivata dai nostri grandi maestri, dai padri e dottori della Chiesa, interpreti della dottrina rivelata. Se mai aveste nei seminarii uno di questi sapienti di nuovo conio, liberatevene prestamente, e a nessun costo imponetegli le mani. Voi ve ne ripentirete sempre di averlo ordinato, non fosse che uno solo; non mai di averlo escluso.

Rientrando nelle vostre diocesi voi direte ai vostri fedeli che il Santo Padre li benedice tutti di cuore e si raccomanda alle loro preghiere. Ognuno di voi, il giorno festivo che crederà opportuno potrà dare solennemente al popolo la benedizione papale coli' indulgenza plenaria per coloro che si sa-

ranno confessati e comunicati. Ch'essa vi accompagni durante il vostro viaggio, questa benedizione che io dò a tutti voi con uno speciale affetto, nel nome del Padre, del Figliuolo e dello Spirito Santo.

PIUS PP. X

# EX SECRETARIA BREVIUM

**Comitatus Nationalis Italicus pro Palaestina et Sanctuario Lapurdensi commendatur, atque Italicae ad eadem loca peregrinationes indulgentiis ac privilegiis ditantur.**

*Dilecto filio Iacobo Mariae Radini Tedeschi Praesuli.*

PIUS PP. X

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Dilecte fili, salutem et Apostolicam benedictionem. Romani Pontifices Decessores Nostri, vel a primis Ecclesiae temporibus singulari studio pias fidelium ad potiora Christiani Orbis Sanctuaria et praesertim ad loca Passionis ac vitae Redemptoris Nostri memoriis inclyta, peregrinationes sunt prosequuti, easque peculiaribus ac praecipuis spiritualibus gratiis et privilegiis auxere. Gratum ideo ac periucundum evasit Nobis consilium a te initum, constituendi Nationalem Italicum pro Palaestina ac Lapurdensi Sanctuario Comitatum, illique vix Supremam Principis Apostolorum Cathedram nullis quidem meritis Nostris divinitus adscendimus, coeptis tuis ultro libenterque faventes, Pontificiae benedictionis ac voluntatis robur adiecimus. Placet enim Nobis quod Sanctorum Locorum honor reviviscat apud Italos hique precibus, stipe, atque exemplis dissidentium Ecclesiarum conversionem adiuvent; placet ut Immaculata Virgo in ipso suae Apparitionis loco recolatur, et Sanctuarium Lapurdense innumerae

celebrent turmae fidelium, qui pro Nobis, pro societatis ac patriae ad Christum reditu orent; placet denique ut Italicae peregrinationes bene compositae, atque in exemplum piae, tum in Palaestinam tum ad Lapurdense templum peragantur. Non sine magna animi Nostri laetitia hoc anno accepimus ex hisce peregrinationibus alteram habendam esse proximo mense Maio ad Sanctuarium Lapurdense novissimis Iubilarem Immaculatae Virginis festivitatum diebus, alteram vero in Palaestinam mensibus Septembri atque Octobri; Nosque spem, prope certam foventes, futurum ut eaedem peregrinationes tum sociorum numero cum bonorum operum exercitatione floreant, et tibi, dilecte fili, qui Comitatus supramemorati Praesidis munere egregia quidem laude fungens, et fidelibus omnibus peregrinationes ipsas suscepturis, caelestium munerum auspicem Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Praeterea cum Nobis nihil antiquius sit, quam ut opus tam frugiferum uberiora capiat, Deo iuvante, incrementa, spiritualibus etiam illud indulgentiarum thesauris ditare satagimus. Quare de Omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, die discessus ac reditus cuiusque peregrinationis tum in Palaestinam cum ad Sanctuarium Lapurdense, et uno alio die a moderatore peregrinationis ipsa durante designando, omnibus fidelibus ex utroque sexu, qui vel peregre iter faciant, vel precibus aut alio pio opere peregrinationibus sese spiritu socient, dummodo Eucharisticis dapibus se reficiant, et pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effundant, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, quam etiam animabus Christifidelium quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint per modum suffragii applicare possint, misericorditer in Domino concedimus et largimur. Facultatem insuper facimus lucrandi indulgentias Sanctuariorum tum Pa-

laestinae cum Lapurdensis proprias, etiam si propter nimiam peregrinorum frequentiam vel ex alia rationabili causa Missa inibi fiat sub divo ; et servatis servandis expressam ad hoc veniam Apostolica Nostra auctoritate tribuimus. Indulgentias Viae Crucis seu Calvariae, vel in maritimo, vel in terrestri itinere concedimus, dummodo pia exercitatio fiat turmatim, praecedente tantum lignea Cruce rite benedicta. A die primo discessus ad diem domum reditus inclusive, omnibus et singulis sacerdotibus peregrinis, facultatem facimus excipiendi Sacramentales Confessiones sociorum peregrinorum e quavis dioecesi, dummodo ipsi sint ad Confessiones excipiendas canonice probati, et quoad Confessiones mulierum debitae cautelae adhibeantur. Dispensationem a ieiunio et ab obligatione ciborum esurialium toto itinere ac remoto scandalo largimur hisce in peregrinationibus, dummodo peregrini iisdem diebus vel adsint Missae, vel per horae quadrantem piae meditationi vacent, aut tertiam Rosarii partem recitent. Praeterea in peregrinationibus potissimum ad sancta Palaestinae loca, a die primo conscensionis in navim ad novissimum diem exscensus inclusive, sacerdotibus (quod usus docuit peropportunum) Breviarii recitationem in illam solidi Rosarii commutamus; simulque maritimo itinere durante veniam facimus, ex qua plures moderatoris arbitrio Missae celebrentur, dummodo adhiberi queant debitae quoad dignitatem ac securitatem cautelae; nec non sacerdotibus Confessariis ad hoc ab ipso moderatore designandis facultatem tribuimus recipiendi nautarum navi addictorum Confessiones, aliorumque qui forte velint sese, admissorum Sacramentali Confessione expiare; et fidelibus pariter in navigatione veniam concedimus SSmam Eucharistiam infra supradictarum Missarum actionem suscipiendi. Insuper omnibus ad quos spectat facultatem largimur ex prudenti moderatoris arbitrio Sacramentum Augustum asservandi, benedictionem cum Eodem impertiendi, Illudque in sacris pompis circum ferendi, servatis tamen debitis quoad conve-

niens decus et securitatem cautelis. Tandem moderatori potestatem tribuimus in casu necessitatis Extremam Unctionem per se aut per sacerdotem delegatum ministrandi. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die xvn Ianuarii MDCCCCV, Pontificatus Nostri anno secundo.

L. «£- S. ALOIS. Card. MACCHI

# ACTA ROM. CONGREGATIONUM

## EX S. CONGR. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

### CLARISSARUM

**Professae votorum simplicium vivere debent cum Professis votorum solemnium sub exclusiva dependentia Superiorissae monasterii.**

*Beatissimo Padre,*

Il Confessore Ordinario delle Clarisse di Cortona, genuflesso ai piedi della S. V. umilmente espone:

Per antica consuetudine le Monache di S. Chiara nella mentovata città tennero la seguente prassi relativamente alle novizie, e cioè: Le giovani al loro ingresso in monastero facevano un anno di probandato, finito il quale, se nulla -ostava, venivano vestite dell' abito monacale e davano subito principio al Noviziato nel quale continuavano per tre anni, al termine dei quali aspettavano ancora un anno dimorando fuori del Noviziato e dopo emettevano la professione solenne. Stante ora 1' obbligo di emettere la professione dei voti semplici prima della professione solenne giusta il Decreto della S. C. dei VV. e RR. del 3 maggio 1902, è nato il dubbio:

Terminato l'anno di Noviziato ed emessa la professione dei voti semplici, le Novizie debbono rimanere ancora per tutto il triennio dei voti semplici nel locale assegnato pel Noviziato, e quindi sotto la dipendenza delle Maestre: oppure debbono uscir subito dal Noviziato e dimorare nel locale assegnato per la Comunità, e quindi sotto la disciplina comune delle professe e sotto la dipendenza unicamente della Superiora del monastero, come le altre ? E se a maggior vantaggio delle Novizie e assodamento nell' esercizio della Regolare disciplina, la risposta alla seconda parte del quesito fosse negativa, l'umile esponente supplichevolmente domanda: *Quid et quomodo sit agendum.* Che della grazia ecc. (i)

Sacra Congregatio Emorum et Revmorum S. R. E. Cardinalium Negotiis et Consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, proposito dubio respondendum censuit, prout respondet: Ad I partem, *Negative;* ad II partem, *Affirmative.*

Romae, 12 Octobris 1904.

A. Card. AGLIARDI.

L. «f* S.

Philippus Giustini, *Secretarius.*

(i) Versio latina: *Beatissime Pater* - Confessarius ordinarius Clarissarum Cortonae ad pedes S. V. provolutus humiliter exponit : Ex antiquo usu Moniales a S. Clara nuncupatae solebant Cortonae hanc servare normam quoad Novitias. Puellae videlicet monasterium ingredientes Probandatus annum peragebant, quo transacto, si nihil obstaret, religiosa veste induebantur, ac subito ad triennalem Novitiatum admittebantur, deinde alio anno cum Monialibus Professis commorabantur et postremo solemnia vota emittebant. Nunc vero ad mentem Decreti S. Congr. Episcoporum et Regularium diei 3 Maii 1902, Novitiae puellae emittere debent vota simplicia antequam solemnem faciant professionem. Hinc quaeritur: Expleto Novitiatus anno ac simplici professione emissa, durante triennio votorum simplicium debentne puellae manere in ambitu et sub disciplina Novitiatus, sicut verae Novitiae, an vivere in Communitate, sicut aliae Moniales sub exclusiva dependentia Superiorissae Monasterii? Et si pro maiori profectu et confirmatione in exercitio Regularis disciplinae, responsum ad II partem erit negativum, humilis orator suppliciter expostulat, quid et quomodo sit agendum. Et Deus etc. *(N. R.).*

## URSULINARUM

### Consuetudo ingrediendi clausuram monialium pro funeribus exsolvendis tolerari potest.

*Beatissimo Padre,*

Nel monastero delle Suore Orsoline, di clausura papale, esistente nel borgo di Cannobio, nella diocesi alle mie cure affidata, vige la consuetudine, in occasione dei funerali delle Religiose, che il cappellano-confessore, con intervento di altri sacerdoti, compia entro del monastero le prescritte funzioni rituali. Non essendo tale pratica conforme alla disciplina regolare (i), T attuale cappellano-confessore delle Religiose fece ultimamente giuste osservazioni in proposito : ond' è che a tranquillità delle coscienze e per la piena regolarità domanda a V. S. se io possa valermi della risposta data da cotesta S. Congregazione il 24 Aprile 1903 al Vescovo di Zamosa nella Spagna (2), per continuare a permettere l'uso fin qui praticato, tanto più che, a differenza della diocesi di Zamosa, non si dà nel monastero di Cannobio alcuna refezione ai sacerdoti che intervengono alla mesta funzione ; e per altra

(1) Circa sepulturam Monialium et earum funeralia in iis, quae respiciunt ingressum confessarii in monasterium, H. S. C. in *Reatina,* io Martii 1577, ita decrevit : « Non licet Confessario ingredi monasterium sub praetextu sepulturae tradendi cadaver alicuius Monialis, aut officia funeralia peragendi ; sed hoc officium, si intra clausuram sepelienda est, ab aliis Monialibus vel a duobus operariis ab Ordinario approbandis, peragatur : et quatenus Monialis sepelienda sit in ecclesia exteriori, debent Moniales deferre cadaver usque ad portam clausurae ». Quod decretum confirmatum fuit ab eadem S. C. in *Pistorien. et Praten.* 2 Martii 1855, in qua tamen additur, quod si habeatur consuetudo, vi cuius confessarius occasione funerum monasterium intret, consuetudo tolerari non debet, « nisi de licentia Ordinarii in singulis casibus ». Praeterea e resolutione H. S. C. in *Zamoren.,* 24 Apr. igo3, necnon ex hodierno decreto, ubi extat consuetudo, non solum Confessario sed etiam aliis sacerdotibus permittitur ingressus in claustra Monialium pro funeribus persolvendis ; at sive pro Confessario sive pro aliis sacerdotibus eum comitaturis necessaria omnino est singulis vicibus expressa Ordinarii licentia -*(N. R).*

(2) Cfr. *Acta S. Sedis,* voL 36, p. 203.

parte troppo incomodo tornerebbe alle Religiose il far portare i cadaveri delle defunte consorelle nella pubblica chiesa annessa al monastero, sia per la mancanza di sorelle Torriere atte a tale ufficio, sia per la difficoltà che presenta l'unico passaggio, stretto ed a doppio svolto, che dal monastero mette alla chiesa.

Qualora poi ciò non fosse in mio potere, umilmente supplico V. S., perchè in via di grazia voglia concedere per le Suore di Cannobio la sanzione del mentovato uso. Che ecc. (i).

Sacra Congregatio Emorum et Revmorum S. R. E. Cardinalium Negotiis et Consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, perpensis omnibus in casu concernentibus, proposito dubio respondendum censuit, prout respondet: *Enunciatam consuetudinem tolerari posse.*

Romae 12 Novembris 1904.

D. Card. FERRATA, *Praefectus.*

L. <fa S.

Philippus Giustini, *Secretarius.*

(t) Versio latina: *Beatissime Pater* — In monasterio Sororum a S. Ursula, pontificiae clausurae, existente in pago Cannobio, in dioecesi meis curis concredita, viget consuetudo, vi cuius occasione funerum Religiosarum capellanus-confessarius, cum aliorum sacerdotum interventu, praescriptas functiones rituales intra claustra persolvat. Quum autem haec praxis regulari disciplinae conformis non sit, actualis capellanus-confessarius Religiosarum iustas animadversiones ad rem nuperrime exposuit: quapropter pro conscientiarum tranquillitate atque pro tuta regula petit a S. V. utrum stare possim responso ab H. S. C. die 24 Aprilis 1903 dato ad Episcopum Zamoren. in Hispania, et sic permittere usum usque modo observatum, eo vel magis quod, secus ac in dioecesi Zamorensi, in monasterio Cannobii sacerdotibus moestae functioni interessentibus nulla refectio praebetur: ac praeterea nimium incommodum Religiosis foret deferendi cadavera defunctarum Sororum in publicam ecclesiam monasterio adnexam, sive ob defectum Sororum huiusmodi officio aptarum, sive ob difficultatem unici transitus, angusti ac dupliciter flexi, qui a conventu ad ecclesiam ducit. Quod si hoc in mea potestate non esset, humiliter postulo a S. V, ut in via gratiae pro Sororibus Cannobii sanctionem praefati usus concedere dignetur *(N. R.).*

## TRINITAKIORUM

### Dubia circa admissionem Novitiorum ad professionem, eorumve dimissionem ab Ordine.

*Beatissime Pater,*

In Constitutionibus Ordinis SSmae Trinitatis Redemptionis Captivorum cap. 42, p. 6 de approbationibus Novitiorum, n. 2 et 3 legitur:

« In anno approbationis Novitii ter proponantur Capitulo Conventuali, ut iudicet, an attentis eorum vita et moribus, digni sint, ut ad Professionem admittantur... Post quartum mensem a receptione habitus proponantur prima vice Novitii dicto Capitulo, secunda post octavum; tertia post decimum mensem. Ut Novitius censeatur approbatus, debet habere maiorem partem suffragiorum secretorum ; quod si eam non habuerit, statim habitu spolietur et modeste dimittatur. At semel approbatus a Capitulo, habitu non spolietur, nisi de consensu ipsius Capituli Conventualis ; vel saltem consentientibus et convenientibus Ministro et Magistro et Patre Generali vel Provinciali ».

Usque modo observata fuit haec Constitutio tamquam non opposita Decreto Pii PP. IX diei 25 Ianuarii 1848 exordiente : *Regulari Disciplinae.* Nunc vero cum exortum sit dubium, humillimus infrascriptus orator quaerit:

I. Utrum supradicta Constitutio eidem Decreto opponatur? Et quatenus *affirmative.*

II. Utrum ad dimittendos extra Ordinem Novitios ante decimum mensem a receptione habitus sufficiat consensus Ministri domus Novitiatus et Novitiorum Magistri, an insuper requiratur assensus Patris Generalis vel Provincialis?

Sacra Congregatio Emorum **et** Revmorum S. R. E. Cardinalium Negotiis et Consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, omnibus mature perpensis, propositis dubiis respondendum esse censuit, prout respondet:

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. Standum esse Decreto *Regulari Disciplinae* diei 25 Ianuarii 1848 (i).

Romae 26 Novembris 1904.

D. Card. FERRATA, *Praefectus.*

L. 4. S.

Philippus Giustini, *Secretarius.*

(i) Iuxta citatum Decretum a S. C. super Statu Regularium auctoritate Pii PP. IX editum, quod tamen pro Italia et insulis adiacentibus dumtaxat urget, nullus Novitius admitti potest ad professionem emittendam, nisi scrutinium favorabile Provincialis aliorumque saltem trium Examinatorum, necnon Generalis approbatio praecesserit; dimissio autem Novitii decerni valet tum a praedictis tribus Religiosis una simul cum Provinciali, tum etiam a solo Superiore Generali. En Decreti dispositio, quae ad rem facit : « III. Duobus mensibus ante professionem Provincialis sive per se, sive per alium idoneum- religiosum sibi benevisum, Novitii voluntatem diligenter exploret an coactus, an seductus sit, quo spiritu ad statum religiosum ductus, an sciat quid agat, an obligationes status religiosi et regulae agnoscat : secreto audiat tum Magistrum Novitiorum, tum Novitios nec non Religiosos etiam Conversos Conventus seu Domus Novitiatus circa Novitium ad professionem admittendum. Quo facto Capitulum Conventuale eiusdem Conventus seu Domus convocet, ut Capitulares per secreta suffragia declarent an Novitius ad professionem admitti possit. Deinceps omnium actorum et resultantium relationem scripto exaratam propria manu subscribat, quin tamen eos, qui secreto deposuerint, ullo modo in aliquod discrimen adducat. IV. Huiusmodi relationem Provincialis tribus saltem Examinatoribus Provincialibus communicet; et condicto die convocet praefatos Examinatores et Novitiorum Magistrum, et praestito ab omnibus superius enunciato iuramento (videlicet ad Sancta Dei Evangelia, *se quacumque humana affectione postposita fideliter munus executuros),* Magister Novitiorum referat de Novitii agendi ratione in Novitiatu servata, de eius libertate, vocatione et idoneitate ad statum religiosum, et declaret utrum ipse in Domino existimet Novitium ad professionem tuto admitti posse. Si vero Magister Novitiorum vel ratione distantiae vel alia legitima causa ad locum scrutinii commode accedere nequeat, transmittat super praemissis relationem in scriptis , illamque iuramento confirmet, et propria manu subscribat. Provincialis deinceps et Examinatores per secreta suffragia definiant an Novitius necessariis dotibus praeditus sit, ut ad professionem tuto admitti possit, super quo eorum conscientia graviter onerata remaneat. V. Si Novitius probatus fuerit, Provincialis de omnibus instructum reddat Superiorem Generalem, qui ulterioribus informationibus, quatenus necessarium iudicaverit, requisitis, approbationem revocet vel confirmet, prout in Domino iudicaverit, quin tamen umquam

## ORDINIS S. BENEDICTI

### DIMISSIONIS

**Infirmitas ante professionem dispositive tantum praeexistens non censetur causa sufficiens dimittendi ab Ordine professum votorum simplicium.**

**Species facti.** Iuvenis Petrus Salmón, postquam postu* lati experimentum et novitiatus annum in Ordine S. Benedicti apud Solesmense Coenobium expleverit, votorum simplicium professionem a. 1899 emisit. Tamen ob quamdam infirmitatem, quae neurastenia vulgo nuncupatur, quaeque in veram dementiam degenerare poterat, Salmón non fuit admissus ad vota solemnia explenda, quinimo a. 1901 ex Ordine dimissus fuit. Contra huiusmodi dimissionem ipse ad H. S. Congregationem Episcoporum et Regularium appellavit.

**Defensio dimissi.** Salmón praemittit Consilium generale Ordinis Benedictini propter solam infirmitatem ab Ordine eum dimisisse, quemadmodum ex quadam epistola Magistri Novitiorum diei 13 Februarii 1902 liquet. At obstant *Declarationes* S. C. super Statu Regularium diei 12 Iunii 1858, post editam Const. *Ad Universalis j* Febr. 1862 cunctos Ordines Regulares afficientes, quae relate ad dimissionem professi votorum simplicium haec statuunt sub articulo V: «Licet ad decernendam dimissionem neque processus neque iudicii forma requiratur, sed ad eam procedi possit sola facti veritate

permittere possit professionem Novitii, qui ab Examinatoribus Provincialibus reprobatis fuerit. VI. In iis Institutis, in quibus Provinciales non existunt, sint illorum loco ad effectum, de quo agitur, Superiores Domus Novitiatus. VII. Si quid ulterius, exigant Constitutiones et regulae alicuius Ordinis et Instituti in admittendis Novitiis ad professionem, id servandum etiam erit in ea dumtaxat parte, quae tenori huius decreti minime contraria sit ». Ad tramitem ipsius Decreti Novitius probatus intelligitur ad professionem emittendam, qui saltem unum suffragium super medietatem obtinuerit. Professio tamen facta absque forma superius relata, ex pluribus decisionibus eiusdem S. C. declaratur illicita, non autem invalida, et Superiores ipso facto poenas ibidem statutas incurrunt *(N. R.).*

inspecta, tamen Superiores procedere debent summa charitate, prudentia, et ex iustis et rationabilibus causis, quacumque humana affectione remota, secus eorum conscientia graviter onerata remaneat. *Nemo autem ex causa infirmitatis post professionem votorum simplicium superventae dimitti poterit*». In casu autem infirmitas non antecedens sed subsequens votorum simplicium professionem' censenda omnino est ; ideoque nequit esse sufficiens ipsius dimissionis ratio. Unde iuvenis dimissus concludit se in Ordine Benedictino, ubi professionem simplicem emisit, semper vivere et mori velle.

**Defensio dimittentis.** Ex adverso Abbas Primas Ordinis S. Benedicti, ad dimissionem tuendam, sustinet quod Salmón, antequam ad postulati experimentum reciperetur, iam afficiebatur aliqua corporis debilitate seu aegritudine, quae anemia communiter dicitur, et quae grave periculum dementiae superventurae inducebat. Quod adeo verum est, ut Consilium generale Ordinis, priusquam praefatum iuvenem diniitteret, ne nimia severitate accusaretur, plurimum resolutionem suam distulit, dies meliores expectans ; sed inutiliter omnibus adhibitis mediis dimissionem ante votorum solemnium professionem tandem decernere debuit

Neque, iuxta Abbatem, in themate invocari possunt *De-' clarationes* S. C. super Statu Regularium, diei 12 Iunii 1858; quia ipsae loquuntur de infirmitate post professionem votorum simplicium superventa, non autem de infirmitate in antecessum contracta. Potius heic applicandum videtur rescriptum S. H; C. diei 15 Septembris 1873. Nam ad dubium a Minoribus Franciscanis propositum : « An iusta sit et rationabilis causa idem motivum, quod fuisset sufficiens ad novitium a professione arcendum, v. g. aptitudinis defectus ad Ordinis officia, quamvis minora et respective communia, obeunda, sicut praedicationis aut confessionis, vel etiam ineptitudo ad obligationes proprii status adimplendas, sive id oriatur ex animi levitate vel iudicii defectu etc., ita ut ob huiusmodi causas, a Superioribus

immediatis recognitas et pro certo affirmatas, professus votorum simplicium potius oneri et perturbationi quam utilitati et aedificationi futurus esset propriae religioni, exclusa semper infirmitate post professionem superventa, ob quam professus dimitti nequit », responsum fuit : « Non esse interloquendum, cum agatur de re ab Apostolica Sede commissa iudicio et conscientiae Superiorum ». Hoc a fortiori concludit Abbas valere in casu, ubi agitur non tantum de mentis debilitate, de ineptitudine ad officia Ordinis -communia obeunda, deque inutilitate pro Ordine, bene vero de vera amentia, de absoluta impotentia ac de morali et materiali Communitatis damno.

**Votum Consultoris.** Abbatis placitis congruit conclusio viri Consultoris ab H. S. C. de suo voto rogati, qui, quamvis admittat Superiores Benedictinos male egisse in admittendo iuvene Salmón ad novitiatum et ad professionem simplicem, tamen optime fecisse ait in eius expulsione ab Ordine. Ratio ab eo allata est, quod mens S. Congregationis in citatis *Declarationibus* edendis non fuit ut Ordini in perpetuum ligaretur professus simplex, qui Communitatis pacem et tranquillitatem turbare valeret ob infirmitatem, cuius praesertim germen in antecessum extaret, sed tantummodo ne dimitteretur professus simplex, qui vel ex gravibus servitiis Ordini praebitis vel etiam, sic disponente divina Providentia, post emissa vota simplicia infirmus evaderet.

**Dubia.** I. *Se e quale più lata interpretazione debba darsi all' articolo V delle Dichiarazioni 12 Giugno 1858* (ì) : *« Nemo autem ex causa infirmitatis post professionem votorum simplicium superventae dimitti poterit ».*

II. *Se il decreto, col quale il giovane Salmón professo di*

(i) Latine: *An et quaenam latior interpretatio danda sit articulo V Declarationum 12 Iunii l858 (N. R.).*

*voli semplici fu dimesso dall' Ordine Benedettino, si sostenga nel caso* (1).

**Resolutio.** Et S. Congregatio EE. et RR., omnibus matura deliberatione perpensis, die 13 Maii 1904 responsum dedit: Ad I. *Non proposita* (2).

Ad II. *In casu solam infirmitatem non esse causam sufficientem dimissionis.*

(1) Latine: *An decretum, quo iuvenis Salmón professus votorum simplicium dimissus fuit ab Ordine Benedictino, sustineatur in casu (N. R.).*

(2) Praeter quaestionem facti circa dimissionem professi Salmón, Primas O. S. B. alteram quaestionem iuris H. S. C. proposuit, petiit nempe ut, ad omnes in posterum controversias hac in re vitandas latior interpretatio daretur citatae *Declarationis. C.* super statu Regularium, diei 12 Iunii 1858, praesertim vero articulo V ita se habenti : « *Nemo autem ex causa infirmitatis post professionem votorum simplicium superventae dimitti poterit* ». Aliis verbis: praefatus Abbas cuperet ut a S. Sede definirentur casus, in quibus infirmitates habendae sint tamquam votorum simplicium impedimentum^ quando vero non; imo ipsemet triplicem normam proponit statuendam quoad professorum simplicium dimissionem; videlicet: i°) Nullus professus votorum simplicium dimitti poterit ob acutum morbum, uti sunt tifoides, pleurites, choléra, etc.; 2°) Aegritudines ante ingressum in Religionem contractae, licet ignotae priusquam vota simplicia emittantur, praesertim vero haereditariae, aut quae periculum contagli inducant, sufficientem dimissionis rationem constituere possunt, praevio circa factum concordi iudicio duorum medicorum fide dignorum ; 3°) Pariter invaletudines speciali modo nervosae, quae a vita habituali Communitatum originem ducant, vel quae huiusmodi vitam regularem professis votorum simplicium impossibilem reddant, praevio semper supra dicto iudicio duorum medicorum, dimissionis causa esse possunt.

Consultor iam in corpore disceptationis allatus placitis Primatis O. S. B. favere videtur, ac proinde articulum V praefatarum *Declarationum* stricte et litteraliter interpretandum non esse censet. Sane, iuxta ipsum, triennium votorum simplicium est tempus probationis quoad regularem vocationem ; ideoque quemadmodum plena huiusmodi probationis certitudo non habetur nisi clare constet professum tum moraliter tum materialiter vitae regulari aptum esse, ita si ex adverso innotescat professum vel moraliter vel materialiter vitae regulari inhabilem esse, dimitti posse concludendum est. Intelligi praeterea nequit cur infirmitates spiritus, licet post votorum simplicium superventae, sint ratio sufficiens dimittendi professum simplicem, dum e contra infirmitates corporis, quae religiosum perpetuo inhabilem ad vitam regularem reddere possunt, dimissionis sufficiens ratio esse nequeant. Nec valet effatum quod *afflictio non est afflictis ad-*

## Colliges

i°. Iuxta Decretum S. C. super Statu Regularium *Neminem latet* diei 19 Martii 1857 et iuxta subsequentem Const. Pii PP. IX *Ad Universalis Ecclesiae* 7 Febr. 1862 in Ordinibus religiosis virorum, professioni votorum solemnium praemittenda est professio votorum simplicium, saltem ad triennium duratura, sub poena nullitatis ipsius solemnis professionis.

*denda,* quia hoc valeret etiam pro infirmitatibus animi. Caeterum moralis aegritudo professi fere semper originem ducit ab aegritudine corporali. Consultor insuper addit in allato articulo V *Declarationum* non agi de morbis chronicis, qui religiosum perpetuo inhabilem reddunt ad vitam regularem, sed tantum de infirmitatibus acutis non diuturnis, quae religiosum perpetuo ineptum reddere non valent. Denique, iuxta ipsum, accedit iurisprudentia H. S. C, quemadmodum patet ex iam citato responso ad dubium a Fratribus Minoribus propositum.

Hisce tamen non obstantibus, alter Consultor ab H. S. C. de suo voto pariter rogatus in contrariam omnino sententiam abiit, ac proinde nullam invenit rationem cur lex ab articulo V praedictarum *Declarationum* statuta temperanda sit. Huiusmodi enim lex loquitur dumtaxat de infirmitate post professionem simplicem superveniente ; quae proinde, si in antecessum existeret, quamvis post dictam professionem solummodo innotesceret, est in potestate Superiorum hos infirmos dimittendi. In casu haec aegritudo in dispositione proxima, non autem in sola remota ante professionem existere debebat, uti ex iudicio medicorum in arte peritorum et fide dignorum dignosci valet. Quaestio igitur coarctanda est ad infirmitates, quae emissis votis simplicibus superveniant, praesertim vero ad phthisim et ad neurasteniam. Phthisi affectus non videtur posse dimitti, quia *non est addenda afflictio afflicto,* eo vel magis quod ipse Communitatem molestia non afficit, et probabiliter infirmitatem per sacrificia et religiosas poenitentias contraxit. Idem, iuxta Consultorem, dimitti nequit neurastenia affectus post simplicem professionem. Responsum H. S. C. ad Fratres Minores diei 17 Sept. 1873 non facit ad rem, quia tunc agebatur de defectibus levitatis, iudicii etc. iam ante professionem existentibus, e contra modo sermo est de infirmitate professioni superveniente ; quin addatur quod etiam in casu Fratrum Minorum relinquitur Superioribus plena iudicandi libertas. Praeterea, observat Consultor, lex articuli V in favorem religiosi morbo affecti directe lata est, favores autem sunt ampliandi ; quinimo alias rationes infirmus habere potest propriae dimissioni non assentiendi, e. g. quia in saeculo non habet unde vivat. Demum vel neurastenia est incompleta, et tunc aegrotus nonnulla Communitatis officia adimplere potest, et nullam molestiam Ordini affert, ideoque nulla habetur sufficiens ratio eum di-

**2°.** Professio simplex in spirituale Communitatum bonum inducta fuit, ut melius professorum spiritus probaretur, eorumque religiosa vocatio dignosceretur, antequam ipsi ad vota solemnia emittenda admitterentur.

3°. Huiusmodi vota simplicia sunt perpetua ex parte voventis, quum ad vota solemnia suo tempore emittenda strictam relationem dicant; at ex parte Ordinis per dimissionem ipsius professi solvi possunt.

4°. Quae dimissio decerni nequit nisi ex iustis et rationabilibus causis, quarum iudicium a S. Sede Superioribus Ordinis commissum fuit.

5°. Attamen, ad praescriptum articuli V *Declarationum* S. C. super Statu Regularium diei 12 Iunii 1858, infirmitas, post professionem simplicem contracta, esse nequit causa dimissionis professi.

6°. Infirmitas vero, quae ante professionem formaliter in professo aderat, quamvis nonnisi post eamdem professionem innotescat, merito censenda est sufficiens dimissionis ratio.

7°. E contra, quum in themate constet infirmitatem in dispositione tantum remota, non autem in dispositione proxima ante professionem extitisse, illa habita non fuit tamquam causa sufficiens dimissionis.

mittendi; vel neurastenia est completa, et tunc infirmus ex se ipso dimissionem postulabit aut saltem eidem oblatae assensum suum praebebit. Quod si ipse in Ordine remanere velit, esset casus extraordinarius, in quo proinde tutius erit pro necessaria decisione ad S. Sedem recurrendi, quae statuere etiam poterit an et qua mensura teneatur Communitas infirmo dimisso alimenta subministrare. Unde Consultor concludit: *Legem prout lata est, immutatam permanere; si quando autem casus occurrat, in quo Superioribus videatur talis esse exorta infirmitas ut professus etiam invitus sit dimittendus, recurrendum esse ad Sacram Congregationem.* Quamvis S. Congregatio propositam quaestionem resolvere noluerit, tamen sententia postremi Consultoris, utpote magis practica magisque legi quoad professos votorum simplicium iam praeexistenti consona, amplectenda nobis videtur *(N. R.)*.

# EX S. CONGREGATIONE CONCILII

## NULLIUS MONTIS CASSINI

### PROVISIONIS ECCLESIAE PATRONATAE

**Sustinetur immemorialis consuetudo providendi paroeciae iurispatronatus ecclesiastici non servata forma concursus.**

**Species facti.** In oppido vulgo 6[1]. *Elia Fiume Rapido* a. 1250 sacerdos Leonardus Infante extruxit ecclesiam S. Mariae Novae, reservato iurepatronatu suis nepotibus et ipsorum legitimis descendentibus masculini sexus, qui approbarent parochum a clericis eiusdem paroeciae electum, et dein a Cassinensi Abbate confirmandum. Sed, quum Archipresbyter S. Blasii huic novae paroeciae erectioni sese opposuisset, quippe quae propriis iuribus parochialibus praeiudicium afferebat, a. 1257 quaedam conventio inita est, vi cuius etiam Archipresbytero eiusque clero concedebatur ius eligendi Rectorem S. Mariae Novae.

Saeculo xvi extincta familia Infante clerus paroeciarum S. Mariae Novae et S. Blasii perseveravit in iure nominandi et praesentandi candidatum Ordinario Cassinensi pro institutione, praevio tamen solo idoneitatis examine. Res ita processerunt usque ad a. 1888, quo postremus parochus obiit. Tunc patroni devenerunt ad electionem novi parochi iuxta inolitam consuetudinem ; verum factae electioni obstitit Abbas ob non servatam formam concursus a Conc. Trid. praescriptam in provisione paroeciarum iurispatronatus ecclesiastici. Contra huiusmodi oppositionem clerus utriusque ecclesiae ad H. S. C. recursum porrexit, quae die 6 Aug. 1888 rescripsit, ut pro ea vice electio et institutio procederet more solito seu iuxta consuetudinem, salvo tamen iure videndi super merito quaestionis in plenariis Comitiis; prout hodie fit.

**Deductiones patronorum.** Clerus utriusque paroeciae sive ex instrumento fundationis ecclesiae, sive **ex** subsequenti

conventione, sive etiam ex aliis documentis probare nititur quod institutio S. Mariae Novae per plura saecula praesentato data fuit nullo praevio concursu, quinimo per tria priora saecula etiam absque examine probativo idoneitatis. Proinde clerus habet pro se assistentiam observantiae plusquam bis centenariae, quae beneplaciti Apostolici praesumptionem inducit iuxta cap. *Super quibusdam, § Praeterea, De verb. signif;* ibi Glossa v. *Non extat ;* Barbosa *(De potest. Ep., alleg. 93, n. 29);* Gratianus *(Discept, foren., cap. 86J, n. fo);* Rota in *Romana - Oblationum,* 25 Ian. 1725, n. 5 ; S. C. C. in *Avenionen. - Capellaniae,* 16 Sept. 1780, et in *Lauretana - Dispensationis,* 17 Dec. 1833.

Idque potiori iure clerus retinendum censet, quia praxis praevii tantum examinis probativi post Conc. Trid. inducta est eidem conformis ad tramitem *cap.* ***iß****, sess.* 7 *de Reform.*, ubi Conc. loquens de praesentatis a patronis ecclesiasticis ita sese exprimit : « Praesentati seu electi vel nominati a quibusvis ecclesiasticis personis, etiam Sedis Apostolicae Nuntiis, ad quaevis ecclesiastica beneficia non instituantur, nec confirmentur, neque admittantur, etiam praetextu cuiusvis privilegii seu consuetudinis etiam ab immemorabili tempore praescriptae, nisi fuerint prius a locorum Ordinariis examinati et idonei reperti ».

Quod si admittatur, urget clerus, quod hic textus correctus fuit per *cap. 18, sess. 24 de Reform.*, quando agitur in specie de curatis beneficiis ecclesiastico patronatui obnoxiis, tunc idem clerus pro se invocat consuetudinis assistentiam, quae per se valet quamcumque legem abrogare ; quemadmodum docet Bened. XIV *(De Syn. dioec, lib. 12, c. 8, n. 8).*

Neque regeratur quod invocata consuetudo est damnata, tum in cit. *cap. 18* per clausulam « non obstantibus huic decreto exemptionibus, privilegiis, indultis, praeventionibus... », tum per Bullam Pii *IV In principis Apostolorum,* quae abrogat consuetudines omnes contrarias iuri Tridentino. Nam

respondetur cum Reiffenstuel *(Ius can. univ., tit. De consuetud., § 8, n. 186)* hanc improbationem legislatoris sese referre tantum ad consuetudines iam existentes ; quoad futuras post editam legem inolituras, eas tantum damnari a legislatore quae sunt iniquae, seu non rationabiles et legitime praescriptae. Iam vero invocata consuetudo est legitime praescripta ob lapsum plurium saeculorum quibus perdurat ; est rationabilis, quia per eam non impeditur Ordinarius a cognoscenda habilitate et idoneitate praesentati, cum id ipse consequatur per praevium probativum examen. Aliunde hic modus indagandi idoneitatem nominati admittitur in patronatu laicali et mixto in praesentatione ad beneficium curatum, uti cavetur in cit. *cap. 18,* dum scitum est quod laici patroni praesumuntur minus instructi quam patroni ecclesiastici circa qualitates morales et intellectuales candidatorum.

**Deductiones Abbatis.** Ex altera vero parte Ordinarius Cassinensis contendit praefatam paroeciam obnoxiam esse legi concursus. Sane non videtur posse in dubium revocari quod in themate iuspatronatus competens clero utriusque ecclesiae sit vere ecclesiasticum et non laicale. Iuspatronatus enim ecclesiasticum, ut habet Ferraris *(Bio/, can., v.* Iuspatronatus, *art. i, n. 12)* est etiam illud: « quod, licet fundatum fuerit ex bonis laicalibus, fuit tame'n vel ab initio vel postea translatum fundatione, testamento, donatione aut alio quovis modo in ecclesiam, aut in capitulum seu collegium ecclesiasticum canonicorum regularium aut saecularium, vel ad aliquam personam ecclesiasticam ratione ecclesiae, dignitatis aut beneficii, *cap. unie. § Verum, De iurepat, in 6°* ». Iamvero certum est quod clerus localis una simul cum patronis laicis semper elegit parochum S. Mariae Novae usque ad saec. **xvi ;** quo tempore, extincta familia Infante, iuspatronatus laicale desiit vel melius coaluit in clero, et sic evasit totum ecclesiasticum.

Hoc autem praestituto, clara est dispositio Conc. Trid. *(Sess. 24, cap. 18 de Reform.* , iuxta quam facienda est pro-

visio ecclesiae curatae patronatae : « Si vero *(paroecia)* iuris patronatus ecclesiastici erit, ac institutio ad Episcoprm et non ad alium pertineat ; is, quem patronus digniorem inter probatos ab examinatoribus iudicabit, Episcopo praesentare teneatur, ut ab eo instituatur ». Iuxta hoc caput iudicium super digniori inter probatos ab examinatoribus exclusive pertinet ad patronum ecclesiasticum, et non ad examinatores, uti docet Bened. XIV *(Syn. dioec, ¿ib. 4, cap. 8, num.* 7/ et Constit. *Redditae Nobis, 16 Apr. IJ46)* et firmat resolutione H. S. C. in *Barchinonen., ijjß ;* quod iudicium profecto emitti non potest, nisi prius praecedat praescriptum examen per concursum.

Neque videtur ex adverso posse sustineri contrariam inditam consuetudinem plusquam centenariam ; ut enim aliqua consuetudo iuri scripto praevaleat, debet semper in ventre gerere conditionem rationabilitatis, quae conditio allegatae consuetudini profecto deest. Haec enim vergit in detrimentum spirituale animarum; nam ideo Conc. Trid. statuit legem concursus in collatione beneficiorum parochialium, ut scilicet magis idonei ministri haberentur. Hinc est quod haec consuetudo contra legem concursus in beneficiis fuit reprobata etiam in nupera resolutione *Potentina - Iurium* ad 6, diei 21 Maii 1904 (i).

**Dubium.** *An in provisione paroeciae S. Mariae Novae sit servanda lex concursus in casu.*

**Resolutio.** Et eadem S. Congregatio, omnibus utrimque perpensis, die 16 Iulii 1904 respondere dignata est: *Attentis peculiaribus circumstantiis, nihil esse innovandum.*

## Colliges

i°. Ex natura bonorum fundationis et ex possessionis titulo iuspatronatus audit ecclesiasticum vel laicale vel mixtum.

(i) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. *3j,* p. 333.

**2°.** Iuspatronatus ecclesiasticum oritur etiam per translationem patronatus laicalis vel mixti in personam ecclesiasticam qua talem, sive physicam sive moralem.

3°. In casu iuspatronatus paroeciae S. Mariae Novae ab initio fuit mixtum, at extincta familia Infante evasit tantum ecclesiasticum.

4°. In beneficiis iurispatronatus ecclesiastici absque animarum cura non urget lex concursus, sed ad praescriptum Conc. Trid. *(Sess. 8, cap. iß de Reform.)* sufficit probativum idoneitatis examen.

5°. Et e contra in beneficiis curatis iurispatronatus ecclesiastici ex eodem Trid. *(Sess. 24, cap. 18 de Reform.)* servanda est forma concursus; quod si praeterea institutio ad Episcopum pertineat, is instituendus est, quem ipse patronus ecclesiasticus digniorem inter idoneos probatos ab examinatoribus iudicabit.

6°. Quemadmodum Doctores communiter tradunt, per Bullam Pii IV *In Principis Apostolorum* abrogatae fuerunt omnes consuetudines iuri Trid. contrarias iam existentes, non autem futuras, quae sint rationales et legitime praescriptae.

7°. In themate vero consuetudo non servandi concursum censetur legitime praescripta ob plurium saeculorum cursum, necnon rationabilis, quia Ordinarius in examine probativo idoneitatem candidati dignoscere valet.

## ROMANA ET BREDANEN.

### DUBIORUM CIRCA FUNERA

### De iure sepeliendi extraneos alibi defunctos, et peregrinos in civitate decedentes.

**Dubia.** Episcopus Bredanensis in Hollandia exposuit:

« In civitatibus ubi plures sunt parochiae cum coemeterio communi, nonnunquam movetur quaestio, cuinam ecclesiae competat ius funerandi et sepeliendi: i°. extraneos alibi de-

functos, qui in eodem coemeterio sepulturam elegerunt, non designata ab ipso defuncto ecclesia in qua solemnia funeris persolvantur; 2°. peregrinos, qui perfunctorie in civitate commorantur, et ibi moriuntur non electa sepultura, dum ad locum domicilii sui transferri nequeunt.

« Dubitatur an vim legis universalis non habeat decretum S. C. C. in *Novarien.,* diei 22 iunii 1895 (1). Sunt qui hanc regulam generalem statutam volunt : quatenus non constat de sepultura legitime electa nec cadaver ad parochiam domicilii deferri debet, ius sepeliendi extraneos alibi defunctos spectare in civitate episcopali ad ecclesiam cathedralem, in aliis civitatibus ad ecclesiam primariam; ius sepeliendi extraneos, qui in ipsa civitate commorantur ibique diem supremum obeunt, pertinere ad ecclesiam parochialem, intra cuius fines existunt domus ubi moriuntur. Ut liti finis imponatur ac habeatur norma in posterum sequenda, Sanctitati Tuae infrascriptus humiliter supplicare praesumit, ut declarare benigne velit, cui competat ius in utroque casu supra memorato, cui non est provisum statutis synodalibus, aut veris et legitimis consuetudinibus, aut peculiaribus ecclesiarum conventionibus, *a)* si agitur de civitate episcopali, *b)* si de aliis civitatibus ».

**Animadversiones.** Relate ad primam quaestionem tenenda imprimis videtur illorum sententia, qui ius sepeliendi et funerandi in publico coemeterio extraneos alibi defunctos adscribunt Rectori paroeciae, intra cuius fines, vel decessus accidit, vel statio viae ferreae sita est, vel in qua invenitur publicum coemeterium aut etiam per quam evenit transitus feretri ipsius ad coemeterium. Nam caeteri parochi etiam ecclesiae cathedralis nullum iurisdictionis titulum producere possunt in defunctum extraneum ut eiusdem sepulturam sibi avocent, neque in alieno territorio actum iurisdictionis exercere possunt ac multo minus stolam deferre.

(1) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 28, p. 233-239.

Ex adverso iuxta alios dici potest, quod ius sepeliendi extraneum pertineat ad parochum defuncti proprium. Sane alii parochi nullum iurisdictionis ius -, adducere valent in sui favorem, et praesertim in praesenti casu neque ex consuetudine aut statutis localibus ; dum e contra proprius parochus semper iurisdictionem retinet in proprio parochiano, quocumque ipse ierit; arg. *ex cap. ß, de Sepult, in 6.* Cfr. *Acta S. Sedis, vol. 14, p. 353, n. j.* Quapropter S. C. C, 28 iulii 1878, interrogata: «An et cui competat ius comitandi cadavera ad ecclesiam et sepulturam etiam extra dioecesim », respondit : « *affirmative* favore parochi et amplius ».

Insuper Barbosa *(De off, .etpotest, parochi, p. ß. c. 26, n. ßj.),* quem fere omnes auctores sequuntur, hoc statuit generale principium : « Ius sepulturae pendet multum ab administratione sacramentorum ». Et merito quidem, nam iuxta Apostolum *II Cor., c. i,* qui fuerunt socii passionum debent esse et consolationum. « Quoniam, ait Innocentius III *(Decr. III, tit. 28, c. y),* hoc ecclesiasticae institutioni contrarium est, et a rationis tramite penitus alienum, ut quis falcem mittat in messem alienam ».

Demum videretur non immerito ea recipi posse sententia, quae in proposito casu ius funeris et tumuli concedit ecclesiae cathedrali, vel, ea non extante, ecclesiae principali seu primariae oppidi vel civitatis, in qua electum adest publicum coemeterium. Etenim ceteris parochis nulla competit iurisdictio super defunctis extraneis, nec ratione domicilii aut quasi-domicilii, nec originis, nec alio titulo; quum sit certum quod parochus acquirat ius in fideles per domicilium et quasi-domicilium, praesertim vero quoad sepulturam. E contra cathedralis ecclesia censetur in iure tamquam paroecia universalis totius civitatis et dioecesis, et talis revera censetur in funeribus peregrinorum, viatorum, vagorum et advenarum. Barbosa enim *(de Off. et potest, parochi, p. ß, c. 26, n. ßß)* habet: « Peregrinus si moriatur dum est in via sepelitur in ea-

thedrali, uti censuit S. C. Cardinalium negotiis Episcoporum et Regularium praeposita sub die 9 Iulii 1592 »; item S. C. C. in *Caven.-Funerum,* 7 Febr. 1733, etc. uti ex inferius dicendis magis patebit. Ad rem praesertim facit recens decisio S. C. C. in *N ovarien.-Funerum,* 22 Iunii 1895, quae ita se habet: « Quatenus non constet de sepultura legitime electa, nec cadaver ad paroeciam domicilii deferri debeat, ius funerandi spectare ad ecclesiam cathedralem, salvis conventionibus particularibus in casibus ». Cfr. quae ibi observant *Acia S. Sedis, vol. 28, p. 239, n. ß.* Nam utique in nostro themate electum fuit pro sepultura publicum coemeterium, sed non fuit praecise determinata ecclesia tumulans, cum in coemeterio utpote publico ius habeant tumulandi quotquot sunt ecclesiae tumulantes in oppido vel civitate. Hinc dici potest complete non constare adhuc de electa supultura; et proinde ad tramitem praecitatae resolutionis, primaevum ius cathedralis vel alterius primaevae ecclesiae revixit (i).

Neque ullum ius sibi vindicare posse videtur parochus coemeterii, aut stationis ferreae, vel etiam parochus proprius defuncti. Non parochus coemeterii, quia exclusivam in eo iurisdictionem non habet, cum publica coemeteria subrogata sint ecclesiis tumulantibus: non parochus stationis ferreae vel transitus cadaveris, quia ex ingressu cadaveris defuncti in paroeciae limites huius parochus non acquirit iurisdictionem:

(i) Nonnulli e contra tribuunt haeredibus defuncti facultatem determinandi ecclesiam tumulantem; et hanc proferunt rationem, quia cum defunctus modo incompleto elegerit sepulturam, censetur eo ipso reliquisse haeredibus curam complendi electionem ut sit efficax : quin imo addit Many *(De locis sacris, p. 33g)* hanc opinionem, quae iam alicubi in usum descendit, esse forsan probabiliorem. At haec doctrina ex nullo iuris canonici textu resultare videtur. Utique *ex cap. i3 de testam.* electio sepulturae in alterius arbitrium committi potest, uti tenet Card. D'Annibale *(Summula, edit. 3, tom. I, p. wo, n. 7)* cum aliis auctoribus. Attamen de hac commissione legitime constare debet cum electio sepulturae rigorosam exigat probationem (Ferraris, *Bibl. can., v.* Sepultura, *n. 2Ô3),* quae in relato casu haeredum est tantum praesumptiva *(N. R.).*

non denique parochus proprius defuncti, quia quando ecclesia tumulans est diversa a parochiali vel ab alia ecclesia intra paroeciae limites existente, parochus proprius tantum habet ius levandi et cómitandi cadaver ad ecclesiam tumulantem cui spectat super cadaver iusta funebria persolvere et humi cadaver mandare, reservata parocho proprio quarta funeraria emolumentorum. Nec tandem urgeri posse videntur *art. J, cap. j* Statuti Cleri Romani : « Hoc ius ad parochum spectat etiam pro funere civis vel hospitis, qui in Urbe defunctus ad aliam regionem sepeliendis transfertur > vel *art. ij* eiusdem capitis: «Funus in parochiali ecclesia celebrari debet, etiam si alibi defunctus sepeliatur » ; quia uti dicitur in citato art. 7, hoc contingit « iuxta vetustissimum Urbis privilegium*.

Quoad alteram quaestionem item recolendum est, inspecto iure communi non unam esse Doctorum sententiam quoad funera viatorum, advenarum, peregrinorum, qui ex una parte nullam elegerunt sepulturam, ex altera vero non possunt ad propriam parochiam adsportari.

Nonnulli enim volunt huiusmodi advenas, viatores et peregrinos sepeliendos esse in ecclesia cathedrali. Nam huiusmodi peregrini, qui nullum domicilium aut quasi-domicilium habent in civitate, cum nulli paroeciae civitatis pertineant; ne careant proprio ministro sacramentorum in articulo mortis et funebribus functionibus post mortem, aequum erat ut subicerentur potius ecclesiae cathedrali, maxime ob eius matricitatem et praeeminentiam super omnes alias dioecesis et civitatis ecclesias. Quapropter Conc. Triburiense *(Decr. Gratiani, part. II, caus.* ***Iß,*** *quaest.* **2,** *can. 6)* praecipit : « Ubicumque temporum vel locorum facultas tulerit, apud *maiorem* ecclesiam, ubi sedes est episcopi, sepulturae celebrentur. Si autem propter temporis vel loci asperitatem hoc difficile visum fuerit.... ubi quis decimas persolvebat vivus, ibi sepeliatur et mortuus». Et cohaerenter S. Rota, 27 Ian. 1768, cadavera parocho adscripsit, vagis dumtaxat et peregrinis fortuito de-

cedentibus cathedrali reservatis. Eadem S. Rota in *Barcinonen,-Iurium parochialium,* 13 Ian. 1730 cathedrali ius attribuit sepeliendi cadavera exterorum, alienigenarum, peregrinorum et aliorum non habentium fixum domicilium. Quae doctrina deducitur etiam ex folio causae *Urbevetanae - Funerum,* 11 Augusti 1894 H. S. C, in qua citatae resolutiones referuntur. Quinimo eadem S. C. in una *Caven.—Funerum,* 7 Febr. 1733 dubio : « An tumulatio oriundorum Cavensium et exterorum qui incolatum per decennium non fecerint, nec bona possideant in eadem civitate spectet ad proprium parochum vel Capitulum », reposuit : « Quoad viatores, peregrinos et advenas tantum spectare ad Capitulum». Accedit supra relata decisio S. C. C. in *Novarien. -Funerum,* 22 Iunii 1895, attribuens ius funerandi eos, qui domicilium aut quasi-domicilium non habent, ad ecclesiam cathedralem. Ita Barbosa *(De off. et potest, parochi, p. 3, c. 26, n. 33);* Pignatelli *(Cons. Can., tom. I, cons. 143, n. i) ;* Card. D'Annibale *(Summ. Theol., p. I, n. 112);* Bucceroni *( Theol, mor., vol. II, p. 42J, n. 1130.*

Quod confirmatur ex ipsa ratione. Sane peregrini et transeuntes non possunt dici de parochia alicuius;' ac proinde ecclesia cathedralis, quae per totam dioecesim iure primitivo habebat potestatem, eos ad sepulturam recipere debet.

Quod autem usque nunc disceptatum fuit in favorem ecclesiae cathedralis, mutatis mutandis, trahi potest in favorem ecclesiae primariae loci, ubi cathedralis non extat. Ipsa enim Glossa dicit peregrinos sepeliri debere apud ecclesiam *maiorem,* sicut apud ecclesiam *maiorem* celebrandas esse sepulturas praecipit supra relatum Conc. Triburiense. Idem Ferraris *(Bibi. can., v.* Sepultura, *n. 38)* tradit de Pontifice vel Cardinali absque electione sepulturae mortuis extra Urbem.

Secunda sententia est eorum, qui tenent peregrinos et viatores sepeliendos esse in ecclesia parochiali, cui subest eorum decessionis locus. S. Rota coram *Seraph., Dec. 1133;* Riccius, *Prax., p. 4, resol. 293.* Quam opinionem veriorem

retinet Gratianus *(Discept, fovens., c. j, n. jß)* et Sperellus *(dec. Sj, n. 12 et seq.);* Sylvius *(v.* Sepult., *n. 8);* Antonius de Batr. *(cap. I, n. p, de Sepult.);* Abbas (in *c. i, de Sepult., n. f);* Molina *(Disp. 216, n. 17) ;* Pirhing *(h. tit., n. 8);* Sylvester *(v.* Sepultura, *q. 8, dict. 2);* Van Espen *(part. II, sect. 4, tit. j, c. ß, n. p);* Barbosa *(De off. et potest, parochi, p. ß, c. 2ß, n. 2 et ß);* Passerini *(quaest. i8y, art. 4, n. ßiß et ßi4, de Statu hom.),* etc. Et revera tunc parochus loci prae ceteris potissimum ius habet, tum quia ipse peregrinis administrat sacramenta, arg. *cap. de celebrat, missae,* tum quia habet fundatam intentionem in iure sepeliendi omnes decedentes intra fines suae paroeciae, ac pro omnibus proventibus spiritualibus intra illius parochiam provenientibus, uti bene notat Abbas *loc. cit. n. 4,* arg. *cap. De his, quae fiunt a Praelatis.*

E contra cathedralis potius privilegio et exceptione utitur: quapropter parochus nec videtur teneri ad suum ius probandum sed potius cathedralis ecclesia. Et haec Sacra C. die 22 Decembris 1866 in *Reatina-Iuris associandi cadaver,* inter Capitulum Cathedrale ius sibi vindicans associandi defuncti peregrini cadaver, qui sepulcrum gentilitium in propria patria sibi designaverat, et parochum loci ubi peregrinus defunctus erat, proposito dubio : « An et cui competat ius associandi cadaver in casu » , respondit : «. *affr?native* favore parochi S. Iuvenalis ». Ius autem associationis ordinarie, licet non semper, relationem dicit ad ius funerandi et sepeliendi. Ita tradit Alberti *De Sepult., p. 29* allatam resolutionem commentans. Quinimo eadem S, Congregatio in una *Ariminen. - Sacramentorum et funerum,* 24 Martii 1888, dubio: «An parocho cathedralis competat ius sacramentorum ac funerum in advenas rusticantes, qui intra fines paroeciae S. Nicolai, nulla electa sepultura, decedunt in casu », responsum dedit: *« Negative* ». Cfr. *Acta S. Sedis, vol. 21, p. 94-10ß, num. i.* Item nuperrime S. C. C. in *Urbevetana - Funerum,* 11 Augusti 1894 dubio: « An ecclesiae cathedrali competat ius

funerum in casu », reposuit: «*.Negative*». Cfr. *Acta S. Sedis, vol. iy, p. 482, in nota, et vol. 2j, p. 220^229* necnon Alberti *(loc. cit., p. jo).*

Sunt nonnulli auctores qui arbitrantur inter cathedralem et parochiam, in qua viatores et pertranseuntes decedunt, praeventioni locum esse, Goffredus *in Sum., tit. de Sepult.,* in quam inclinare videtur Petrus de Ubaldis *(De Canonica episcopi et parochi, c. 9, n. 4).*

Habentur demum Doctores qui, ponentes inter advenas discrimen, tradunt eos qui veluti vagi, peregrini, pertranseuntes et viatores fortuito et obiter incolunt regiones, ubicumque ipsis decedere contingat, semper in ecclesia cathedrali tumulandos esse; eos autem qui vel in conducta domo vel in hospitali habitant, sepulturam in casu mortis nunquam in cathedrali parandam esse, bene vero in propria ipsorum incolatus paroecia. Ita Sperellus *(Decis. 8j, n. 14);* Savorin *(Var. Elucubr. tit. 2, c. u, n. 114),* Card. Petra *(tom. 2, in Const. IX Innoc. III, sect. un., n. jo),* aliique afferentes resolutionem S. C. Episcoporum et Regularium in *Fulgi naten.,* 3 Iulii 1592, rescribentis episcopo: «Etiam absente consuetudine advenas et peregrinos pertranseuntes in cathedralibus, et reliquos in paroecia intra cuius fines obierunt, si per *aliquod tempus* habitaverint, esse sepeliendos ». Cui accedit resolutio S. C. C. in *Portuen. et S. Rufinae et Centumcellarum - Sepulturae et emolumentorum,* die 23 Iunii 1832.

Eamdem sententiam tenent Ferraris *(Bibl. can., v.* Sepultura, *n. 22);* Mathaeuccius *(De off. Cur. eccl., c. 48, n. 12);* Schmalzgrueber *(tom. III, part. ß, tit. 2ß, n. 41);* Abbas *(c. i, de Sepult, n. 8);* Sylvester *(v.* Sepultura, *q. 8, dict. 2);* Pirhing *(tom. III, tit. 28, n. 8); Acta S. Sedis, vol. 21, p. ioj, n. j, et vol. 28, p. 2J9.* Quare etc.

**Resolutio.** Et Emi Patres S. Congr. Concilii praepositi, omnibus ad trutinam revocatis, die 27 Augusti 1904 responsum dederunt: *Ad I. spectare ad parochum Cathedralis seu*

*ad ecclesiam principalem loci, salvis consuetudinibus et constitutionibus particularibus. Ad II. spectare ad parochum loci, in quo peregrinus vitam absolvit, salvis consuetudinibus et constitutionibus particularibus.*

## Colliges

i°. Parochus proprius quoad ius funerandi est ille, in cuius paroecia quis, dum moritur, domicilium aut quasi-domicilium habet *(cap. ß de Sepult, in 6°;* Clement., *c. 2 Dudum, de Sepult.;* Rit. Rom., *tit. VI, de Exequiis);* quo fit ut parochus domicilii intentionem in. iure fundatam habere dicatur.

2°. Quod si defunctus in alia paroecia propter sepulturam gentilitiam, haereditariam aut electivam condi debeat, tunc de iure communi ad parochum proprium non spectat nisi'corpus levare illudque associare ad ecclesiam tumulantem, ad quam proinde coetera peragere pertinet, soluta parocho proprio quarta funeraria.

3°. Casu autem contingente quo sepultura in dissita regione sit posita, ne defuncto nimium differantur suffragia, ipse parochus domicilii, saltem ordinarie, iusta funebria in propria ecclesia absolvit, deinde ad tumulantem associât. Hoc praescribitur a Statuto Cleri Romani, et respondet iuris principiis; (Rota, *dec. jó coram De Cursiis f$ 6;* D'Annibale, *Summ., tom. III, n. 481 ;* Benedictus XIV, *Noti/. 105, n. 48).*

4°. Hodie publica coemeteria fere ubique ecclesiis tumülantibus subrogata sunt, quae proinde ius funerandi in iisdem coemeteriis exercere valent ; (Vecchiotti, *Inst. can., v. II, lib. ß, c. j, § 61 in calce;* D'Annibale, *loc. cit., not. 84;* S. C. C. in *Ariminen.—Funerum, 16 Iunii 182J,* in *Foro livien. , 26 Ian. 18ßß,* in *Rossanen., 26 Oct. 1862 et 26 Nov. 1864; Acta S. Sedis, vol. i, p. 81 et 124, vol. ß, p. 221 et j66, vol. p, p. 2j,* etc.).

5°. Cum extraneus alibi defunctus in coemeterio communi sepeliendus sit, primum attendendae sunt constitutiones synodales et legitimae consuetudines locales.

6°. Quando autem in loco nullae extant consuetudines et constitutiones particulares, tunc ius funerandi extraneos alibi defunctos, qui sepulturam elegerunt in publico coemeterio, non designata ecclesia tumulante, pertinet ad ecclesiam cathedralem vel in eius defectu ad principalem loci; uterque enim, in signum honoris et in matricitatis memoriam, paroecia communis civitatis aut oppidi quoad peregrinos merito censetur.

7°. Salvis item consuetudinibus et constitutionibus particularibus locorum, ius sepeliendi peregrinos perfunctorie (et a fortiori per aliquod tempus, quod domicilium aut quasi domicilium non constituat) in civitate vel oppido commorantes, qui sepulturam gentilitiam, haereditariam vel electivam non habeant, nec ad domicilii locum transferri queant, spectat ad paroeciam intra cuius fines decedunt: ratio est quia ius sepulturae pendet multum a sacramentorum administratione.

8°. Hoc modo inter varias Sacrarum Congregationum resolutiones, diversasque imo et contrarias Doctorum sententias, S. C. Concilii authentice docuit veram doctrinam in praesenti quaestione funeraria tenendam.

---

# EX S. C. DE PROPAGANDA FIDE

## Conceditur indulgentia recitantibus orationem in honorem S. Pauli Apostoli.

*Beatissimo Padre,*

Mons. Paolo Terzian, Vescovo armeno di Adana, supplica umilmente la S. V., perchè voglia degnarsi di annettere una Indulgenza alla preghiera seguente:

« O glorieux Saint Paul, qui de persécuteur du nom chrétien, en êtes devenu l'Apôtre le plus zélé, et qui pour faire connaître jusqu'aux extrémités du monde le Sauveur Jésus, avez souffert avec joie la prison, les flagellations, les lapidations, les naufrages et toutes sortes de persécutions, et qui avez fini par verser jusqu'à la dernière goutte de votre sang, obtenez-nous la grâce de recevoir comme des faveurs de la divine miséricorde les infirmités, les souffrances et les malheurs de cette vie, afin que nous ne soyons point arrêtés dans le service de Dieu par ces vicissitudes de notre exil, mais qu'au contraire nous nous montrions de plus en plus fidèles et fervents. Ainsi soit-il (i) ».

*Ex Audientia SSmi, diei iß Ianuarii ipoß.*

SSmus Dominus Noster Pius, d. p. Papa X, referente me infrascripto S. Congregationis de Propaganda Fide pro NN. R. O. Secretario, attentis expositis, omnibus Christifidelibus utriusque sexus et cuiuscumque ritus, devote recitantibus praedictam orationem in honorem Sancti Pauli Apostoli, Indulgentiam 300 dierum semel in die lucrandam, et etiam animabus in Purgatorio detentis per modum suffragii applicabilem, benigne concedere dignatus est. Praesentibus in perpetuum valituris. Contrariis quibuscumque minime obstantibus.

(i) Versio latina - *Beatissim e Pater* - R. P. D. Paulus Terzian, Episcopus Adanen. Armenorum humiliter petit a S. V., ut aliquam indulgentiam sequenti orationi concedere dignetur: « O gloriose S. Paule, qui ex christiani nominis persecutore Apostolus zelo ardentissimus evasisti, et qi ut Salvator Iesus usque ad extremas mundi oras cognosceretur, carcerem, flagellationes, lapidationes, naufragia ac cuiusque generis persecutiones laeto animo sustulisti, et qui usque ad ultimam tui sanguinis guttam denique effudjsti ; gratiam nobis obtine recipiendi, tamquam divinae gratiae favores, infirmitates, cruciatus et huius vitae calamitates, ne propter huiusmodi nostri exilii vicissitudines in servitio Dei 'detineamus sed e contra magis magisque fideles ac ferventes ostendamus. Amen» *(N. R.).*

Datum Romae ex Aedibus dictae Sacrae Congregationis, die et anno ut supra.

L. *$• S. Antonius Savelli-Spinola, *Secretarius.*

Praesens Rescriptum transmissum fuit ad hanc S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositam.

In quorum fidem...

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 18 Ianuarii 1905.

L. S. Iosephus M. Can. Coselli, *Substitutus.*

# EX S. CONGREGATIONE RITUUM

## IANUEN.

**Circa recitationem seu cantum Officii Defunctorum.**

Proposito dubio a Praesidibus Archiconfraternitatis B. M.V. in coelum Assumptae, quae erecta est in Paroecia loci *Pra* nuncupati, Archidioeceseos Ianuen.; nimirum :

An possit continuari consuetudo immemorialis, qua recitatur vel cantatur a Confratribus Officium Defunctorum Dominicis aliisque festis de praecepto, dum iidem adstant Missae de die currente ?

Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, attentis expositis et commendationis officio Rmi Ordinarii Ianuensis, rescribendum censuit:

« Posse continuari, exceptis tamen festis per annum solemnioribus, nempe duplicibus primae classis et Dominicis privilegiatis item primae classis ».

Atque ita rescripsit. Die 6 Septembris 1904.

A. Card, TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. «f S.

f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

## ROMANA SEU PARISIEN.

### Decretum Beatificationis et Canonizationis Ven. Servae Dei Magdalenae Sophiae Barat, fundatricis Societatis Sororum a SS. Corde Iesu.

Instante Revmo Dno Raphaele Maria Virili Episcopo tit. Troadensi et Causae Beatificationis et Canonizationis Ven. Servae Dei Magdalenae Sophiae Barat, fundatricis Societatis Sororum a S. Corde Iesu, Postulatore, Emus et Revmus Dnus Cardinalis Dominicus Ferrata eiusdem Causae Ponens seu Relator, in Ordinario Sacrorum Rituum Congregationis Coetu Rotali subsignata die ad Vaticanum habito iuxta Apostolicas dispositiones annis 1878 et 1895 evulgatas, sequens dubium discutiendum proposuit: *« An constet de validitate Processuum Apostolica auctoritate constructorum super assertis miraculis praefatae Ven. Servae Dei tributis; testes sint rite ac recte examinati ac iura producta legitime compulsata, in casu et ad effectum de quo agitur? a* Et Sacra eadem Congregatio, omnibus sedulo perpensis atque audito R. P. D. Alexandro Verde Sanctae Fidei Promotore, rescribere rata est: *« Affirmative seu constare, sanatis defectibus de validitate Processuum in Curiis Sancti Ludovici et Leonensi constructorum et supplicandum Sanctissimum pro convalidatione actorum Processus Brixinensis ».* Die 8 Novembris 1904.

Quibus omnibus Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X per infrascriptum Cardinalem Sacrorum Rituum Congregationi Pro-Praefectum relatis, Sanctitas Sua resolutionem Sacrae eiusdem Congregationis ratam habuit . et confirmavit, petitasque sanationes ab enunciatis defectibus atque convalidationem actorum Processus Brixinensis benigne indulsit, die 9 eisdem mense et anno.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. «f* S.

f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

## CONGREGATIONIS MISSIONIS

### De repositione festorum Manifestationis Immaculatae V. M. V. a S. Numismate, et Translationis Reliquiarum S. Vincentii a Paulo.

Revmus P. Augustinus Veneziani, Procurator generalis Congregationis Missionis, exponens festum Manifestationis Immaculatae Virginis Mariae a Sacro Numismate, die 27 Novembris a Sacerdotibus ipsiusmet Congregationis ac Puellis a Caritate recolendum, saepius impediri occursu Dominicae primae privilegiatae Sacri Adventus : Sanctissimum Dominum Nostrum Pium í*apam X supplicibus votis rogavit, ut in casu eiusmodi impedimenti, tamquam in sedem propriam, enuntiatum Deiparae festum in diem 28 sequentem transferri valeat. Itemque expetivit, ut festum secundarium translationis Reliquiarum S. Vincentii de Paulo, Dominicae secundae post Pascha afhxum, quoties ea Dominica impeditum occurrerit, in feria secunda immediate sequenti liceat reponere.

Sacra porro Rituum Congregatio, utendo facultatibus sibi specialiter ab eodem Sanctissimo Domino Nostro tributis, benigne annuit pro gratia in omnibus iuxta preces : servatis Rubricis (i).

Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 2 Decembris 1904.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. + S.

f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

(i) Festum sub titulo Manifestationis Immaculatae B. M. V. a Sacro Numismate, vulgo *della Medaglia miracolosa,* celebratur quotannis ab Alumnis Congregationis Missionis sub ritu duplici secundae classis; festum vero secundarium Translationis Reliquiarum S. Vincentii a Paulo sub ritu duplici maiori. Per praesens Rescriptum indulgetur, ut, in casu expositi impedimenti, huiusmodi festa transferantur in diem immediate subsequentem, tamquam in sedem propriam, ac proinde hac die nonnisi festis dignioribus occurrentibus locum cedant *(N. R.).*

## MONTISPESSULANI

**Decretum Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Andreae Soulas, sacerdotis et missionarii, institutoris Congregationis Sororum a nostra Domina pro auxilio infirmorum.**

Quod doctor gentium Paulus apostolus divino spiritu afflatus et Christi amore incensus intime sentiebat exclamans: « Caritas Christi urget nos » ; id mirifice experti sunt iusti et sancti sacerdotes qui ad tuendam ac propagandam fidem catholicam sacris missionibus sedulo incumbentes, in salutem animarum corporumque bonum etiam Ordinum et Congregationum Fundatores extiterunt. Inter hos merito accensetur Servus Dei Andreas Soulas sacerdos missionarius et Sororum a Nostra Domina pro auxilio infirmorum Institutor.

Ortus die xxv Februarii a. MDCCCVIII in pago *Viols-le-Fort*, dioeceseos Montispessulani, a parentibus Antonio et Maria Caizergues virtute praestantibus fere cum laete pietatem hausit. Puer non puerilia amplexus est, sed animum corpusque ad aspera et ardua sustinenda disposuit. Tempia Dei frequentare atque aequales, praesertim pauperes, cibo vestibusque reficere et de Deo alioqui in deliciis habebat. Inde prima vocationis ecclesiasticae indicia, quae aucta fuere cum ad sacram synaxim primitus accessit, et sacramento confirmationis roboratus fuit. Litterarum elementa a Curione oppidi studiose diligenterque didicit. Deo favente, inter alumnos seminarii minoris cooptatus, non minus sodalium quam praeceptorum existimationem sibi conciliavit. Expleto litterario curriculo, ad superiores disciplinas gradum faciens, seminarium maius ingressus est ; ubi ampliora virtutis et doctrinae cepit incrementa. Illud memorare iuvat quod quum illi obtigisset, iuxta morem, inter prandium concionare, tanta vi tantoque sensu de aeterno supplicio ad impios scelestosque puniendos parato disseruit, ut sodales, magistri et ipse praeses,

intermisso prandio, vim lacrymarum effuderint: inde colludentes Servum Dei ad sacras missiones fore addicendum cum magna populorum spirituali utilitate, interim concredita sunt ei munia tum magistri catechismi pueris in templo urbis principe, tum concionatoris in pia domo ad puérperas sublevandas erecta, tum denique praefecti in maioribus feriis a studiis ad alumnos convocandos, dirigendos pasque exercitiis fovendos ; quae caritatis officia ex obedientia suscepta solerter obivit. Clericali tonsura initiatus atque ad ordines minores et subdiaconatus iam promotus, die xvii Martii anno MDCCCXXXV Carcassonae diaconus ordinatus est; eodemque anno sacerdotio auctus, die **x i n** Iunii Nemausi primum sacrum devotissime fecit. Hoc illi fuit magnum virtutis incitamentum, quo insignia quidem sed ardua sibi proponere et. imitari exempla satagebat. Quum Episcopus dioecesanus Servum Dei ad sacras expeditiones apud exteros inclinatum videret ut saltem per aliquod temporis spatium tam digno sacerdote frueretur cum sui gregis emolumento, prius in parochum oppidi *Salvetat,* dein in curionem ipsius Cathedralis ecclesiae Montispessulanae elegit ac nominavit. Praepositus ad sacra in valetudinario eiusdem civitatis, consilio et opere, aegrotis maxime profuit. Adscriptus ab ipso Episcopo sacerdotum missionariorum coetui dioecesano, qui iam ab anno MDCCCXXII existebat, ad nutum sui Praesulis dioeceseos loca semel iterumque perlustravit. De divina gloria deque animarum salute sollicitus nunquam sibi pepercit ; quin imo, rogantibus Episcopis, etiam extra fines dioeceseos suae caritatis spatia dilatavit. Cives et advenae confluebant turmatim ad Dei Servum audiendum et spiritu renovati praeclara pietatis signa ostendebant. Probe noscens pericula quibus foeminae obnoxiae sunt aeternae salutis amittendae, Andreas remedium excogitavit quo ipsae in sodalitatem congregatae aegrotis curandis operam darent. Mentem aperuit Episcopo qui, consilio precibusque adhibitis, rem probavit novumque Institutum,

specialibus regulis anno MDCCCXLV munitum, sua auctoritate confirmavit. Binae tyrones eisque praeposita piissima virgo Virginia Montagnol de Cavillac, Andrea moderatore, sunt primitiae illius sodalitatis quae, veluti granum sinapis in arborem succrescens, hodie Congregatio Sororum a Nostra Domina pro infirmis adiuvandis nuncupatur. Verum quamvis haec sodalitas praecipue in spiritualem sororum profectum et in aegrotantium bonum fuerit instituta; tamen, annuente Fundatore et approbante Episcopo, ad alia pia opera se extendit. Praeter puellas quae parentibus orbatae religione atque arte agraria excoluntur, necnon infantes et lactentes qui, stipe comparata, materna cura sustentantur, adoratio Augustissimi Eucharistiae Sacramenti perpetuo peragitur, eiusque ineffabilis Christi amoris mysterium iugiter recolitur ac provehitur. Andreas unus superstes ex dioecesano missionariorum coetu, potiusquam novum sodalitium erigere, vetus instaurare censuit; atque opus, probante Episcopo, coepit feliciterque perfecit sub auspiciis SSmi Sacramenti, secundisque civium suffragiis qui Servum Dei et Missionarios, praesertim asiatica lue saeviente, uti christianae caritatis héroes collaudare non desinebant. Vertente an. MDCCCLVII, die xxm Aprilis, sacellum quod eidem SSmo Eucharistiae Sacramento in perpetuum adorando Servus Dei extruxerat, sacris coeremoniis et habito ad astantes cum affectu et lacrymis congruente sermone lustrandum curavit; in eoque die subsequente xxv Sacrum piissime fecit, protractum extra morem, quasi sacello, altari et populo extremum vale diceret. Postridie enim huius diei sub vesperas quum e templo exiret, lethali morbo tentatus, suae peregrinationis finem sibi imminere sentiens, insueto animi gaudio ad patriam contendere visus est. Brevi aegritudine perdurante, sororum ac missionariorum adhuc curam egit, eorumque corda in fide, virtute et amore supernae patriae salutariter corroboravit. Tandem totius anteactae vitae confessione biduo ante peracta, sanctissimo Viatico refectus

sacroque oleo inunctus, mente et ore Deum atque hominis novissima repetens, in osculo Domini terrestris itineris cursum placidissime consummavit die iv Maii. Sanctitatis fama quam Andreas virtutibus et Apostolicis laboribus sibi invita comparaverat, post obitum omnium praeconio ingeniique populi ad funus et ad sepulchrum concursu celebrata adeo floruit atque in dies increbuit, ut super ea Inquisitio Ordinaria in ecclesiastica Curia Montispessulani an. MDCCCXCVI-MDCCCXCIX instituta sit. Romam delata et Sacrorum Rituum Congregationi exhibita, obtenta dispensatione, die xn Augusti vertentis anni MCMIV, tum a lapsu integri decennii, tum ab interventu et voto Consultorum, instante Rmo Dno Alberto Battandier Protonotario Apostolico ad instar et huius Causae Postulatore, attentisque postulatoriis litteris plurium Rmorum Sacrorum Antistitum, praeeunte Rmo Dno Francisco Maria Anatolio De Cabrières, Episcopo Montispessulano necnon virorum ecclesiastica vel civili dignitate praestantium, una cum Antistita generali Congregationis Sororum a Nostra Domina pro auxilio infirmorum, Emus et Rmus Dnus Cardinalis Franciscus Desideratus Mathieu, eiusdem Causae Ponens seu Relator, in Ordinariis Sacrae Rituum Congregationis Comitiis subsignata die ad Vaticanum habitis, sequens dubium discutiendum proposuit: *« An signanda, sit Commissio Introductionis Causae praedicti Servi Dei in casu et ad effectum de quo agitur ».* Porro Emi et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, post relationem ipsius Emi Cardinalis Ponentis, audito etiam voce et scripto R. P. D. Alexandro Verde Sanctae Fidei Promotore, rescribere censuerunt: *((Affirmative, sive signandam esse Commissionem si Sanctissimo placuerit ».* Die 29 Novembris 1904.

Facta postmodum de his Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Pro-Praefectum relatione, Sanctitas Sua sententiam Sacrae eiusdem Congregationis ratam habens Com-

missionem Introductionis Causae beatificationis et canonizationis Ven. Servi Dei Andreae Soulas, sacerdotis et missionarii, institutoris Sororum a Nostra Domina pro auxilio infirmorum signare dignata est, die 14 Decembris eodem anno.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. 4. S.

f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

## ORDINIS S. BENEDICTI

### CONGREGATIONIS AUSTRIACAE

### Festum Titularis ecclesiae abbatialis celebrari nequit in parochiis monasterio incorporatis (i).

R. P. D. Willibaldus Hauthaler, Abbas monasterii ad S. Petrum Salisburgensis, Congregationis Austriacae de S. Ioseph,

(i) Iuxta Decretum generale S. C. Rituum, diei 9 Iulii 1895, n. 3863 ad II, festum Titularis ecclesiae particularis celebrari debet « ab omnibus e clero, quibus eadem ecclesia propria est, aut ratione beneficii, aut ratione subiectionis » ; item recolendum est festum Titularis ecclesiae cathedralis « ab universo clero totius dioecesis » sive saeculari sive regulari. Hoc autem privilegio gaudet Titularis ecclesiae cathedralis ratione primatus, quod ecclesia cathedralis habet super coeteras dioecesis ecclesias. At ecclesia abbatialis uti talis nullum ius nullumque primatum sibi vindicare potest super alias ecclesias, licet Abbatiae monasteriis incorpóralas atque eiusdem Religiosorum curis concreditas. Eadem ratione, iuxta decreta S. R. C. in *Romana,* 12 Iulii 1892, n. 0780 ad III, et in *Catanen.,* 13 Sept. 1704 n. 2r44 ad 5, non licet celebrare festum Titularis ecclesiae parochialis, licet matricis, in ecclesiis vel oratoriis eidem subiectis.

Quoad suffragia seu commemorationes communes Sanctorum, Rubricae Generales Breviarii Romani *(Tit 35, n. i)* praescribunt ut in Laudibus et Vesperis, diebus a Rubrica notatis, adiungatur « commemoratio de Patrono vel Titulo ecclesiae » nempe particularis. Quam commemorationem, ad tramitem Decreti Generalis S. R. C. diei 27 Iunii 1899, n. 4°43 ad *h* peragere tenetur « quilibet (clericus) sive saecularis sive regularis, alicuius ecclesiae servitio *j* quocumque canonico titulo addictus ». Suffragium Titularis ipsius ecclesiae cathedralis in sola cathedrali, non autem in aliis ecclesiis dioecesis fieri potest, prout habet Decretum S. R. C. in *Pernamburgen.,* diei 4 Sept. 1745, n. 2388 ad VIII, quod a fortiori valere debet quoad suffragium Titularis ecclesiae abbatialis *(N. R.).*

Ordinis S. Benedicti, ut omnia in Officio Divino rite peragantur, S. Rituum Congregationi sequentia dubia solvenda humillime proposuit; nimirum:

I. An festum Titularis ecclesiae abbatialis in ecclesiis monasterio incorporatis, praeter Titularem ecclesiae parochialis, celebrandum sit ritu duplici I.[ae] classis cum Octava, eo quod ibi monachi qua parochi curam animarum exercent?

II. An in Officio., praeter suffragium Titularis ecclesiae parochialis, in casu dicendum sit etiam illud Titularis ecclesiae abbatialis ?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, omnibusque sedulo perpensis respondendum censuit: *Negative* ad utrumque dubium.

Atque ita rescripsit. Die 26 Ianuarii 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. ^ S.

f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

## RATISBONEN.

### De conformitate S. Missae cum Kalendario ecclesiae proprio.

Plures in dioecesi Ratisbonensi existunt ecclesiae tum parochiales vel annexae, tum tales, quae a fidelibus peregrinationis causa pio animo frequentari solent, quae, licet in possessionem Regularium haudquaquam transierint et a iurisdictione Ordinarii minime exemptae sint, ab Episcopo tamen sacerdotibus Regularibus ad tempus concreditae sunt, ut hi in iisdem functiones sacras peragant et fidelium curae per Verbi divini praeconium et administrationem sacramentorum ex officio deserviant.

Hinc expostulatum est a Sacra Rituum Congregatione: Utrum in praedictis ecclesiis etiam Episcopus et parochus

parochiae saecularis eiusque vicarius atque beneficiatus propter beneficium ecclesiae canonice adscriptus in dicenda Missa se directorio Regularium accommodare teneantur ?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audita sententia Commissionis Liturgicae reque mature perpensa, respondendum censuit: *Affirmative* iuxta Decreta n. 3862 *U-rbis et Orbis* 9 Decembris 1895, et n. 4051 *Urbis* 15 Decembris 1899 ad II (i).

Atque ita rescripsit et declaravit. Die 27 Ianuarii 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. ^ S.

f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

(i) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 28, p. 438. Decretum *Urbis* diei 15 Dec. 1899, sequentis tenoris est : « Quarumdam ecclesiarum Rectores insequentium dubiorum solutionem a Sacra Rituum Congregatione humiliter expostularunt ; nimirum :

I. Utrum in ecclesiis Collegialibus aspersio aquae benedictae de praecepto sit praemittenda Missae Conventuali quae canitur in Dominicis, sive cum Diacono et Subdiacono, sive absque sacris Ministris? Et utrum in ecclesiis non Collegialibus eadem aspersio praefatis diebus fieri saltem possit ?

II. In ecclesiis alicui Religiosae Familiae concreditis, sacerdotes exteri in illis celebrantes tenenturne sequi Calendarium eiusdem Familiae proprium, si habeatur ?

III. Num idem sit dicendum de ecclesiis, quae non Religiosae Familiae, sed tantum alicui personae privatae, etsi ad eamdem Familiam pertinenti, commissae sunt ?

IV. Utrum Officia ad libitum infra Octavas quascumque occurrentia recitari valeant ?

Et Sacra Rituum Congregatio, re mature perpensa auditoque voto Commissionis Liturgicae, rescribendum censuit :

Ad I. *Affirmative* ad utramque partem.

Ad II. *Affirmative.*

Ad III. *Negative.*

Ad IV. *Negative.*

Atque ita rescripsit et servari mandavit. Die 15 Decembris 1899 *•

Hodiernae decisionis ratio facile apparet ; iuxta enim decreta superius citata in Missae celebratione sequi in genere debet Calendarium ecclesiae, in qua celebratur. In casu autem ecclesiae ab Episcopo concreditae sunt, non refert ,j ,(j

## COMPOSTELLANA

### Circa consuetudinem transferendi festum SS. Corporis Christi.

Emus et Revmus Dnus Cardinalis Ioseph Maria Martin de Herrera y de la Iglesia, Archiepiscopus Compostellanus Sacrorum Rituum Congregationi ea quae sequuntur reverenter exposuit; videlicet:

In permultis paroeciis Archidioecesis S. Iacobi de Compostella, ex antiquissima consuetudine, festum SSmi Corporis Christi non celebratur in proprio festivitatis die. sed in alio quocumque etiam feriato qui solet esse postridie festum Sancti Patroni vel post aliam solemnitatem loci, quibus diebus plures sacerdotes assistunt et parochiani, ut plurimum pauperes, minores sumptus faciunt. Hinc idem Emus vir expostulavit: Utrum huiusmodi consuetudo continuari possit.

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito etiam voto Commissionis Liturgicae, propositae quaestioni respondere rata est: *Negative,* si pro festo intelligatur Officium cum Missa sub relativo ritu cum Octava; *Affirmative,* si festum dicatur solemnitas tantum externa cum unica Missa solemni vel cantata et Processione cum SSmo Eucharistiae Sacramento (1); iuxta Indultum s. m. Pii Papae IX

tempus tantum, Familiis Religiosis, quae in iisdem proprio Calendario utuntur; hinc Calendarium monasticum evadit etiam Calendarium ecclesiarum proprium. Omnes igitur sacerdotes utriusque cleri, ad easdem ecclesias confluentes, se conformari tenentur Calendario Regularium; exceptis tamen diebus quibus ex Rubrica permittuntur Missae votivae privatae *(N. R.).*

(1) Tamen, etiam absque Apostolico Indulto, Processio SSmi Sacramenti, quae fieri nequit in ecclesiis minoribus in die vel per Octavam Corporis Christi ob deficientiam ministrorum, peragi poterit in altera ex Dominicis sequentibus, prout loci Ordinario videbitur, post celebratam Missam de die occurrente cum SSmi Sacramenti commemoratione. Etenim in *Lisbonen.,* n. 2402, diei 8 Maii 1749, ad dubium: « Utrum in ecclesiis minoribus parochialibus et filialibus, in quibus non invenitur sufficiens ministrorum numerus et ornamentorum copia, ut valeat in propria die seu Dominica infra Octavam festum SSmi Corporis Christi

ecclesiis particularibus Archidioeceseos Compostellanae concessum per decretum S. R. C. die 25 Iulii **1861.**

Atque ita rescripsit, die 3 Februarii 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. ✠ S.

f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

## ORDINIS S. BENEDICTI

### De celebratione Missae iuxta Kalendarium ecclesiae proprium.

Hodiernus Caeremoniarum magister in monasterio Ordinis S. Benedicti ad S. Stephanum, Augustae Vindelicorum in Bavaria, ut omnia rite fiant, de consensu sui Revmi Abbatis a Sacra Rituum Congregatione sequentis dubii solutionem humillime expetivit; nimirum :

In ecclesia S. Stephani, quae ante erectionem monasterii

**cum debita solemnitate Processio celebrari, possit haec** neri **in quacumque Dominica post Octavam eiusdem festi cum Missa de tempore occurrenti, et commemoratione SSmi? »; S. R. C. rescribendum censuit : « Ubi Processio SSmi Sacramenti in eius festo die vel per Octavam ea qua decet solemni pompa, nequiverit haberi, designabit Episcopus pro suo arbitrio et prudentia unicuique ecclesiae aliquam ex sequentibus Dominicis, in qua celebrata Missa cum commemoratione SSmi Sacramenti, iuxta Rubricarum praescriptam normam, solemnis illius Processio peragi posssit ». Ubi vero Processio Corporis Christi extra Octavam peragitur, Missa debet esse de Dominica vel festo duplici occurrente, cum commemoratione SS. Sacramenti post alias orationes praescriptas, nisi adsit peculiare Indultum. Quum enim in *Angelopolitana,* diei** 11 **Sept.** 1847, **n.** 2951 **ad II, quaesitum fuerit: « An in ecclesiis minoribus, ubi extra Octavam celebratur festum Sanctissimi Corporis Christi, Missa esse debeat de festo occurrente cum commemoratione Sanctissimi Sacramenti ; vel Missa de die infra Octavam Sanctissimi Corporis Christi cum unica Oratione, *Gloria, Credo* et Praefatione de Nativitate »; S. R. C. respondere rata est: « De festo occurrente, nisi habeatur indultum Cfr. etiam resolutio H. S. C. in *Fanen.,* diei** 6 **Decembris** 1653, **n.** 954, **necnon in *Bracharen.,* io Sept.** 1796, **n.** 2552 **ad** 4. **Quod si Processio fiat in die, qua permittitur Missa votiva privata, tunc cantari potest Missa votiva SSmi Sacramenti, absque *Gloria, Credo* et saltem cum tribus Orationibus *(N. R.).***

fuit ecclesia parochialis, ex pia dispositione et fundatione ultimi parochi, sacerdos saecularis qui est etiam beneficiatus vicinae ecclesiae S. Galli, Missam celebrare, fidelium confessiones excipere aliasque sacras functiones peragere debet. Quum vero ecclesia S. Stephani aliquot abhinc annis in possessionem monasterii legitime venerit; quaeritur: An praedictus sacerdos beneficiatus in celebrando Sacrosancto Missae Sacrificio suum Calendarium nempe dioecesanum sequi debeat vel Calendarium monasterii ?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, attentis expositis una cum exquisita informatione Revmi Dñi Episcopi Augustam Vindelicorum et suffragio Commissionis Liturgicae, proposito dubio respondendum censuit: *Negative* ad primam partem ; *Affirmative* ad secundam, iuxta Decreta n. 3862 *Urbis et Orbis* 9 Decembris 1895, n. 4051 *Urbis* 15 Decembris 1899 ad II, et *Ratisbonen.* 27 Ianuarii 1905 (1). Atque ita rescripsit. Die 3 Februarii 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. ✠ S.

✠ D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

# EX S. CONGREGATIONE CONSISTORIALI

## CLAVAREN.

### ERECTIONIS AD DIGNITATEM BASILICAE MINORIS.

Cathedralis ecclesia B. M. Virgini de Horto Clavara sacra in Basilicam minorem erigitur.

Inter aedes augustae Dei Genitrici in Liguria dicatas ea sane memoratu digna est quae Clavarii existit Beatae Vir-

(1) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 28, p. 438; et vol. 37, p. 474 cum *nota.* Ratio decidendi est omnino eadem ac illa, quam inserimus in *nota* citati Decreti *Ratisbonen.* *(N. R.).*

gini ab Horto nuncupatae sacra. Ut quaedam de templi huius historia commemoremus, eius initia ad exitum saeculi decimiquinti sunt referenda, ad annum nempe MCCCCXCIII, quo, exitiali morbo Clavarium depopulante, pia quaedam Clavarensis femina, quae in tam ingenti discrimine B. Virginis opem enixe imploraverat, eius imaginem in cuiusdam horti pariete iuxta publicam viam pingendam curavit. Pia fidelium erga huiusmodi imaginem religio, anno praesertim MDXXVIII singulari quadam ratione emicuit. Cum enim eo anno lues iterum per urbem grassaretur, id factum est, ut Clavarensis populus ad Deiparae de Horto simulacrum certatim accurreret, atque, altari eidem dicato, benignissimae Matris patrocinium vehementi pietatis ardore imploraret. Tunc autem fideles beneficiorum fama permoti, quae a Deo, B. Virginis de Horto deprecatione, accepta referebantur, quotidie frequentiores ad eam pie devoteque accederent, sacellum in eius honorem conditum est, quod brevi, novis additis moHtionibus, in satis amplum templum crevit. Praecantium votis praesens adfuit Regina caelestis, adeo ut, percrebrescente in dies Deiparae de Horto gloria, eam anno MDCXLV urbis Clavarii praesides ac finitimorum pagorum magistratus, cunctis plaudentibus, in caelestem civitatis ac totius Clavarensis regionis Praestitem delegerint, atque Vaticanum Capitulum sacram Imaginem aurea corona donandam decreverit.

Recentiori aetate Deiparae de Horto templum, novis extructis operibus, ex integro fere renovatum est, ita sane ut molis magnitudine atque ornatus magnificentia praecipuis Italiae templis in Dei Genitricis honorem dicatis merito comparari queat. Inter perspicui nominis opifices, qui in sacra aede suis laboribus nobilitanda certarunt, digni sane qui memorentur sunt Baratta et Pucci, quorum alter presbyterii et absidis cameras, alter vero eas, quae a latere sunt cellarum pinxit. Frons quoque templi ab imis fundamentis restituta est, eidemque aedi sacrae felici molitione advecta, ex

Clavarensium voto, quod anno MDCCCXXXV B. Mariae Virginis ope a pestifera lue servati essent incolumes; frons eadem clarissimi Poletti architecti romani opus, bis centum et amplius libellarum millibus in id a Clavarensi populo collatis. Templi huius splendori ac magnificentiae aliud etiam aetate hac nostra feliciter accessit, ex quo eiusdem nobilitas ac dignitas quam maxime aucta est Siquidem anno MDCCCXCII B. Mariae Virginis de Horto templum per litteras Apostolicas tertio nonas Decembris datas, quarum initium *Romani Pontifices* in Cathedrale noviter erectae dioecesis Clavarensis a Leone f. r. PP. XIII constitutum est.

Neque aetatum decursu Clavarensium civium aliarumque finitimarum civitatum fidelium spectata erga Deiparam de Horto religio deferbuit, quod vel ex eo maxime elucet, quod in sacra ipsa aede quinquaginta fere fidelium millia quotannis ad Sacram Synaxim accedant, et quinque fere Missarum millia in ea celebrentur. Templa insuper non pauca in eiusdem Deiparae de Horto honorem tum in pluribus Italiae civitatibus, tum in America Meridionali, Sanctimonialium opera, quae filiarum B. Mariae Virginis de Horto titulo gloriantur, tum demum in Palaestina erecta sunt.

Cum itaque R. P. D. Fortunatus Vinelli Clavarensis Episcopus occasionem nactus quod proxime quinquagesima anniversaria dies feliciter redit, ex quo Immaculata Dei Genitricis Conceptio sollemniter declarata est, iis, quae supra relata sunt, expositis, suo et Cathedralis Capituli nomine, SSmo D. N. Pio PP. X humiles admoverit preces, ut in memoriam faustissimi eventus, quo universus christianus orbis laetatur, memoratam aedem B. Mariae Virgini de Horto sacram ad Cathedralis templi dignitatem a f. r. Praedecessore evectam, Basilicae minoris titulo condecorare vellet, idem SSmus Dominus Noster, me referente infrascripto Sacrae Congregationis negociis consistorialibus expediendis praepositae Substituto, rebus omnibus matura deliberatione perpensis, attentis

expositis, quo Clavarensium pietas erga caelestem eorum Praestitem magis ac magis foveatur, Episcopi Clavarensis votis benigne adnuendum censuit.

Quare quod bonum faustum felixque sit, et Dei gloriae et Beatissimae eius Matri honori benevertat, Sanctitas Sua omnes et singulos, quibus praesens decretum favet, a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis, quovis modo vel quavis de causa a iure vel ab homine latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolvens et absolutos fore censens, supradictam aedem B. Mariae Virgini de Horto Clavarii sacram de Apostolicae potestatis plenitudine in Basilicam minorem erexit et instituit, ita ut ipsa in posterum Basilica minor in perpetuum nuncupari possit et sit, cum omnibus et singulis honoribus, privilegiis, iuribus, praerogativis et gratiis, quibus aliae minores Basilicae utuntur, fruuntur et gaudent; in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque, mandavitque hisce super rebus hoc edi consistoriale decretum, perinde valiturum ac si super praemissis Litterae Apostolicae in forma Brevis expeditae fuissent, cuius executionem committi voluit eidem Clavarensi Antistiti, et decretum ipsum inter Acta referri mandavit Sacrae huius Congregationis Consistorialis.

Datum Romae hac die 27 Novembris anno Domini MCMIV.

Pro R. P. D. Secretario

L. «f S. IULIUS GRAZIOLI, *Substitutus.*

# EX S. C. INDULGENTIARUM ET SS. RELIQUIARUM

## Indulgentia, concessa orationi B. M. V. Immaculatae occasione eiusdem Iubilaei, in perpetuum lucrari valet.

*Beatissimo Padre,*

Il Presidente della Pia Opera di S. Francesco di Sales, canonicamente eretta in Parigi, prostrato al bacio del S. Piede, umilmente implora che l'Indulgenza di trecento giorni, accordata dalla S. V. l'otto Settembre 1903 (1) alla preghiera alla B. Vergine Immacolata, composta dalla stessa S. V. in occasione del Giubileo ormai finito, possa continuare a lucrarsi in avvenire, togliendo dalla preghiera medesima le parole che alludono al Giubileo suddetto, nella maniera che segue:

« Vergine santissima, che piaceste al Signore, e diveniste sua Madre, immacolata nel corpo e nello spirito, nella fede e nell'amore, deh ! riguardate benigna ai miseri, che implorano il vostro potente patrocinio. Il maligno serpente, contro cui fu scagliata la prima maledizione, continua purtroppo a combattere e insidiare i miseri figli di Eva. Deh ! Voi, o benedetta Madre nostra, nostra Regina e Avvocata, che fin dal primo istante del vostro concepimento, del nemico schiacciaste il capo, accogliete le preghiere, che, uniti con Voi in un cuor solo, vi scongiuriamo di presentare al trono di Dio, perchè non cediamo giammai alle insidie, che ci vengono tese, così che tutti arriviamo al porto della salute ; e fra tanti pericoli la Chiesa e la società cristiana cantino ancóra una volta T inno della liberazione, della vittoria e della pace. Così sia ».

(i) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 36, p. 66 vel 68, ubi prostat eadem Oratio in honorem B. M. V. Immaculatae tum in lingua italica tum latina, sublatis dumtaxat nonnullis verbis ad praefatum Iubilaeum modo finitum alludentibus. Praeterea in posterum indulgentia tercentum dierutn, semel in die lucranda, extenditur quoque animabus in Purgatorio degentibus *(N, R.).*

Supplica inoltre perchè la detta Indulgenza sia applicabile anche alle anime del Purgatorio. Che ecc.

SSmus Dnus Noster Pius PP. X in audientia habita die II Ianuarii 1905 ab infrascripto Cardinali Praefecto S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, benigne annuit pro gratia in omnibus iuxta preces. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. C. die II Ianuarii 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Praefectus.*

L. «f S.

Iosephus M. Can. Coselli, *Substitutus.*

**Indulgentia conceditur quamdam orationem recitantibus**

*Mon Dieu, faites l'unité des esprits dans la vérité, et l'union des cœurs dans la charité* (1).

*Ex Audientia diei 24 Maii 1po4.*

SSmus D. N. Pius PP. X super inscriptam orationem devote recitantibus indulgentiam concedit tercentum dierum, semel in mense lucrandam.

L. •«$• S. f VINCENTIUS Card. Ep. Praenestinus.

Praesens Rescriptum exhibitum fuit ad hanc S. Congregationem Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositam.

In quorum fidem etc.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis die 21 Ianuarii 1905.

L, «£• S. f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

(i) Latine: « Deus meus, fac unitatem spirituum in veritate et unionem cordium in caritate » *(N. R.).*

# DIARIUM CURIAE ROMANAE

**Die** 5 **Decembris** 1904 **Sanctitas Sua in Aula Consistoriali Palatii Apostolici Vaticani habuit Consistorium semipublicum, praeparatorium ad solemnem Canonizationem. Interfuerunt Emi Cardinales, Patriarchae, Archiepiscopi et Episcopi praesentes in Curia, qui de voto rogati circa Canonizationem BB. Alexandri Sauli et Gerardi Maiella unanimiter responderunt : «** *Placet ob rationes a me in voto scripto et subscripto allatas ».*

**Die 11 eiusdem mensis et anni Pius PP. X in Basilica Vaticana solemnem Canonizationem praedictorum Beatorum egit ; Dominicis insequentibus, diebus nempe** 18 **et** 27 **Decembris** 1904, **necnon i,** 8 **et** 15 **Ianuarii** 1905 **processit ad respectivam Beatificationem Venerabilium Gasparis del Bufalo, Stephani' Bellesini, Agathangeli et Cassiani, Ioannis B. Vianney, atque Marci Crisini et Sociorum eius.**

*Pius PP. X Litteris Secretariae Status:*

**i°. Emum et Rmum Card. Casimirum Gennari adsignavit in Protectorem Sororum Salesianarum SS. Cordium.**

2°. **Ernum et Rmum Card. Felicem Cavagnis nominavit Protectorem Sororum charitatis a Ven. Capitanio.**

**3°. Exmum ac Rmum Ioannem Tacci, olim Episcopum Civitatis Plebis, nominare dignatus est Delegatum Apostolicum Constantinopolis pro Orientalibus, ac Vicarium Patriarchalem pro Latinis.**

4°. **Emum et Rmum D. Card. Antonium Agliardi elegit Protectorum Archiconfraternitatis SSmi Sacramenti, erectae in ecclesia Immaculatae Catacii.**

**5°. Emum ac Rmum D. Card. Iosephum Calasanctium Vives y Tuto nominavit Protectorem Archiconfraternitatis Immaculatae Conceptionis Catacii; necnon Instituti Filiarum Christi Regis Granatae; ac demum Instituti Sororum Tertiariarum Capuccinarum Sacrae Familiae Valentiae.**

6°. **Illmum et Rrñum D. Hieronymum Rolleri eligere dignatus est Secretarium S. C. de Propaganda Fide pro Negotiis Ritus Orientalis.**

# ACTA ROMANI PONTIFICIS

LITTERAE

**Quibus Pius PP. X laetatur et fauste ominatur de generali cantus gregoriani conventu Argentinae habendo.**

PIUS PP. X

*Dilecte fili, salutem et Apostolicam benedictionem* (i).

Quemadmodum servari praecepta gaudemus quae fidelium utilitati subinde damus, ita nunciato a te conventu deiectamur, in quem studiosi gregoriani concentus viri ex omni populo confluent, hac una vehementer permoti re, ut quae Nos de musica sacra monuimus, ad usum fideliter adducantur. Coetum autem et frequentem coniici futurum et e viris coaliturum censeri, qui non modo musicae peritiam artis, sed etiam, id quod magni in re sacra interest, pietatem sensumque alte teneant christianae fidei, valde profecto laetamur, capimusque inde argumentum explorati faustique exitus certum. At illud uberiorem Nobis fructum e laboribus vestris portendit, deliberatum vobis esse non modo voluntatem erga avitum Ecclesiae Romanae cantum admovere atque excitare verbis, sed exempla etiam, adiuvandae praxi perutilia, ob oculos ponere, unde probe ac rite possint studiosi perspicere, quantum et artis et elegantiae et religionis in servandis musicae sacrae praeceptis insit. Animatis egregie vobis multam sese ac facilem impertiat gratia divina illudque ex alacritate vestra eliciat optatissimum commodum, ut ea demum existat in catholico orbe voluntas, praeceptis de sacro cortcentu Nostris parere diligenter. Tibi interea praecipuam benevolentiam testamur, auspicemque munerum coelestium tibi atque universis, qui in memoratum coetum se conferent, benedictionem Apostolicam peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die xxin Ianuarii, anno MDCCCCV, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. X

**(i) Dilecto Filio Petro Wagner, Doctori Decuriali in Lyceo Magno Friburgensi et generalis conventus studiosorum cantus gregoriani moderatori.**

LITTERAE

## Quibus Pius PP. X Hypogei Cassinensis ornatum summa laude commendat.

PIUS PP. X

*Dilecte Fili, salutem et Apostolicam benedictionem* **(1).**

Quae afferuntur ad Nos de ornatu pernobili, quo Cassinense Benedicti et Scholasticae hypogeum excolitur, ea quidem uti pergrata nobis sunt, ita commendationem Nostram peculiarem postulant. Etenim in hoc opere, non solum pietas placet filiorum, Sanctissimo Parenti eiusque innocentissimae sorori honorem tribuendum iustum ac debitum, verum etiam cultiorum ex variis gentibus voluntas hominum, memoriam viri, ob immortalia ipsius promerita, summae venerationis testimonio prosequentium. Accedit huc maxima quaedam eiusdem operis opportunitas. Nam quibus temporibus tanta in invidia sunt Religiosorum Ordines, eorumque instituta ut noxia aut inutilia civili societati traduci solent, optime cadit ut hominum oculos animosque ad se convertat Cassinense Coenobium, vetustissimum illud humanitatis et artium domicilium; atque ab oblivione multorum revocetur ille Monachorum in Occidente Pater cui, magnam partem, hunc suum civilem cultum Europa debet; et appareat, ingeniorum sollertiam haudquaquam in alumnis eius diuturnitate defecisse. Itaque te, dilecte fili, ceterosque eruditos viros qui, te praeside, rem adeo vestro Ordini et Ecclesiae honorificam curant, libenter ornamus laude, eamque simul tributam volumus sodalibus illis tuis, qui magistro, uti intelligimus, dilecto filio, Desiderio Lenz, in re exequenda artificio quodam utuntur, mire in effingenda mystica idoneo; ita ut dignitati et personae et loci egregie satisfaciant. Uti autem bene posita sunt initia, sic sperandum est, fore ut cetera consequantur, adiuvante diligentiam ope-

**(1) Dilecto Filio Laurentio Janssens, Sacerdoti Benedictino, Collegii Anselmiani Moderatori.**

ramque vestram bonorum liberalitate. Interea divinae opis auspicem et benevolentiae Nostrae singularis testem tibi, dilecte fili, aliisque quos supra memoravimus, item omnibus, qui coepta vestra aliquid conferendo promoveant, Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die v Februarii anno MDCCCCV, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. X

LITTERAE

## Quibus Pius PP. X approbat et commendat alterum catholicorum Conventum super Christiana Catechesi habendum.

PIUS PP. X

*Dilecte Fili, salutem et Apostolicam benedictionem* (1).

Consilium illud, quod significasti nuper te tuaeque adiutores et fautores operae cepisse de altero catholicorum conventu, hoc anno, super Christiana Catechesi habendo, Nobis probatur magnopere ; quippe ad id quod urgemus propositum apprime conducit. Nam ut omnia instaurentur in Christo, id est ut mores et instituta populorum privatim et publice ad christianam restituantur formam, fieri profecto non potest, nisi vulgo doctrina et praecepta Christi mentes animosque rursus imbuerint.

Et vere, maiorum omnium, quibus haec laborat aetas, id tamquam caput est, incredibilis quaedam in tanto apparatu doctrinarum et ardore discendi, ignoratio maximarum rerum, quae religione continentur ; cui vos malo libenter videmus pro virili parte sollerti cum diligentia remedium quaerere. Hanc enim sollertiam satis agnovimus in eo libello, quem litteris vestris adiecistis, de rebus in conventu tractandis: quas qui-

(1) Sac. Doct. Amedaeo Ghizzoni, Moderatori ephemeridis *Catechista Cattolico,* Placentiam

dem scitote Nobis non minus opportunas videri, quam Episcopo vestro, huius disciplinae peritissimo, visae sint. Quare alacres, Antistite optimo praeeunte, incoeptum peragite confisi, non defuturam laboribus vestris nec opem, nec mercedem a Deo uberrimam. Utriusque auspicem et peculiaris Nostrae benevolentiae testem vobis omnibus, in primisque Venerabili eidem Fratri, tibique, dilecte fili, Apostolicam benedictionem peramanter in Domino ..impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die VIII Februarii anno MDCCCCV, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. X

## LITTERAE

**Quibus Pius PP. X damnat Democratiam christianam autonomam in Italia.**

*Signor Cardinale* (1),

La lettera circolare del 28 Luglio 1904 (2), diretta dall'Emo Signor Cardinale Nostro Segretario di Stato ai Revmi Ordinari d'Italia, stabiliva con tanta precisione le Nostre prescrizioni specialmente riguardo i Comitati Cattolici e l'azione popolare cristiana, che anche i meno eruditi negli elementi del Catechismo avrebbero dovuto intendere, che non si può avere azione cattolica di vero nome senza la immediata dipendenza dai Vescovi.

Ma, come nel campo della parabola evangelica, anche in quello dell'azione cattolica già da qualche tempo venne soprasseminata la zizzania, che cresce e soffoca l'eletto grano; e questo non per opera di aperti nemici, ma di quelli stessi, che si professano e si vantano di essere cattolici.

(1) All'Emo Sig. Cardinale Domenico Svampa, Arcivescovo di Bologna.

(2) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 37, p. 19.

E tali sono i così detti Democratici cristiani autonomi, che per desiderio di una libertà male intesa mostrano col fatto di scuotere ogni disciplina; aspirano a novità pericolose, che la Chiesa non può approvare; si atteggiano a contegno autorevole per imporsi, giudicare e criticare ogni cosa, e arrivano al punto di chiamarsi pronti a piegare dinanzi alla infallibilità, ma non all'obbedienza.

Che se si volessero argomenti a provare che cotali pel logico svolgimento dei loro principi si sono fatti esplicitamente ribelli all'autorità della Chiesa, lo dimostra quanto asseriscono nei loro convegni dichiarandosi indipendenti, quanto pubblicano sui loro giornali e periodici propugnando la loro opera e giustificando la loro condotta; quando finalmente alle solenni proibizioni di venerandi Prelati rispondono o coll'asserire che tali proibizioni non riguardano la loro società e le loro persone, o col proclamare, che il Papa ed i Vescovi hanno sì il diritto di giudicare delle cose spettanti alla fede ed alla morale, ma non quello di dirigere l'azione sociale; e quindi essi si tengono liberi di progredire nel loro lavoro.

Ci duole poi nell'animo di sapere ascritti a questa Democrazia autonoma tanti poveri giovani, che davano le migliori speranze, ai quali vorremmo dire col più compassionevole affetto: Guardatevi, perchè siete tratti in inganno da chi vi circuisce colle lusinghe, vi assorda coi discorsi e non si fa scrupolo di condurvi per una via, che vi porta a rovina.

E non possiamo fare a meno di manifestare il Nostro immenso rammarico leggendo Giornali e Periodici, che pur dicendosi cattolici, non solo censurano i forti richiami dei Vescovi, che giustamente condannano i democratici autonomi, ma ardiscono di vilipendere colle più ingiuriose insinuazioni coloro, che lo Spirito Santo pose a reggere la sua Chiesa. Colpa questa nefanda, che dimostra da quale spirito gli scrittori sieno animati!

Ora, siccome si è già annunziato che in questo mese

sarà tenuto in cotesta città un Congresso, in cui i democratici autonomi prenderanno le più importanti deliberazioni per proclamare altamente la loro indipendenza, crediamo necessario di dirigere a Lei, Signor Cardinale, questa lettera scritta tutta di Nostro pugno.

i°. Per protestare altamente contro le subdole affermazioni, che il Papa non ha parlato, che il Papa approva, e che, se pur qualche volta desso fa dei richiami, questi gli sono imposti da altri.

**2°.** Per dichiarare che tutti quelli, che non a parole, ma coi fatti vogliono dimostrarsi veri cattolici non dovranno prender parte a tale congresso ;

3°. Che molto meno potranno participarvi i Sacerdoti, anche per non provocare quelle pene canoniche, che con dolore,, ma siamo risoluti di infliggere ai disobbedienti,

4°. Finalmente per ricordare la grave responsabilità che si assumono tutti coloro, che in qualunque modo propugnano questa associazione, che porta nella vera azione cattolica il disordine, e reca tanto danno ai poveri giovani, i quali, esposti a mille altri pericoli, hanno tanto bisogno di essere fermi senza malintesi nei principi cattolici.

Speriamo, che questa Nostra lamentanza, che Ella potrà far pubblica, chiami a seria riflessione e a resipiscenza i colpevoli, e frattanto impartiamo a Lei, Signor Cardinale, con effusione di cuore l'Apostolica benedizione.

Dal Vaticano il i° Marzo 1905.

PIUS PP. X

MOTU PROPRIO

## De Protonotariis Apostolicis, Praelatis Urbanis et aliis, qui nonnullis privilegiis Praelatorum propriis fruuntur.

PIUS PP. X

Inter multiplices curas, quibus ob officium Nostrum Apostolicum premimur, illa etiam imponitur, ut venerabilium Fratrum Nostrorum, qui episcopali charactere praefulgent, pontificales praerogativas, uti par est, tueamur. Ipsi enim Apostolorum sunt Successores; de iis loquitur Cyprianus *(ep. 6p, n. 8)* dicens, *Episcopum in Ecclesia esse et Ecclesiam in Episcopo ;* nec ulla adunatur Ecclesia sine Episcopo suo, imo vero Spiritus ipse Sanctus *posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei (Act. XX, 28).* Quapropter, *Presbyteris superiores esse Episcopos,* iure definivit Tridentinum Concilium *(Sess. XXIII, c. j).* Et licet Nos, non tantum honoris, sed etiam iurisdictionis principatum supra ceteros Episcopos, ex Christi dispositione, tamquam Petri Successores, geramus, nihilominus Fratres Nostri sunt Episcopi, et sacra Ordinatione pares. Nostrum ergo est, illorum excelsae dignitati sedulo prospicere, eamque pro viribus coram christiano populo extollere.

Ex quo praesertim Pontificalium usus per Decessores Nostros Romanos Pontifices aliquibus Praelatis, episcopali charactere non insignitis, concessus est, id saepe accidit, ut, vel malo hominum ingenio, vel prava aut lata nimis interpretatione, ecclesiastica disciplina haud leve detrimentum ceperit, et episcopalis dignitas non parum iniuriae.

Quum vero de huiusmodi abusibus ad hanc Apostolicam Sedem Episcoporum querelae delatae sunt, non abnuerunt Praedecessores Nostri iustis eorum postulationibus satisfacere, sive Apost. Litteris, sive S. Rit. Congr. Decretis pluries ad rem editis. In id maxime intenderunt Benedictus XIV, per epist. S. R. Congr. d. d. xxxi Martii MDCCXLIV « *SSmus Dominus Noster* », iterumque idem Benedictus, d. xvn Februa-

rii MDCCLII « *In throno iustitiae* » ; Pius VII, d. XIII Decembris MDCCCXVIII « *Cum innumeri* », et rursus idem Pius, d. IV Iulii MDCCCXXIII « *Decet Romanos Pontifices*» (1), et Pius IX d. XXIX Augusti MDCCCLXXII « *Apostolicae Sedis officium* » (2). E sacr. Rit. Congregatione memoranda in primis Decreta quae sequuntur: de Praelatis Episcopo inferioribus, datum die XXVII mensis septembris MDCLIX et ab Alexandro VII confirmatum ; dein Decreta diei XXII Aprilis MDCLXXXIV de Canonicis Panormitanis ; diei XXIX Ianuarii MDCCLII de Canonicis Urbinatibus, diei XXVII Aprilis MDCCCXVIII de Protonotariis Titularibus, a Pio PP. VII approbatum; ac diei XXVII Augusti MDCCCXXII de Canonicis Barensibus.

Hisce tamen vel neglectis, vel ambitioso conatu, facili aufugio, amplificatis, hac nostra aetate saepe videre est Praelatos, immoderato insignium et praerogativarum usu, praesertim circa Pontificalia, viliores reddere dignitatem et honorem eorum, qui sunt revera Pontifices.

Quamobrem, ne antiquiora posthabeantur sapienter a Praedecessoribus Nostris edita documenta, quin imo, ut iis novum robur et efficacia adiiciatur, atque insuper praesentis aevi indoli mos iuste geratur, sublatis omnibus consuetudinibus in contrarium, nec non amplioribus privilegiis, praerogativis, exemptionibus, indultis, concessionibus, a quibusvis personis, etiam speciali vel specialissima mentione dignis, nominatim, collective, quovis titulo et iure, acquisitis, assertis, aut praetensis, etiam Praedecessorum Nostrorum et Apostolicae Sedis Constitutionibus, Decretis, aut Rescriptis, confirmatis, ac de quibus, ad hoc, ut infirmentur, necesse sit peculiariter mentionem fieri, exquisito voto aliquot virorum in canonico iure et liturgica scientia peritorum, reque mature perpensa, motu proprio, certa scientia, ac de Apostolicae potestatis plenitu-

(1) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 3, p. 569.

(2) Cfr. Ibid., vol. 7, pag. 83.

dine, declaramus, constituimus, praecipimus, ut in posterum, Praelati Episcopis inferiores aliique, de quibus infra, qua tales, non alia insignia, privilegia, praerogativas audeant sibi vindicare, nisi quae hoc in Nostro documento, Motu Proprio dato, continentur, eademque ratione ac forma, qua hic subiiciuntur.

## A). De Protonotariis Apostolicis

i. Quatuor horum habeantur ordines : I. Protonotarii Apostolici de Numero Participantium, septem (i) qui Collegium privative constituunt; II. Protonotarii Apostolici Supranumerarii ; III. Protonotarii Apostolici ad instar Participantium ; IV. Protonotarii Apostolici Titulares, seu honorarii (extra Urbem).

1. *Protonotarii Apostolici de numero Participantium.*

2. Privilegia, iura, praerogativas et exemptiones quibus, ex Summorum Pontificum indulgentia iamdudum gaudet Collegium Protonotariorum Apostolicorum de numero Participantium, in propriis Statutis nuperrime ab ipsomet Collegio iure reformatis inserta, libenter confirmamus, prout determinata inveniuntur in Apostolicis Documentis inibi citatis, ac praesertim in Constitutione « *Quamvis peculiares* » Pii PP. IX, diei ix mensis februarii MDCCCLIII (2), paucis exceptis, quae, uti infra, moderanda statuimus.

3. Protonotarii Apostolici de numero Participantium habitu praelatitio rite utuntur, et alio, quem vocant *planum* atque insignibus prout infra numeris 16, 17, 18 describuntur.

4. Habitu quotidiano incedentes, caligas, collare et pileüm ut ibidem n. 17 gestare poterunt, ac insuper Annulum gem-

(1) Hi autem hodie sunt: Illrñi ac Rmi Dñi Vincentius Nussi (Decanus), Franciscus Spolverini, Ascensus Dandini, Iacobus Poletto, Benedictus Melata (unus ex nostris Collaboratoribus), Iosephus Wilpert, et Petrus Piacenza (alter ex Collaboratoribus nostris) *(N. R.)*.

(2) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 7, p. 91.

matum, quo semper iure utuntur, etiam in privatis Missis aliisque sacris functionibus.

5. Quod vero circa usum Pontificalium insignium, Xystus V in sua Constitutione « *Laudabilis Sedis Apostolicae sollicitudo* », diei vi mensis februarii MDLXXXVI, Protonotariis Participantibus concessit: « Mitra et quibuscumque aliis Pontificalibus insignibus, etiam in Cathedralibus ecclesiis, de illorum tamen Praesulum, si praesentes sint, si vero absentes, absque illorum consensu, etiam illis irrequisitis, extra curiam uti », in obsequium praestantissimae Episcoporum dignitatis, temperandum censuimus, ut pro Pontificalibus, extra Urbem tantum agendis, iuxta S. R. C. declarationem quoad Episcopos extraneos vel Titulares, diei iv mensis decembris MCMIII (1), ab Ordinario loci veniam semper exquirere teneantur, ac insuper consensum Praelati ecclesiae exemptae, si in ea sit celebrandum.

6. In Pontificalibus peragendis, semper eis inhibetur usus throni, pastoralis baculi et cappae ; item septimi candelabri super altari, et plurium Diaconorum assistentia; Faldistorio tantum utentur, apud quod sacras vestes assumere valeant. Pro concessis enim in citata Xysti V Constitutione, « quibuscumque aliis pontificalibus insignibus », non esse sane intelligenda declaramus ea, quae ipsis Episcopis extra Dioecesim sunt interdicta. Loco *Dominus vobiscum* nunquam dicent *Pax vobis;* trinam benedictionem impertientur numquam, nec versus illi praemittent *Sit nomen Domini* et *Adiutorium,* sed in Missis tantum pontificalibus, Mitra cooperti, cantabunt formulam *Benedicat vos,* de more populo benedicentes : a qua benedictione abstinebunt, assistente Episcopo loci Ordinario, aut alio Praesule, qui ipso Episcopo sit maior, ad quem pertinet eam impertiri.

7. Ad ecclesiam accedentes, Pontificalia celebraturi, ab

(1) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 36, p. 376.

eaque recedentes, habitu praelatitio induti, supra Mantelletum Crucem gestare possunt pectoralem, a qua alias abstinebunt; et nisi privatim per aliam portam ingrediantur, ad fores ecclesiae non excipientur ut Ordinarius loci, sed a Caeremoniario ac duobus clericis, non tamen Canonicis sen Dignitatibus; seipsos tantum aqua lustrali signabunt,. tacto aspersorio illis porrecto, et per ecclesiam procedentes populo numquam benedicent.

8. Crux pectoralis, a Protonotariis Participantibus in pontificalibus functionibus adhibenda, aurea erit, cum unica gemma, pendens a funículo serico *rubini* coloris commixto cum auro, et simili flocculo retro ornato.

9. Mitra in ipsorum Pontificalibus erit ex tela aurea (numquam tamen pretiosa) quae cum simplici alternari possit, iuxta Caerem. Episcop. *(I, XVII, nn. 2 ei j);* nec alia Mitra nisi simplici diebus poenitentialibus et in exsequiis eis uti licebit. Pileolo nigri coloris sub Mitra dumtaxat uti poterunt.

**10.** Romae et extra, si ad Missam lectam cum aliqua solemnitate celebrandam accedant, habitu praelatitio induti, praeparationem et gratiarum actionem persolvere poterunt ante altare, in genuflexorio pulvinaribus tantum instructo, vestes sacras ab altari assumere, aliquem clericum *in Sacris* assistentem habere, ac duos inferiores ministros. Fas erit praeterea Canonem et Palmatoriam, Urceum et Pelvim cum Manutergio in lance adhibere. In aliis Missis lectis, a simplici Sacerdote ne differant, nisi in usu Palmatoriae. In Missis autem cum cantu, sed non pontificalibus, uti poterunt etiam Canone et Urceo cum Pelvi et lance ad Manutergium.

**11.** Testimonium autem exhibere cupientes propensae voluntatis Nostrae in perinsignem hunc coetum, qui inter cetera praelatorum Collegia primus dicitur et est in Romana Curia, Protonotariis Participantibus, qui a locorum Ordinariis sunt exempti, et ipsis Abbatibus praecedunt, facultatem facimus declarandi omnibus qui Missae ipsorum intererunt, ubivis ce-

lebrandae, sive in oratoriis privatis, sive in altari portatili, per eiusdem Missae auditionem diei festi praecepto rite planeque satisfieri.

12. Protonotarius Apostolicus de numero Participantium, qui ante decimum annum ab adepto Protonotariatu Collegium deseruerit, aut qui a decimo saltem discesserit, et per quinque alios, iusta Xysti V Constitutionem, iisdem privilegiis gavisus fuerit, inter Protonotarios *ad instar* eo ipso erit adscriptus.

## II. *Protonotarii Apostolici Supr anumerar ii.*

13. Ad hunc Protonotariorum ordinem nemo tamquam privatus aggregabitur, sed iis tantum aditus fiet, qui Canonicatu potiuntur in tribus Capitulis Urbis Patriarchalium, id est Lateranensis Ecclesiae, Vaticanae ac Liberiane; itemque iis qui Dignitate aut Canonicatu potiuntur in Capitulis aliarum quarumdam extra Urbem ecclesiarum, quibus privilegia Protonotariorum *de numero* Apostolica Sedes concesserit, ubique fruenda. Qui enim aut in propria tantum ecclesia vel dioecesi titulo Protonotarii aucti sunt, aut nonnullis tantum Protonotariorum privilegiis fuerunt honestati, neque Protonotariis aliisve Praelatis Urbanis accensebuntur, neque secus habebuntur ac illi de quibus hoc in Nostro documento nn. 80 et 81 erit sermo.

14. Canonici omnes, etiam Honorarii, tum Patriarchalium Urbis tum aliarum ecclesiarum de quibus supra, tamquam singuli, insignibus et iuribus Protonotariorum ne fruantur, nec gaudeant nomine et honore Praelatorum, nisi prius a Summo Pontifice inter Praelatos Domesticos per Breve adscripti sint, et alia servaverint quae infra num. 34 dicuntur. Protonotarius autem *ad instar,* qui Canonicis eiusmodi accenseatur, eo ipso privilegia Protonotarii Supranumerarii acquiret.

15. Protonotarii Apostolici Supranumerarii subiecti remanent proprio Ordinario, ad formam Concilii Tridentini *(Sess.*

*XXIV, c.* ***II),*** ac eorum beneficia extra Romanam Curiam vacantia Apostolicae Sedi minime reservantur.

16. Habitum praelatitium gestare valent coloris violacei, in sacris functionibus, idest caligas, collare, talarem vestem cum cauda, nunquam tamen explicanda, neque in ipsis Pontificalibus celebrandis: sericam zonam cum duobus flocculis pariter sericis a laeva pendentibus, et Palliolum, seu Mantelletum supra Rocchetum: insuper nigrum biretum flocculo ornatum coloris *rubini:* pileum item nigrum cum vitta serica, opere reticulato exornata, eiusdem *rubini* coloris, cuius coloris et seriei erunt etiam ocelli, globuli, exiguus torulus collum et anteriores extremitates vestis ac Mantelleti exornans, eorum subsutum, itemque reflexus *(paramani)* in manicis (etiam Roccheti).

17. Alio autem habitu uti poterunt, Praelatorum proprio, vulgo *piano,* in Congregationibus, conventibus, solemnibus audiendis, ecclesiasticis et civilibus, idest caligis et collari violacei coloris, veste talari nigra cum ocellis, globulis, torulo ac subsuto, ut supra, *rubini* coloris, serica zona violacea cum laciniis pariter sericis et violaceis, peramplo pallio talari item serico violaceo, non ondulato, absque subsuto aut ornamentis quibusvis alterius coloris, ac pileo nigro cum chordulis et sericis flocculis *rubini* coloris. Communi habitu incedentes, caligas et collare violacei coloris ac pileum gestare poterunt, ut supra dicitur.

18. Propriis insignibus seu stemmatibus imponere poterunt pileum cum lemniscis ac flocculis duodecim, sex hinc, sex inde pendentibus, eiusdem *rubini* coloris, sine Cruce vel Mitra.

19. Habitum et insignia in choro Dignitates et Canonici Protonotarii gerent, prout Capitulo ab Apostolica Sede concessa sunt; poterunt nihilominus veste tantum uti violacea praelatitia cum zona sub choralibus insignibus, nisi tamen alia vestis tamquam insigne chorale sit adhibenda. Pro usu

Roccheti et Mantelleti in choro attendatur, utrum haec sint speciali indulto permissa; alias enim Protonotarius, praelatitio habitu assistens, neque locum inter Canonicos tenebit, neque distributiones lucrabitur, quae sodalibus accrescent.

20. Cappam laneam violaceam, pellibus ermellini hiberno tempore, aestivo autem *rubini* coloris serico ornatam, induent in Cappellis Pontificiis, in quibus locum habebunt post Protonotarios Participantes. Ii vero Canonici Protonotarii qui Praelati non sunt, seu nomine tantum Protonotariorum, non vero omnibus iuribus gaudent, ut nn. 13 et 14 dictum est, in Cappellis locum non habebunt, neque ultra limites pontificiae concessionis habitu praelatitio et *piano*, de quibus nn. 16 et 17, uti umquam poterunt.

21. Habitu praelatitio induti, Clericis quibusvis, Presbyteris, Canonicis, Dignitatibus, etiam collegialiter unitis, atque Praelatis Ordinum Regularium, quibus Pontificalium privilegium non competat, antecedunt, minime vero Vicariis Generalibus vel Capitularibus, Abbatibus, et Canonicis Cathedralium collegialiter sumptis. Ad Crucem et ad Episcopum non genuflectent, sed tantum sese inclinabunt: duplici ductu thurificabuntur: item si sacris vestibus induti functionibus in choro adsistant.

22. Gaudent indulto Oratorii privati domi rurique, ab Ordinario loci visitandi atque approbandi, in quo, etiam solemnioribus diebus (exceptis Paschatis, Pentecostes, Assumptionis B. M. V., SS. Apostolorum Petri et Pauli, nec non loci Patroni principalis festis) celebrare ipsi Missam poterunt, vel alius Sacerdos, in propriam, consanguineorum, affinium, familiarum et cohabitandum commoditatem, etiam ad praeceptum implendum. Privilegio autem altaris portatilis omnino carere se sciant.

23. Licet iisdem acta conficere de causis Beatificationis et Canonizationis Servorum Dei, quo tamen privilegio uti non poterunt, si eo loci alter sit e Collegio Protonotariorum Participantium.

24. Rite eliguntur in Conservatores Ordinum Regularium aliorumque piorum Institutorum, in Iudices Synodales, in Commissarios et Iudices Apostolicos etiam pro causis beneficialibus et ecclesiasticis. Item apud ipsos professionem Fidei recte emittunt, qui ex officio ad eam adiguntur. Ut autem iuribus et praerogativis, hic et num. 23 expressis, frui possint Canonici Protonotarii in S. Theologia aut in Iure Canonico doctorali laurea insigniti sint oportet.

25. Extra Urbem, et impetrata venia Ordinarii loci, cui erit arbitrium eam tribuendi quoties et pro quibus Solemnitatibus voluerit, atque obtento etiam consensu Praelati ecclesiae exemptae, in qua forte celebrandum sit, pontificali ritu Missas et Vesperas aliasque sacras functiones peragere poterunt. Quod functiones attinet collegialiter, seu Capitulo praesente, celebrandas, a propriis Constitutionibus, de Ordinarii consensu, provideatur, iuxta Apostolica Documenta.

26. Ad ecclesiam accedentes, Pontificalia celebraturi, ab eaque recedentes, habitu praelatitio induti, supra Mantelletum Crucem gestare possunt pectoralem (a qua alias abstinebunt): et nisi privatim per aliam portam ingrediantur, ad fores ecclesiae non excipientur ut Ordinarius loci, sed a Caeremoniarii et duobus clericis, non tamen a Canonicis seu Dignitatibus : seipsos tantum aqua lustrali signabunt, tacto aspersorio sibi porrecto, et per ecclesiam procedentes populo numquam benedicent.

27. Pontificalia agent ad Faldistorium, sed vestes sacras in sacrario assument et déponent, quae in Missis erunt: *a)* Caligae et sandalia serica cum orae textu ex auro ; *b)* Tunicella et Dalmatica; *c)* Crux pectoralis sine gemmis, e chordula serica *rubini* ex integro coloris pendens, auro non intertexta, simili flocculo retro ornata; *d)* Chirothecae sericae, sine ullo opere phrygio, sed tantum orae textu auro distinctae ; *e)* Annulus cum unica gemma ; *f)* Mitra ex serico albo, sine ullo opere phrygio, sed tantum cum orae textu ex auro,

et cum laciniis similiter aureis, quae cum simplici ex lino alternan poterit, iuxta Caerem. Episcopor. *(I, XVII, nn. 2 et ß);* haec vero simplex, diebus poenitentialibus et in exsequiis una adhibebitur; *g)* Canon et Palmatoria, a qua abstinendum coram Ordinario seu maiori; *h)* Urceus et Pelvis cum Mantili in lance; *i)* Gremiale.

28. In Vesperis solemnibus (post quas benedictionem non impertientur) aliisque sacris functionibus pontificaliter celebrandis, Mitra, Cruce pectorali, Annulo utentur, ut supra. Pileolus nigri dumtaxat coloris, nonnisi sub Mitra ab eis poterit adhiberi.

29. In pontificalibus functionibus eisdem semper interdicitur usus throni, pastoralis baculi et cappae; in Missis autem pontificalibus, septimo candelabro super altari non utentur, nec plurium Diaconorum assistentia; Presbyterum assistentem pluviali indutum habere poterunt-, non tamen coram Episcopo Ordinario aut alio Praesule, qui ipso Episcopo sit maior; intra Missam manus lavabunt ad Ps. *Lavabo* tantum. Loco *Dominus vobiscum,* nunquam dicent *Pax vobis;* trinam benedictionem impertientur nunquam, nec versus illi praemittent *Sit nomen Domini* et *Adiutorium,* sed in Missis tantum pontificalibus, Mitra cooperti, cantabunt formulam *Benedicat vos,* de more populo benedicentes : a qua benedictione abstinebunt assistente Episcopo loci Ordinario aut alio Praesule, qui ipso Episcopo sit maior, cuius erit eam impertiri. Coram iisdem, in Pontificalibus celebrantes, Mitra simplici solummodo utantur, et dum illi sacra sumunt "paramenta, aut solium petunt vel ab eo recedunt, stent sine Mitra.

30. De speciali commissione Ordinarii, Missam quoque pro defunctis pontificali ritu celebrare poterunt Protonotarii Supranumerarii, cum Absolutione in fine, Mitra linea utentes; numquam tamen eamdem Absolutionem impertiri illis fas erit, post Missam ab alio celebratam; quod ius uni reservatur Episcopo loci Ordinàrio.

31. Romae et extra, si ad Missam lectam cum aliqua solemnitate celebrandam accedant, habitu praelatitio induti, praeparationem et gratiarum actionem persolvere poterunt ante altare in genuflexorio pulvinaribus tantum instructo, vestes sacras ab altari assumere (non tamen Crucem pectoralem et Annulum) aliquem clericum *in Sacris* assistentem habere, ac duos inferiores ministros; Canonem et Palmatoriam, Urceum et Pelvim cum Manutergio in lance adhibere: sed ante *t. Communio* manus ne lavent. In aliis Missis lectis a simplici Sacerdote ne differant, nisi in usu Palmatoriae : in Missis autem cum cantu, sed non pontificalibus, uti poterunt etiam Canone, Urceo cum Pelvi, ac lance ad Manutergium, nisi ex statutis vel consuetudine in propria ecclesia haec prohibeantur.

32. Canonico Protonotario Apostolico Supranurherario Pontificalia peragere cum ornamentis ac ritu superius enunciatus fas non erit, nisi infra terminos propriae dioecesis; extra autem, nonnisi ornatu et ritu, prout Protonotariis *ad instar,* ut infra dicetur, concessum est.

33. Cum tamen Canonicos trium Patriarchalium Urbis, ob earumdem praestantiam, aequum sit excellere privilegiis, eo vel magis quod in Urbe, ob Summi Pontificis praesentiam, Pontificalium privilegium exercere nequeunt, illis permittitur, ut in ecclesiis totius terrarum orbis, impetrata Ordinariorum venia, ac Praesulum ecclesiarum exemptarum consensu, Pontificalia agant cum ritu atque ornamentis nn. 27, 28, 29 recensitis. Insuper, licet aliquis ex ipsis inter Praelatos nondum fuerit adscriptus, Palmatoria semper, etiam in privatis Missis uti poterit.

34. Recensita hactenus privilegia illa sunt quibus dumtaxat Protonotarii Apostolici Supranumerarii fruuntur. Verum, cum eadem collective coetui Canonicorum conferantur, Canonici ipsi, tamquam singuli, ' iis uti nequibunt, nisi Praelati Urbani fuerint nominati et antea suae ad Canonicatum vel Dignitatem promotionis et auspicatae iam possessionis, atque

inter Praelatos aggregationis, ut num. 14 dicitur, testimonium Collegio Protonotariorum Participantium exhibuerint; coram ipsius Collegii Decano, vel per se vel per legitimum procuratorem, Fidei professionem et fidelitatis iusiurandum de more praestiterint, ac de his postea, exhibito documento, proprium Ordinarium certiorem fecerint. Quibus expletis, eorum nomen in sylloge Protonotariorum Apostolicorum recensebitur.

35. Canonici ecclesiarum extra Urbem, qui ante Nostri huius documenti Motu Proprio editi publicationem, privilegia Protonotariorum, una cum Canonicatu, sunt assequuti, ab expeditione Brevis de quo supra, num. 14, dispensantur; iusiurandum tamen fidelitatis coram Ordinario suo praestabunt infra duos menses.

36. Collegialiter tamquam Canonici pontificalibus functionibus, iuxta Caeremoniale Episcoporum, sacris vestibus induti adsistentes non alia Mitra utantur, quam simplici, nec unquam hoc et ceteris fruantur Protonotariorum insignibus et privilegiis extra propriam ecclesiam, nisi in diplomate concessionis aliter habeatur. Canonicus tamen, qui forte ad ordinem saltem Subdiaconatus non sit promotus, neque in choro cum aliis Mitra unquam utatur. In functionibus autem praedictis inservientem de Mitra non habebunt, prout in Pontificalibus uni Celebranti competit. Qui in Missa solemni Diaconi, Subdiaconi aut Presbyteri assistentis munus agunt, dum Dignitas, vel Canonicus, aut alter Privilegiarius pontificaliter celebrant, Mitra non utentur; quam tamen adhibere poterunt Episcopo solemniter celebrante, ut dictum est de collegialiter adsistentibus, quo in casu, cum ministrant, aut cum Episcopo operantur, maneant detecto capite.

37. Protonotarius Supranumerarius defunctus efferri aut tumulari cum Mitra non poterit, neque haec eius feretro imponi.

38. Ne autem Protonotariorum numerus plus aequo augeatur, prohibemus, ne in posterum in ecclesiis, de quibus

supra, Canonici Honorarii, sive infra, sive extra dioecesim degant, binas partes excedant eorum, qui Capitulum iure constituunt.

39. Qui secus facere, aliisve, praeter memorata, privilegiis et iuribus uti praesumpserint, si ab Ordinario semel et bis admoniti non paruerint, eo ipso, Protonotariatus titulo, honore, iuribus et privilegiis, tamquam singuli, privatos se noverint.

40. Sciant praeterea, se, licet forte plures una simul, non tamquam unius ecclesiae Canonici, sed tamquam Protonotarii conveniant, non idcirco Collegium praelatitium constituere ; verum quando una cum Protonotariis de numero Participantium concurrunt, v. gr. in Pontificia Cappella, tunc quasi unum corpus cum ipsis effecti censentur, sine ullo tamen amplissimi Collegii praeiudicio, ac servatis eiusdem Cappellae et Familiae Pontificiae consuetudinibus.

41. Si quis (exceptis Canonicis trium Patriarchalium Urbis) quavis ex causa Dignitatem aut Canonicatum dimittat, cui titulus, honor et praerogativae Protonotarii Apostolici Supranumerarii adnexa sint, ab eiusmodi titulo, honore et praerogativis statim decidet. Qui vero Pontificium Breve inter Praelatos aggregationis obtinuerit, horum tantum privilegiis deinceps perfruetur.

### III. *Protonotarii Apostolici ad instar.*

42. Inter Protonotarios Apostolicos *ad instar* Participantium illi viri ecclesiastici adnumerantur, quibus Apostolica Sedes hunc honorem conferre voluerit, ac praeterea Dignitates et Canonici alicuius Capituli praestantioris, quibus collegialiter titulus et privilegia Protonotariorum, cum addito *ad instar*, ubique utenda, fuerint ab eadem Apostolica Sede collata. Canonici enim, qui aut in propria tantum ecclesia vel dioecesi titulo Protonotarii aucti sunt, aut nonnullis tantum Protonotariorum privilegiis fuerunt honestati, neque Pro-

tonotariis aliisve Praelatis Urbanis accënsebuntur, neque secus habebuntur ac illi de quibus hoc in Nostro documento nn. 80 et 81 erit sermo.

43. Qui Protonotarii Apostolici *ad instar* tamquam singuli iuribus honorantur, eo ipso sunt Praelati Domus Pontificiae; qui vero ideo sunt Protonotarii quia alicuius ecclesiae Canonici, Praelatis Domesticis non adnumerantur, nisi per Breve Pontificium, ut num. 14 dictum est. Omnes Protonotarii *ad instar* subiecti remanent, ad iuris tramitem, Ordinario loci.

44. Beneficia illorum, qui Protonotarii *ad instar* titulo et honore gaudent tamquam Canonici alicuius Capituli, si vacent extra Romanam Curiam, Apostolicae Sedi minime reservantur. Beneficia vero eorum, qui tali titulo et honore fruuntur, tamquam privata persona, non poterunt nisi ab Apostolica Sede conferri.

45. Quod pertinet ad habitum praelatitium, *pianum* et communem, stemmata et choralia insignia, habitum et locum in Pontificia Cappella, omnia observabunt, uti supra dictum est de Protonotariis Supranumerariis, nn. 16', 17, 18, 19, 20.

46. Iisdem iuribus gaudebunt, praecedentiae, privati oratorii, conficiendi acta Beatificationis et Canonizationis, passivae electionis in Conservatores, ceterisque; item recipiendae Fidei professionis, reverentiae ad Crucem, thurificationis, quibus omnibus fruuntur Protonotarii Supranumerarii, ut supra nn. 21, 22, 23, 24, ac iisdem sub conditionibus.

47. De venia Ordinarii et Praesulis consensu ecclesiae exemptae, extra Urbem, Missas, non tamen de requie, pontificali ritu et ornatu celebrare poterunt, prout supra notatur, ubi de Protonotariis Supranumerariis, nn. 25, 26, 27, 28, 29; verum his legibus : Nec Faldistorio nec Grertiiali unquam utantur, sed una cum Ministris in scamno, cooperto panno coloris diei, sedeant ; câligis et sandaliis utantur sericis tantum, cum orae textu item serico flavi coloris ornato, et similiter sericis chirothecis sine alio ornamento; Mitra simplici

ex serico damasceno, nullo ornamento, ne in oris quidem distincta, cum rubris laciniis ad vittas. Extra Cathedrales ecclesias tantum, assistentem Presbyterum habere poterunt pluviali indutum, dummodo non assistat Episcopus Ordinarius aut alius Praesul ipso Episcopo maior. Crucem pectoralem auream sine gemmis gerent, appensam funiculo serico violacei ex integro coloris, auro non intertexto. Omnia, quae in Missa cantanda vel legenda sunt, nunquam ad scamnum, sed ad altare cantabunt et legent. Manus infra Missam lavent tantum ad Ps. *Lavabo.*

48. Poterunt insuper, pariter extra Urbem, de venia Ordinarii et cum Praesulis ecclesiae exemptae consensu, Mitra, Cruce pectorali et Annulo ornati, ad scamnum, more Presbyterorum, celebrare Vesperas illius festi, cuius Missam ipsi pontificaliter acturi sint, vel peregerint (absque benedictione in fine). Iisdem ornamentis eodemque ritu uti licebit, de speciali tamen commissione Ordinarii, in Vesperis festi, cuius Missa in pontificalibus ab alio quolibet Praelato celebretur, itemque in benedictione cum Sanctissimo Sacramento solemniter (non tamen trina) impertienda, in Processionibus, et in una ex quinque absolutionibus in solemnioribus exsequiis, de quibus in Pontificali Romano.

49. Romae Missam lectam, aliqua cum solemnitate celebrantes, si praelatitio habitu sint induti, ea retineant, quae de Protonotariis Supranumerariis n. 31 constituta sunt; extra Urbem, de speciali tamen commissione Ordinarii, eodem modo se gerent; aliis in Missis et functionibus, tamquam Praelati Domestici, ut n. 78, Palmatoriam tantum, si velint, adhibeant.

50. Qui Canonicorum coetui adscriptus, cui hactenus recensita Protonotariorum *ad instar* privilegia concessa sint, tamquam privata persona iisdem uti velit, prius Breve Pontificium, ut dicitur nn. 14 et 43, de sua inter Praelatos Domesticos aggregatione, servatis servandis, obtineat, simulque suae ad Canonicatum vel Dignitatem promotionis, initaeque

possessionis ac inter Praelatos aggregationis testimonium Collegio Protonotariorum Participantium exhibeat. Tum coram ipsius Collegii Decano, vel per se vel per legitimum procuratorem, Fidei professionem ac fidelitatis iusiurandum, de more, praestet; de his denique exhibito documento proprium Ordinarium certiorem faciat. Qui vero tamquam privata persona huiusmodi titulum rite fuerit consecutus, non ante privilegiis eidem titulo adnexis uti poterit, quam legitimum suae nominationis testimonium memorato Collegio exhibuerit, Fidei professionem et fidelitatis iusiurandum, uti supra, ediderit, de hisque omnibus authenticum documentum suo Ordinario attulerit. Haec ubi praestiterint, eorum nomen in sylloge Protonotariorum recensebitur.

51. Qui ante has Litteras, Motu Proprio editas, iuribus gaudebant Protonotarii *ad instar*, tamquam alicuius ecclesiae Canonici, a postulatione Brevis, de quo in superiori numero, dispensantur, quemadmodum et a iureiurando, ut ibidem dicitur, praestando, quod tamen proprio Ordinario infra duos menses dabunt.

52. Habitum et insignia in choro Dignitates et Canonici Protonotarii gerent, prout Capitulo ab Apostolica Sede concessa sunt; poterunt nihilominus veste tantum uti violacea praelatitia cum zona sub choralibus insignibus, nisi tamen alia vestis, tamquam insigne chorale sit adhibenda. Pro usu Roccheti et Mantelleti in choro attendatur, utrum haec sint speciali indulto permissa; alias enim Protonotarius, habitu praelatitio assistens, neque locum inter Canonicos tenebit, neque distributiones acquiret, quae sodalibus accrescent.

53. Collegialiter tamquam Canonici pontificalibus functionibus, iuxta Caeremoniale Episcoporum, sacris vestibus induti assistentes, non alia Mitra utentur quam simplici, nec unquam hoc aliisve supra memoratis insignibus et privilegiis extra propriam ecclesiam, nisi in concessionis diplomate aliter habeatur. Canonicus tamen, qui forte ad ordinem saltem Sub-

diaconatus non sit promotus, ne in choro quidem cum aliis Mitra unquam utatur. In functionibus autem praedictis inservientem de Mitra non habebunt, prout in Pontificalibus uni Celebranti competit. Qui in Missa solemni Diaconi, Subdiaconi aut Presbyteri assistentis munus agunt, dum Dignitas, vel Canonicus, aut alter Privilegiarius pontificaliter celebrant, Mitra non utentur; quam tamen adhibere poterunt, Episcopo solemniter celebrante, ut dictum est de collegialiter adsistentibus, quo in casu, cum ministrant, aut cum Episcopo operantur, maneant detecto capite.

54. Protonotarius *ad instar* defunctus efferri aut tumulari cum Mitra non poterit, nec eius feretro ipsa imponi.

55. Ne autem Protonotariorum numerus plus aequo augeatur, prohibemus, ne in posterum in ecclesiis, de quibus supra, Canonici Honorarii, sive infra, sive extra dioecesim degant, binas partes excedant eorum, qui Capitulum iure constituunt.

56. Qui secus facere, aliisve, praeter memorata, privilegiis et iuribus uti praesumpserint, si ab Ordinario semel et bis admoniti non paruerint, eo ipso, Protonotariatus titulo, honore, iuribus et privilegiis, tamquam singuli, privatos se noverint.

57. Sciant praeterea, se, licet forte plures una simul, non tamquam unius ecclesiae Canonici, sed tamquam Protonotarii, conveniant, non idcirco Collegium Praelatitium constituere; verum, quando una cum Protonotariis de numero Participantium concurrunt, v. gr. in Pontificiis Cappellis, tunc quasi unum corpus cum ipsis censentur, sine ullo tamen amplissimi Collegii praeiudicio, ac servatis eiusdem Cappellae et Familiae Pontificiae consuetudinibus.

58. Si quis, quavis ex causa, Dignitatem aut Canonicatum dimittat, cui titulus, honor et praerogativae Protonotariorum *ad instar* adnexa sint, statim ab iisdem titulo, honore et praerogativis decidet. Qui vero Pontificium Breve inter

Praelatos aggregationis obtinuerit, horum tantum privilegiis deinceps perfruetur.

IV. *Protonotarii Apostolici Titulares seu Honorarii.*

59. Cum Apostolica Sedes, non sibi uni ius reservaverit Protonotarios Titulares seu honorarios nominandi, sed Nuntiis Apostolicis, Collegio Protonotariorum Participantium et forte aliis iamdiu illud delegaverit, antequam de eorum privilegiis ac praerogativis aliquid decernamus, leges seu conditiones renovare placet, quibus rite honesteque ad huiusmodi dignitatem quisque Candidatus valeat evehi, iuxta Pii PP. VII Praedecessoris Nostri Constitutionem « *Cum innuneri* », Idibus decembr, MDCCCXVIII datam.

60. Quoties igitur de honorario Protonotariatu assequendo postulatio praebeatur, proferantur, ab Ordinario recognita, testimonia quibus constet indubie ; i°. de honesta familiae conditione; 2°. de aetate saltem annorum quinque et viginti ; 3°. de statu clericali ac caelibi ; 4°. de Laurea doctoris in utroque, aut canonico tantum iure, vel in S. Theologia, vel in S. Scriptura; 5°. de morum honestate et gravitate, ac de bona apud omnes aestimatione ; 6°. de non communibus in Ecclesiae bonum provehendum laudibus comparatis; 7°, de idoneitate ad Protonotariatum cum decore sustinendum, habita etiam annui census ratione, iuxta regionis cuiusque aestimationem.

61. Quod si huiusmodi Protonotariatus honor alicui Canonicorum coetui collective ab Apostolica Sede conferatur (quod ius, collective Protonotarios nominandi, nemini censeri posse delegatum declaramus), eo ipso, quo quis Dignitatem aut Canonicatum est legitime consequutus, Protonotarius nuncupabitur.

62. Pariter, qui Vicarii Generalis aut etiam Capitularis munere fungitur, hoc munere dumtaxat perdurante, erit Protonotarius Titularis ; hinc, si Dignitate aut Canonicatu in

Cathedrali non gaudeat, quando choro interesse velit, habitu Protonotarii praelatitio, qui infra describitur, iure utetur.

63. Protonotarii Apostolici Titulares sunt Praelati extra Urbem, qui tamen subiecti omnino manent locorum Ordinariis, Praelatorum Domus Pontificiae honoribus non gaudent, neque inter Summi Pontificis Familiares adnumerantur.

64. Extra Urbem, dummodo Summus Pontifex eo loci non adsit, in sacris functionibus rite utuntur habitu praelatitio, nigri ex integro coloris, idest veste talari, etiam, si libeat, cum cauda (nunquam tamen explicanda), zona serica cum duobus flocculis a laeva pendentibus, Roccheto, Man telle to et bireto, absque ulla horum omnino parte, subsuto aut ornamento alterius coloris.

65. Extra Urbem, praesente Summo Pontifice, descripto habitu indui possunt, si hic tamquam chorale insigne concessus sit, vel si quis uti Vicarius adfuerit.

66. Habitu praelatitio induti, omnibus Clericis, Presbyteris, etiam Canonicis, singulatim sumptis, praeferantur, non vero Canonicis, etiam Collegiatarum, collegialiter convenientibus, neque Vicariis Generalibus et Capitularibus, aut Superioribus Generalibus Ordinum Regularium, et Abbatibus, ac Praelatis Romanae Curiae ; non genuflectunt ad Crucem vel ad Episcopum, sed tantum se inclinant, ac duplici ductu thurificantur.

67. Super habitu quotidiano, occasione solemnis conventus, audientiae et similium, etiam Romae et coram Summo Pontifice, zonam tantum sericam nigram, cum laciniis item nigris, gestare poterunt, cum pileo chordula ac floccis nigris ornato.

68. Propriis insignibus, seu stemmatibus, pileum imponere valeant, sed nigrum tantummodo, cum lemniscis, et sex hinc, sex inde flocculis pendentibus, item ex integro nigris.

69. Si quis Protonotarius Titularis, Canonicatus aut Dignitatis ratione, choro intersit, circa habitum se gerat iuxta

normas Protonotariis *ad instar* constitutas, num. 52, vestis colore excepto.

70. Sacris operantes, a simplicibus Sacerdotibus minime differant ; attamen extra Urbem in Missis et Vesperis solemnibus, pariterque in Missis lectis aliisque functionibus solemnius aliquando celebrandis, Palmatoria tantum ipsis utenda conceditur, excluso Canone aliave pontificali supellectili.

71. Quod pertinet ad acta in causis Beatificationis et Canonizationis, et ad passivam electionem in Conservatores ac cetera, iisdem iuribus gaudent, quibus fruuntur Protonotarii Supranumerarii, uti nn. 23 et 24 supra dictum est.

72. Beneficia eorum qui, tamquam privatae personae, Protonotariatum Titularem assequuti sunt, non vero qui ratione Vicariatus, Canonicatus sive Dignitatis eodem gaudent, ab Apostolica tantum Sede conferantur.

73. Noverint autem, se, licet forte plures una simul, non tamquam unius ecclesiae Canonici, sed tamquam Protonotarii, conveniant, non ideo Collegium constituere.

74. Tandem qui Protonotariatu Apostolico honorario donad sunt, tamquam privatae personae, titulo, honoribus et privilegiis Protonotariatus uti nequeunt, nisi antea diploma suae nominationis Collegio Protonotariorum Participantium exhibuerint, Fideique professionem, ac fidelitatis iusiurandum coram Ordinario, aut alio viro in ecclesiastica dignitate constituto emiserint. Qui vero ob Canonicatum, Dignitatem, aut Vicariatum, eo potiti fuerint, nisi idem praestiterint, memoratis honoribus et privilegiis, quae superius recensentur, tantummodo intra propriae dioecesis limites uti poterunt.

75. Qui secus facere, aliisque, praeter descripta, privilegiis uti praesumpserint, si ab Ordinario semel et bis admoniti non paruerint, eo ipso honore et iuribus Protonotarii privatos se sciant : quod si Protonotariatum, tamquam privata persona adepti sint, etiam titulo.

76. Vicarii Generales vel Capitulares, itemque Dignitates

et Canonici nomine atque honoribus Protonotariatus titularis gaudentes, si, quavis ex causa, a munere, Dignitate aut Canonicatu cessent, eo ipso, titulo, honoribus et iuribus ipsius Protonotariatus excident.

### B). De ceteris Praelatis Romanae Curiae

77. Nihil detractum volumus honoribus, privilegiis, praeeminentiis, praerogativis, quibus alia Praelatorum Romanae Curiae Collegia, Apostolicae Sedis placito, exornantur.

78. Insuper concedimus, ut omnes et singuli Praelati Urbani seu Domestici, etsi nulli Collegio adscripti, ii nempe, qui tales renunciati, Breve Apostolicum obtinuerint, Palmatoria uti possint (non vero Canone aut alia pontificali supellectili) in Missa cum cantu, vel etiam lecta, cum aliqua solemnitate celebranda; item in Vesperis aliisque solemnibus functionibus.

79. Hi autem habitum, sive praelatitium sive quem vocant *pianum,* gestare poterunt, iuxta Romanae Curiae consuetudinem, prout supra describitur nn. 16, 17; numquam tamen vestis talaris caudam explicare, neque sacras vestes ex altari assumere valeant, nec alio uti colore, quam violaceo, in bireti flocculo et pilei vitta, opere reticulato distincta, sive chordulis et flocculis, etiam in pileo stemmatibus imponendo ut n. 18 dictum est, nisi, pro eorum aliquo, constet de maiori particulari privilegio.

### C). De dignitatibus, canonicis et aliis, qui nonnullis privilegiis praelatorum propriis fruuntur

80. Ex Romanorum Pontificum indulgentia, insignia quaedam praelatitia aut pontificalia aliis Collegiis, praesertim Canonicorum, eorumve Dignitatibus, quocumque nomine nuncupentur, vel a priscis temporibus tribui consueverunt; cum autem eiusmodi privilegia deminutionem quamdam episcopali dignitati videantur afferre, idcirco ea sunt de iure strictissime interpretanda. Huic principio inhaerentes, expresse volumus,

ut in Pontificalium usu nemini ad aliquod ex supra memoratis Collegiis pertinenti in posterum ampliora suffragentur privilegia, quam quae, superius descripta, competunt Protonotariis sive Supranumerariis, sive *ad instar,* et quidem non ultra propriae ecclesiae, aut ad summum dioeceseos, si hoc fuerit concessum, limites; neque ultra dies iam designatos, aut determinatas functiones; et quae arctiora sunt, ne augeantur.

8**1.** Quoniam vero de re agitur haud parvi momenti, quippe quae ecclesiasticam respicit disciplinam, ne quis audeat arbitraria interpretatione, maiora quam in concedentis voluntate fuerint, sibi privilegia vindicare; quin potius paratum sese ostendat, quatenus illa excesserint, minoribus coarctari; singulis locorum Ordinariis, quorum sub iurisdictione vel quorum in territorio, si de exemptis agatur, aliquis ex praedictis coetibus inveniatur, demandamus, ut, tamquam Apostolicae Sedis Delegati, Apostolicarum Concessionum documenta ipsis faventia, circa memorata privilegia, infra bimestre tempus, ab hisce Nostris Ordinationibus promulgatis, sub poena immediatae amissionis eorum quae occultaverit, ad se transmitti curent, quae intra consequentem mensem ad Nostram SS. Rituum Congregationem mittant. Haec autem, pro suo munere, omnia et singula hisce Nostris dispositionibus aptans, declarabit et decernet, quaenam in posterum illis competant.

Haec omnia rata et firma consistere auctoritate Nostra volumus et iubemus: contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, die xxi Februarii MCMV, Pontificatus Nostri anno secundo.

PIVS PP. X

# ACTA ROM. CONGREGATIONUM

## EX S. CONGR. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

**

### PARISIEN.

EXEMPTIONIS

**Circa exemptionem Congregationis Missionis a iurisdictione Ordinariorum in foro interno.**

**Species facti.** Pluribus abhinc annis in Congregatione Missionariorum S. Vincentii a Paulo agitabatur quaestio, num ipsorum Institutum, votorum dumtaxat simplicium, quoad approbationem confessariorum pro alumnis internis a iurisdictione Ordinariorum exemptum esset. Anno 1878 Revmus P. Fiat, Superior Generalis, H. S. C. sequens dubium proposuit: « Utrum presbyteri Congñis Missionis, a Visitatore in unaquaque domo designati ad audiendas confessiones suorum confratrum, iurisdictionem accipiant immediate a Superioribus vi exemptionis ab Ordinariis, Brevibus Apostolicis concessae; vel necesse sit ut approbati sint ab Ordinario iuxta praescriptionem Regularum et fere omnium italorum Missionariorum sententiam ». Et S. C. die 23 Sept. 1881 reformato dubio ex officio: « *Utrum membrum Congñis Missionis possit, absque licentia Superioris, confessionem sacramentalem valide peragere apud sacerdotem externum approbatum, dum facile habere posset confessarium etiam in Congñe* », respondere censuit: « *Negative* » (1).

Haec autem sententia pluribus eiusdem Sodalitatis presbyteris minime arrisit, qui, contendentes H. S. C. quaestionem generalem dirimere noluisse, beneficium novae audientiae petierunt et tandem obtinuerunt, repropositâ controversia sub infrascriptis dubiis.

(1) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 14, p. 271-274.

**Rationes pro exemptione.** Orator, qui exemptionem etiam quoad confessarios approbandos tuetur, imprimis arguit ex vi *rei iudicatae,* quae maximi ponderis est, eo vel magis quod a. 1894 per responsionem ab H. S. C. datam Sodalitati SSmi Redemptoris in casu analogo confirmata fuit (i).

Deinde advocatus thesim suam probare nititur ex ipso facto totalis exemptionis ab Ordinariorum potestate, nempe: i°) ex erectionis Bulla *Salvatoris Nostri* Urbani VIII d. 12 Ian. 1632, in qua Pontifex, postquam statuerit quod socii illius Congñis Superioribus « *quoad disciplinam et directionem subsint* », addit: « Quo vero ad Missiones tantum, etiam Ordinariis locorum... subesse debeant, adeo ut in reliquis dictus Superior Generalis in omnes domos... et *personas omnimodam superioritatem et auctoritatem habeat».* Heic autem, iuxta ipsum, non agitur de potestate oeconomica et administrativa sed iurisdictionali, quum certe praesumendum sit Urbanum VIII exemptionem concessisse iuxta instantiam a S. Vincentio oblatam, quae sequentis tenoris est : « Dictosque Praepositum, presbyteros et quascumque personas... *a iurisdictione suorum Ordinariorum liberare, a S. Sede Apostolica dependeré placeat ».*

2°) ex Brevi *Ex Commissa Nobis* Alexandri VII d. 22 Septembris 1655, ubi legitur: « *Statuentes ut dicta Congregatio Missionis exempta sit a subiectione locorum Ordinariorum in omnibus,* excepto quod ... subsint ipsis Ordinariis tantum quoad Missiones et ea quae illas concernunt, utque dicta Congregatio... sit de corpore cleri saecularis ». Iamvero, ait patronus,

(i) **Quidquid sit de praesenti controversia Congñis Missionis, certum est in SSmi Redemptoris Instituto confessionem, sacerdoti interno ab Ordinario tantum approbato aut etiam confessario extraneo factam absque Superioris licentia, nedum illicitam sed omnino invalidam censendam esse. Ratio est quia Redemptoristae per Brevia *Sacrosanctum Apostolatus* Pii VI diei** 21 **Aug.** 1789, **et *Qui sicut boni* Pii VII diei** 16 **Sept.** 1807 **plenam exemptionem a iurisdictione Ordinariorum consecuti sunt; quemadmodum H. S. C. die** 16 **Sept.** 1864 **iuridice declaravit *(N. R.).***

sermo hic habetur de vera exemptione in sensu iuris, quia subiectio et iurisdictio, veluti emptio et venditio, sunt voces correlativae, quarum una alteram supponit et includit. Nec in iure praescribitur taxativa formula pro exemptione concedenda, quum sufficiant quaelibet verba, quae voluntatem Pontificis clare ostendant, declarante Bonifacio VIII *(Lib. V, tit.* 7, *cap. io in 6°)* : « Si autem ecclesiae vel monasterio exemptionis privilegio concedendo... asserat *(Pontifex)* ipsam ecclesiam fore exemptam... aut *si dicat indefinite...* per hoc plene debet exempta huiusmodi ecclesia iudicari... ». Quod plene confirmatur subsequenti Brevi *Pastoralis Officii* eiusdem Pontificis, diei 5 Oct. 1662.

3°) ex Brevi *Exponi Nobis* Benedicti XIII d. 17 Febr. 1725, in quo confirmata fuit facultas et praxis: « Superioribus praedictae Congñis Missionis concedendi litteras dimissorias suis subditis... *in vim Const. Apost. fel. rec. Urbani VIII et Alexandri VII... per quas dicta Congregatio ab Ordinariorum iurisdictione,* exceptis pertinentibus ad Missiones dumtaxat, *exempta reperitur* ». Quod firmatur a Brevi *A equa Apostolicae* Benedicti XIV d. 5 Apr. 1744, ubi fere eadem verba leguntur. Facultas autem Missionariis iter peragentibus confessiones suas excipiendi, absque Ordinariorum approbatione, per Breve *Apostolici muneris* Clementis X concessa fuit tantum « *abundantioris cautelae gratia »,* uti ibidem innuitur attentis nempe nonnullorum dubitationibus. Caeterum non raro accidit ut a S. Sede facultates concedantur, quae per se necessariae non essent ; ita exemplum typicum habetur in *Decretalibus (Lib. V, tit. 28, cap. 16):* « Ne pro dilatione poenitentiae periculum immineat animarum, permittamus Episcopis et aliis Superioribus necnon minoribus Praelatis exemptis, ut, etiam praeter sui Superioris licentiam, providum et discretum sibi possint eligere confessarium ».

Patrocinator demum recurrit ad plenae exemptionis usum, qui in Congñe Missionis a tempore S. Fundatoris invaluit.

Etenim ipse exemptionem petiit ab Urbano VIII, et saltem ab Alexandro VII obtinuit, uti ex dictis apparet. Quinimo illam pure ac simpliciter acceptavit; sive quia in Brevi Alexandrino invenitur dispositio praeceptiva « *Statuentes...* »; sive quia S. Vincentius illam habuit uti donum Dei, prouti liquet ex ipsius epistolis ad Dños Joly et Platiron; sive quia de facto eamdem exercuit confessores internos approbando, testante Regula Visitatorum statim post Breve Alexandri VII edita: « Penes ipsum *(Visitatorem)* est in qualibet domo... duos nostrorum confessarios ordinarios constituere et destituere. Designabit etiam externorum confessarios, praevia tamen approbatione Ordinariorum ». Ubi, uti liquet, nulla fit mentio de approbatione Ordinariorum quoad internorum confessiones. Quod si S. Fundator in Regula communi statuerit: « Non licet ulli ex nostris, nisi ab Ordinario sit approbatus, confessiones tam nostrorum quam externorum audire », id iussit ante obtentam plenam exemptionem ; idque postea non mutavit ut concordiae praesertim cum Archiepiscopo Parisiensi consuleret; eo vel magis quod approbatio Ordinariorum proprie importat declarationem idoneitatis ad confessiones audiendas, nec semper coniungitur cum iurisdictionis collatione.

Acceptatio praeterea totalis exemptionis, quamvis ne necessaria quidem dici posset, habita fuit in Conventu Generali a. 1668, ubi « Lecta sunt Brevia quaedam Apost... praesertim... circa subiectionem nostram iurisdictioni Ordinariorum...; *dictaque Brevia acceptata fuere* ». Hanc praxim, approbandi nimirum confessarios, successores S. Fundatoris, praesertim Dñi Almeras et Joly respective secundus et tertius Generalis, fideliter custodierunt, et, si necessarium fuerit, defenderunt. In Conventu autem a. 1890 nulla acceptatio fieri debebat de sententia H. S. C d. 23 Sept. 1881, quia ipsa interpretationem non extensivam sed declarativam tantum referebat.

Tandem, iuxta advocatum, usus contrarius confessionem peragendi etiam apud extraneos sacerdotes non potuit cano-

nicam inducere praescriptionem contra Superiores, tum quia innititur tacito ac prudenti ipsorum consensu, tum quia obstat Regula communis statuens : « Sacerdotes bis aut saltem semel in hebdomada uni ex confessariis domus ad hoc deputatis, *et non aliis sine Superioris facultate confessionem facient»*.

**Rationes contra exemptionem.** Patronus exemptionis tantum partialis animadvertit quod hoc Institutum , utpote *« de corpore cleri saecularis »* iuxta Alexandrum VII, ac votorum simplicium, in vim Const. *Emanavit* Benedicti XIV Ordinariorum iurisdictioni in foro interno subiacet, nisi speciali S. Sedis privilegio fruatur. Hoc autem privilegium unquam constat concessum fuisse. Non i°) a Bulla Urbaniana, in qua conceditur dumtaxat quod S. Vincentius petiit, nempe subiectionem Superioribus « *quoad directionem et disciplinam »,* et Ordinariis locorum « *quoad Missiones tantum* » ; quae omnia nonnisi externum forum respiciunt. Nec obstant, iuxta patrocinatorem, eiusdem Const. verba, quae Superioribus *«omnimodam superioritatem et auctoritatem* » in suos subditos tribuant; etenim non absolute sed relative accipienda sunt; quemadmodum inferius explicatur, nempe : « eos amovendi, transferendi, mutandi, etc. ».

Neque 2°) ex Brevibus Alexandrinis, in quibus adduntur tantum vota simplicia, sed quoad exemptionem nihil immutatur. Hoc vel innotescit ex ipsa *subiectionis* voce, qua utitur Pontifex, quaeque differt a *iurisdictione :* subiectio enim animi dispositio ad parendum Superioribus, e contra iurisdictio est potestas regendi subditos; illa actus externos, ista etiam internos respicit. Et hanc in foro tantum externo exemptionem S. Vincentius a Papa petiit adversus Archiepiscopum Parisiensem, qui « omnimodam iurisdictionem et auctoritatem tam in spiritualibus quam *in temporalibus»* in Regularum approbatione sibi vindicavit. Caeterum, prosequitur patrocinator, iuxta Schmalzgrueber *(Part. III, tit. 33, n. 8)* id etiam, quod est iuris communis, esse potest materia privilegii, quando

nempe aliquid speciale in casu conceditur, quod bene privilegii rationem habet.

Sed, ait patronus, non-exemptio clare constat ex Brevi *Apostolici muneris* Clementis X, qui precibus annuens a Dno Almeras, successore immediato S. Vincentii, exhibitis, largitus est ut soli itinerantes sibi invicem confiteri possint: « Qui tamen in dioecesibus ubi residere soliti sint seu unde discesserint, ad confessiones approbati reperiantur...; tametsi in ipsis dioecesibus, in quibus iter agendo reperiuntur, ap^ probati non fuerint ». Cumque igitur itinerantibus dumtaxat illa facultas concessa fuerit, necessario sequitur omnes alios nulla gaudere in foro interno exemptione.

Plena insuper exemptio, iuxta ipsum, opponitur Regulis communibus ita se habentibus : « Sicut non licet ulli ex nostris, *nisi ab Ordinario sit approbatus,* confessiones tam nostrorum quam externorum audire ». Nec valet obiectio adversariorum dicentium hic agi de liceitate, non vero de validitate ; in Regulis enim eadem omnino apponitur conditio pro utraque confessione ; sed confessio externorum invalida est absque Ordinarii approbatione, ergo et internorum.

Quamvis autem daretur totalis exemptionis privilegium, obstaret tamen consuetudo trium ferme saeculorum in contrarium inducta. Certum est enim, ait ipse, S. Vincentium nunquam illud acceptasse, imo contra exemptionem Regulas communes tradidisse, quas ad observandas « *tales quales sunt* » voluit ut quilibet Superior Generalis iurare teneretur. Voluntas S. Fundatoris religiose observata fuit, adeo ut in Statutis a. 1849 legatur: « Ne *minimam* quidem in Const. aut Regulis communibus *mutationem* admittendam esse ». Et praxis dependentiae ad Ordinariis quoad confessiones semper invaluit et etiam hodie obtinet in omnibus Provinciis, non exclusa Gallia ; de hoc enim fidem faciunt Dnus Almeras, necnon ipse Bonnet, qui quamvis erronee admittat Congñem Missionis frui privilegiis approbandi confessarios internos et concedendi

dimissorias, tamen addit: « *Quibus (privilegiis) in Gallia non utimur*, ne offensam incurramus Ordinariorum ». A Praeposito Etienne subsignatus quidem fuit a. 1863 libellus, in quo prima vice asseritur plena exemptio, sed in eiusdem redactione intercessit aliqua mutatio necnon plures errores, ita ut ipse Etienne illum non proposuerit approbationi in Generali Conventu a. 1843, et actualis Praepositus Fiat per Litteras circulares a. 1884 datas denuntiationem errorum inibi contentorum sibi faciendam esse postulaverit. Item, iuxta patronum, non obstat Regula Visitatorum, quia, coeteris omissis, verbum *constituere* ibi adhibitum non significat approbare aut iurisdictionem conferre, sed tantum eligere et deputare.

**Votum Consultoris.** Ipse, utriusque partis rationibus ad examen adductis, praeferendam esse sententiam contra exemptionem in foro interno cense.t, quia altera sententia fundatur in satis incerta interpretatione privilegii Alexandrini, dum ipsa, praeterquamquod exhibet rationabilissimam privilegii Alexandrini interpretationem, Regulae communi, quae est Fundatoris voluntas, necnon consuetudini innititur. Quapropter concludit : Congñem Missionis «esse Institutum presbyterorum saecularium, idemque semper manere quaecumque sint privilegia ei concessa ; posse quidem Superiori Congñis saecularis competere potestatem dominativam sed non iurisdictionem ecclesiasticam , quae tota residet penes Episcopum. Hinc infrapòsitis dubiis respondit: « Praevia recessione a decisis, servandam esse regulam, secundum quam confessarii quoque alumnorum Congñis Missionis approbandi sunt ab Ordinario loci, ut confessio sit valida, eosdemque valide confiteri posse penes quemlibet confessarium ab Ordinario loci approbatum » .

**Dubia.** I. *Se debba confermarsi o revocarsi la decisione delia S. C. dei VV. e RR. dei 23 Settembre 188i nel caso* (i). Et quatenus *negative* ad primum, et *affirmative* ad secundum:

(1) Latine: *Utrum confirmanda vel revocanda sit decisio S. C. EE. et RR. diei 2.3 Septembris 1881 in casu (N. R).*

II. *Se la dipendenza dei Missionari dalla giurisdizione degli Ordinari si estenda anche ad altre materie* de foro interno (1).

**Resolutio.** Et S. Congr. EE. et RR., re mature discussa, die II Decembris 1903 rescripsit:

Ad *I et II Ad mentem. Mens est quod alumni Congregationis Missionis valide confiteri possint penes quemlibet confessarium ab Ordinario loci approbatum, facto ad cautelam verbo cum SSmo.*

Facta de his Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X per infrascriptum Cardinalem S. Congregationis Episcoporum et Regularium Praefectum relatione, Sanctitas Sua resolutionem Sacrae eiusdem Congregationis ratam habuit et confirmavit, die 24 Decembris labentis anni 1903.

D. Card. FERRATA, *Praefectus.*

## Colliges

i°. Congregationes votorum simplicium, nisi speciali privilegio fruantur, Episcoporum potestati in foro interno subduntur, iuxta Constitutiones *Emanavit* Benedicti XIV a. 1749 et *Conditae a Christo* Leonis XIII a. 1900 (2).

2°. Privilegium plenae exemptionis a iurisdictione Ordinariorum concessum fuisse Congregationi Missionis S. Vincentii a Paulo ex pluribus documentis Pontificiis constat.

3°. Utrum autem huiusmodi quoad confessionem privilegium in pleno suo vigore etiam hodie perduret, pluribus de causis certo certius definiri nequit.

4°. Hinc S. Congregatio, quippe quae libertati confessionis fovendae quam coercendae magis prona est, Pontificis facultate ad cautelam obtenta, edidit sententiam pro validitate confessionis in casu.

5°. Ad liceitatem requiritur praeterea licentia Superioris vel saltem iusta causa.

(1) Latine: *An Missionariorum subiectio iurisdictioni Ordinariorum extendatur ad alias quoque materias fori interni (N. R.).*

(2) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 33, p. 3.41, et praecise p. 345, § V.

# EX S. CONGREGATIONE CONCILII

## ALIPHAN.

### Circa interpretationem Decreti super Missas manuales.

*Beatissime Pater,*

Episcopus Aliphanus humiliter petit solutionem sequentium dubiorum, quae sese referunt ad Decretum *Ut debita sollicitudine* editum a S. Congr. Concilii die II Maii 1904 (i).

I. An Missae, quae ex onere perpetuo inhaerent ecclesiae, monasterio, confraternitatibus aut locis piis quibuscumque sed in nulla ecclesia sunt constitutae ita ut a quolibet sacerdote pro administratorum arbitrio ubivis applicari possint, accenseri debeant inter fundatas vel potius inter manuales ad effectum decreti?

II. An sacerdotes, quibus a rectoribus seu administratoribus ecclesiarum committitur satisfactio unius aut plurium legatorum Missarum, in ecclesia fundatorum, possint pro suo arbitrio committere earum Missarum celebrationem aliis sacerdotibus cum minori eleemosyna etiam extra ecclesiam propriam ?

III. An sacerdotes fruentes cappellanus fundatis sive ecclesiasticis sive laicalibus possint aliis sacerdotibus Missas suarum cappellaniam m celebrandas committere statuta eleemosyna pro suo arbitrio?

IV. An Episcopus possit sub censuris latae sententiae compellere sacerdotes, beneficiatus et administratores locorum piorum in fine cuiuslibet anni ad sibi tradendas Missas, quibus infra annum non satisfecerint, et sub iisdem poenis illis prohibere ne mittant extra dioecesim?

(i) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 36, p. 672.

*Die ig Decembris 1904.*

S. Congregatio Concilii Tridentini Interpres praedictis dubiis ita respondendum censuit:

Ad I. Habendas esse ad instar manualium.

Ad II. Non posse.

Ad III. *Negative*, et servandas esse dispositiones articuli XV decreti.

Ad IV. Contra transgressores articuli IV citati decreti Episcopum procedere posse in particulari, servatis de iure servandis, etiam cum censuris.

f VINCENTIUS Card. Episc. Praenest., *Praefectus.*

L. «J* S. Caietanus De Lai, *Secretarius.*

## SOCIETATIS SS. SALVATORIS

### Circa Decretum " De Observandis „.

*Beatissime Pater,*

P. Pancratius Pfeiffer, Procurator Generalis Societatis Divini Salvatoris, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus humillime exponit.

Societas Divini Salvatoris quotannis magnum numerum recipit S. Missarum, quibus ipsa per suos sacerdotes persolvendis impar esse solet. Hucusque Societas fruebatur privilegio, quo obligationibus Missarum persolvendarum, exceptis Missis urgentibus, infra sex menses satisfacere posset; quas vero per suos sacerdotes celebrare non poterat, eas tradere sibi liceret S. C. Visitationis Apostolicae cum stipendio reducto unius libellae, tradita quarta parte harum Missarum cum stipendiis suis integris. Cum Societas, quae indiget quam maxime auxilio amicorum et benefactorum, Missas per litteras plerumque oblatas sine gravi incommodo et damno refutare nequeat, humilis Orator enixe supplicat:

I. Ut praefata Societas etiam in posterum quasvis Missas accipere possit etiam si praevideat futurum esse ut per suos sacerdotes eas celebrare nequeat.

II. Ut obligationibus S. Missarum infra tres menses satisfacere possit, exceptis urgentibus et iis quas accepit statim persolvendas.

III. Ut attestatio Missarum acceptarum, licet nondum persolutarum, a Societate scripto data, Societatem ipsam ab omni obligatione coram Deo et Ecclesia relevet.

IV. Denique supplicat idem humilis Orator ut Societas S. Missarum partem aliquam a Sancta Sede statuendam in utilitatem Collegii Mariani Romani eiusdem Societatis retinere possit.

*Die 27 Februarii 1905.*

S. Congregatio Concilii Tridentini Interpres, vigore facultatum a SSmo Dno Nostro Pio PP. X sibi tributarum, propositis dubiis ita respondendum censuit:

Ad I. *Affirmative,* vetita tamen studiosa collectione, ita nempe ut accipere possit Missas sponte oblatas, minime vero ab Episcopis aut sacerdotibus eas quaerere.

Ad II. Pro gratia iuxta petita.

Ad III. Pro Missis S. Sedi, Episcopis dioecesanis aut Superioribus Generalibus Ordinum seu Congregationum Religiosarum datis, *affirmative.* Pro Missis privatis sacerdotibus commissis, *negative,* et servetur dispositio Decreti *De Observandis.*

Ad IV. Pro gratia retinendi duas pro singulis centenis.

Praesentibus ad quinquennium valituris.

f Vincentius Card. Ep. Praenest., *Praefectus.*

L. +$• S. Caietanus De Lai, *Secretarius.*

## SANCTI DEODATI

### Dubia de Missarum stipendiis.

*Beatissime Pater,*

Episcopus S. Deodati ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus humillime exponit:

I. Mos invaluit in sua dioecesi ut Vicarii apud parochos in domo curiali degentes pensionem non argento exsolvant, sed Missae suae quotidianae, sive lectae sive cantatae, eleemosynam parocho dimittant. Quaeritur utrum mos ille licite possit retineri.

II. Vigore plurium Indultorum idem Episcopus Orator concedere potest sacerdotibus suae dioecesis facultatem recipiendi eleemosynam vel pro secunda Missa, vel pro Missis dierum festorum in Gallia suppressorum , dummodo supradicta eleemosyna pro suae dioecesis operibus piis applicetur. Porro vestigiis trium suorum antecessorum inhaerens idem Orator Episcopus concessit sacerdotibus, ut quaecumquae sit eleemosynae quantitas, ad Cancellariam episcopalem non mittatur nisi eleemosyna synodalis, idest Lib. 1,50. Quaeritur an haec Episcopi concessio sit legitima.

*Die 2j Februarii 190J.*

S. Congregatio Concilii Tridentini Interpres propositis dubiis ita respondendum censuit:

Ad I. *Affirmative*, dummodo et quousque excessus in modo aut alius abusus non oriatur super quo Ordinarii erit vigilare.

Ad II. *Negative.*

f Vincentius Card. Ep. Praenest, *Praefectus.*

L. ✠ S. Caietanus De Lai, *Secretarius.*

## LEOPOLIEN.

### Quoad interpretationem Decreti " De Observandis „.

*Beatissime Pater,*

Archiepiscopus Leopoliensis Ruthenorum relate ad Decretum S. C. Concilii diei II Maii 1904 quoad Missas manuales, humiliter petit solutionem sequentium dubiorum :

I. An iuxta art. 2 termini persolutionis statui possint :

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| usque ad | io | Missas | i | mensis |
| » | 20 | » | 2 | mensium |
| » | 40 | » | 3 | » |
| » | 60 | » | 4 | » |
| » | 80 | » | 5 | » |
| » | 100 | » | 6 | » |

et ita porro pro quibuslibet 20 Missis unum mensem addendo.

II. An hi termini intelligantur seorsim quoad quemlibet stipendium offerentem, vel etiam intelligi possint cumulative quoad omnes aliqua occasione v. g. in aliqua solemnitate offerentes; ita ut si tunc stipendia offeruntur a 100 oblatoribus, a quolibet pro una Missa, omnes hae Missae in termino sex mensium persolvi debeant.

III. An in casu art. 7 pro sacerdotibus qui ab Ordinario stipendia accipiunt, termini currant non a die quo primarii offerentes stipendia dederunt, sed ex concessione Apostolicae Sedis a die quo Ordinarius ipsis stipendia tribuit.

IV. An ista stipendia, etsi primario a pluribus offerentibus data, tamen in casu art. 7 tamquam ab uno scilicet Ordinario oblata censenda sint.

V. An liceat Ordinario omnibus his Missis communem generalem intentionem (ad intentionem dantium) praescribere, etsi a primariis offerentibus speciales intentiones praescriptae fuissent.

*Die 2j Februarii ipoj.*

S. Congregatio Concilii Tridentini Interpres propositis dubiis ita respondendum censuit :

Ad I. Rem relinqui discreto iudicio et conscientiae sacerdotum iuxta Decretum et regulas a probatis doctoribus traditas.

Ad II. *Affirmative* ad primam partem; *negative* ad secundam, dummodo aliter non constet de voluntate oblatorum.

Ad III. *Affirmative,* idest obligationem incipere a die quo sacerdotes Missas celebrandas ab Ordinario recipiunt.

Ad IV. Episcopus curet ut quatenus fieri possit Missae, a pluribus receptae, a pluribus sacerdotibus tempore debito satisfiant.

Ad V. Sufficere ut sacerdotes celebrent iuxta mentem Ordinarii ; qui tamen intentionem pro singulis offerentibus efformare debet iuxta regulas a probatis theologiae moralis auctoribus traditas. Melius tamen esse si patefiant sacerdotibus intentiones praescriptae.

f Vincentius Card. Ep. Praenest., *Praefectus.*

L. •}+ S. Caietanus De Lai, *Secretarius.*

## CONGREGATIONIS SPIRITUS SANCTI

### Postulata super Decreto " De Observandis „.

*Beatissime Pater,*

Superior Generalis Congregationis a Spiritu Sancto humiliter postulat:

I. An ad art. 7 Decreti *De Observandis* diei **11** Maii **1** 9 0 4 sub nomine Ordinariorum veniant quoque Praelati Regulares pro suis respectivis subditis.

II. An Episcopi dioecesani et Praelati Regulares, qui aliis Episcopis seu Praelatis Regularibus Missas cum sua eleemosyna celebrandas tradiderint, ab omni obligatione coram Deo et Ecclesia relevati censeantur; an potius obligatione teneantur usque dum peractae celebrationis fidem sint assequuti.

*Die* **27** *Februarii i goß.*

S. Congregatio Concilii Tridentini Interpres propositis dubiis ita respondendum censuit :

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. *Affirmative* ad primam partem ; *negative* ad secundam.

f Vincentius Card. Ep. Praenest., *Praefectus.*

L. «|* S. Caietanus De Lai, *Secretarius.*

## BARCINONEN.

### IURIUM PAROCHIALIUM

**De privilegio Capituli Cathedralis Barcinonensis exercendi quaedam iura parochialia, atque de iuribus ecclesiae non parochialis functiones non parochiales peragendi, deque iure parochi proprii quoad funera in Hospitali defunctorum.**

**Species facti.** Capitulum ecclesiae Cathedralis Barcinonensis a remotissimo tempore inter volentes exercebat cumulative cum parochis nonnulla iura parochialia, nempe: i°). Ministrandi baptismum per suos hebdomadarios quibuscumque infantibus sive civitatis sive dioecesis ad Cathedralem delatis, absque obligatione certiorandi parochos; 2°). Deferendi Viaticum nedum beneficiatis aliisque Cathedralis inservientibus

sed etiam nobilibus et qualificatos personis, obtenta prius Vicarii Generalis licentia; 3°). Distribuendi Eucharistiam tempore Paschatis et tradendi syngrapham adimpleti praecepti; 4°). Adsistendi matrimoniis fidelium cuiusvis paroeciae, irrequisito parocho et habita tantum Ordinarii licentia; 5°). Demum levandi, associandi, funerandi et tumulandi cadavera non solum beneficiatorum aliorumque Cathedralis inserviendum, sed etiam quorumcumque fidelium, qui in eadem sepulturam electivam aut familiarem habuissent, vel essent peregrini aut viatores; idque peragendi nulla quarta funeraria reservata proprio decedentium parocho.

Propter horum iurium exercitium graves exarsere controversiae inter Capitulum et civitatis parochos, ad Tribunal S. R. Rotae tandem delatae, quod pluries declaravit praefata iura Capitulo Barcinonensi spectare non ex cumulativo exercitio comparochialitatis sed potius ex privilegio resultante a consuetudine seu praescriptione plus quam centenaria. Verum recursus parochorum non ideo cessarunt; hinc quaestio a. 1797 proposita fuit arbitrorum iudicio, qui, aliis Capituli privilegiis admissis, eidem tamen illud ministrandi Communionem Paschalem denegarunt, et quaestionem circa quartam funerariam insolutam reliquerunt. Quo non obstante iudicio, Capitulum, resolutionibus Rotalibus fretum, perrexit etiam S. Synaxim tempore Paschatis fidelibus distribuere, una cum schedis adimpleti praecepti Paschalis.

Res ita processerunt usque ad a. 1851, quo Concordatum inter S. Sedem et Hispanicum Gubernium initum est ; vi cuius statutum fuit Capitula in posterum animarum curam exercere non posse. Sed, ad exceptionem aliorum Capitulorum, Capitulum Barcinonense prosequutum est in suorum privilegiorum exercitio. Anno autem 1895 graves recursus oblati sunt a parochis Barcinonae ad proprium Ordinarium et a. 1899 ad H. S. C; tum contra Capitulum Cathedrale ob exercitium praefatorum iurium parochialium ; tum contra ecclesiam Asyli

vulgo *De Caridad,* cuius rector cadavera pauperum ibidem defunctorum ad coemeterium associât, irrequisito parocho, nec eorum nomina ad eumdem transmittit pro inscriptione in libro mortuorum paroeciae; tum contra praefatam aliasque ecclesias non parochiales, quae, iustis funebriis in propria paroecia celebratis, solemniores functiones exequiales peragunt in parochorum reclamantium praeiudicium.

**Deductiones parochorum.** Horum patronus parochis exclusivum exercitium iurium parochialium reservatum esse contendit sive ex iure communi sive ex iure particulari.

Exordiens a prima orationis parte, quoad baptismum in primis observat, quod eius legitimus minister est parochus, alii sacerdotes eum tantum ex delegatione sive parochi sive Episcopi ministrare valent; sicuti solius est parochi in baptizatorum libro referre baptizatos eorumque patrinos iuxta Conc. Trid. *(Sess. 24, cap. 2, de Reform, matrim.).* Probat ex Rituali Barcinonensi, quod Rituali Romano est conforme. Hoc parochi proprii ius ita praecisum est, ut neque parochus Cathedralis ecclesiae ei praeiudicare valeat, etiamsi ageretur de conversis ad fidem; uti tradit Ferraris *(Bibl. can., v.* baptismus, *art. 4, n. ij),* Giraldi *(Add.* ad Barbosam, *de Parocho, c. 18, n. j).* At, pergit advocatus, ecclesia Cathedralis, quin sit paroecia, baptismum administrat fere omnibus infantibus civitatis cum gravibus inconvenientibus et magno fidelium scandalo. Utique, ait, etiam ex Episcopi delegatione fieri potest baptismi administratio, sed haec delegatio debet esse rara et ex urgenti necessitate, uti tenuit S. C. EE. et RR. in *Tranen.* 21 Aug. 1580, et in *Neapolitana* 14 Dec. 1604.

Quoad administrationem Viatici factam saepe a canonicis ad personas ditiores civitatis, observat cum Scavini *(Theol, mor., De Euchar., n. 120),* quod « ex universali lege et consuetudine solius est parochi Viaticum ministrare, nisi urgeat necessitas et non adsit parochus ». Quin imo, uti tradit Bouix *(De parocho, part. 4,* **cap.** 7, *n. j)* «ipsi canonici Viaticum et

Extrema Unctionem recipere deberent a rectore paroeciae, in qua degunt et infirmi decumbunt ».

Neque aliter tenendum esse sustinet quoad matrimonii celebrationem. Scitum omnibus est celebre caput *Tametsi* Conc. Trid. *(Sess. 24, de reform, matrim.),* quo disponitur parochi exclusive munus esse benedicendi nuptias et assistendi matrimonio suorum parochianorum. Nemo prorsus dubitat quod canonici Barcinonenses aliquando ex Ordinarii delegatione matrimoniis assistere valeant, sed haec delegatio rara esse debet et nonnisi ex peculiaribus circumstantiis, ne parochi ex emolumentorum privatione damnum persentiant: sed in facto contrarium omnino evenit.

Praeterea, addit patronus, secluso casu sepulturae gentilitiae et electivae, ius sepeliendi paroecianos ad proprium parochum pertinet: hoc compertissimi iuris est apud omnes, uti *ex cap. j de sepulturis; Clem. Dudum § Verum* tenent Bouix *(De Parocho, cap. io),* Van Espen. *(Iur. eccl. univ., p.* ***III****, tit. jo)* item compertum esse, ait, ius funeris necessario non connecti cum parochialitate, et hinc aliquando etiam praescriptione quadragenaria posse acquiri ab ecclesia non parochiali iuxta Scarfantonium *(Addit., n. 48, pp),* et Card. Petra *(Tom. II, in Const. IX Innoc. III, n. Jj).* Tamen in hisce casibus parocho defuncti proprio quarta funeraria ex iure communi est reservata; Leurenius *(Por. benef.,p. i, n. 454)* et Card. De Luca *(De Par., disc. 28, n. 6);* imo'ab H. S. C. pluries declaratum est hoc ius parochis pertinere etiam in funeribus canonicorum ecclesiae Cathedralis, uti videre est in *Gallien.* 20 Dec. 1828, in *Mantuana* 12 Maii 1685, in *Tolentinaten.* 11 Sept. 1694. E contra parochi nedum ad funus non vocantur, sed etiam eis quarta funeraria denegatur.

Verum quia ex adverso opponitur praescriptio plus quam centenaria, quaestionem ponit utrum ea admitti possit in iuribus stricte parochialibus; et negative respondit, quia iura parochialia nunquam perimi possunt; uti constat in *Andrien.*

2 Iunii 1883, in *Baren.* 29 Iunii 1828, in *Nullius Sub lacen.* 29 Iunii 1825, etc. Insuper, prosequitur advocatus, invocata consuetudo non potest originem trahere, neque a tacito parochorum consensu, quia iuxta notum axioma: « qui tacet et patitur, consentire non videtur in iis, quae praeiudicium afferunt», et de caetero tacitus praedecessorum consensus non potest praeiudicare successoribus iure proprio et non alieno venientibus, uti tenet Card. De Luca *(De iurisd., disc. 22, n. 4)* et Reiffenstuel *(Ius can., De praescripta § ß', n. 140);* neque ab ipsorum conventa transactione, quia, quum ipsa alienationis speciem praeseferat, confirmationem S. Sedis requirit, uti tradunt Fagnanus *{Lib. i, De transad, in cap.* Veniens,) et Card. De Luca *(De iurisd., disc, ß, n. S),* quae habita non fuit per Bullam Gregorii XIII a. 1572, utpote in actis non extantem, et cuius ratio habita non fuit ab ipsa S. Rota in suis decisionibus.

Descendens ad secundam orationis partem patronus pro parochis invocare satagit assistentiam iuris particularis derivantis ex Concordato inito a S. Sede a. 1851 cum Gubernio Hispanico. Etenim iuxta art. 11 : « Abolitae sunt omnes iurisdictiones privilegiatae et exemptae cuiuscumque ordinis et denominationis » ; ergo etiam iurisdictio privilegiata Capituli Barcinonensis. Iuxta vero art. 25 : « Nullum Capitulum aut Collegium ecclesiasticum habere poterit curam animarum; et beneficia curata atque vicariae perpetuae, quae antea pleno iure alicui corporationi coniunctae erant, deinceps iuri communi omnimode subiicientur ». Iamvero Capitulum Cathedrale in utramque huius dispositionis partem cadit; tum in primam, quia, quum iurisdictionem parochialem exerceat, curam animarum habet iuxta Barbosam *(De parochis, cap. i, n. ßß)* quin necesse sit ut etiam sit paroecia; tum in secundam, quia hanc curam per hebdomadarios agit. Deinde ab a. 1851, subdit patronus, Capitulum neque titulum coloratum neque pacificum iuris funerandi exercitium proferre valet, quia parochi

saepe saepius iura sua quoad funera vindicarunt contra ea usurpantes.

**Deductiones Capituli.** Ipsius patronus praemittit verbum *cumulative* hoc sensu accipiendum esse, quatenus Capitulum simul cum parochis quaedam munera parochialia exercet non ex iure parochialitatis sed ex mero privilegio. Postea disserit de legitima nonnullorum iurium parochialium possessione, sive ante, sive post initum Concordatum, ut concludat Capitulum in ipsa esse manutenendum.

Primum itaque caput suae orationis aggrediens, ait ecclesiam Barcinonensem inter antiquiores hispanici regni Cathedrales accenseri, utpote originem ducentem a S. Iacobo Ap.: nil mirum proinde si ipsa specialibus praerogativis et privilegiis a regibus et imperatoribus fuit condecorata, quae a. 1572 per Bullam Gregorii XIII fuere recognita, et post successivam trium saeculorum legitimam possessionem pluribus Rotalibus sententiis a. 1730, 1731, 1732, 1735, 1777 firmata, imposito parochis contradictoribus perpetuo silentio; et tandem a. 1797 arbitrorum iudicio confirmata.

Advocatus deinde ut secundam suae orationis partem efficaciter consequatur, duo sibi probanda assumit, nempe tum Cathedralem numquam fuisse paroeciam aut sibi adnexam propriam curam animarum habuisse, tum sub Concordati lege non fuisse comprehensam.

Quoad primum arguit ex eo quod iuxta Gonzalez *(ad Reg. 8 Cancel., glos. 6, n. py),* Guttierez *(All. 6, n. 6),* aliosque, et plures decisiones quas innuit, scitissimum in iure est, illas parochiales renuncian ecclesias, quae certum habent populum intra certos limites constitutum, propriumque parochum curam animarum autonome et privativo iure exercentem; qui praeterea, iuxta Passerinum *(De Stat. et off., dist. 2, q. i8j, art. 4, n. ßii),* sacramenta ex officio administrare debeat, et vicissim parochiani ab eodem sacramenta recipere teneantur. At in themate nec populus distinctus, nec proprius habetur pa-

rochus, et Capitulum libere et tantum volentibus sacramenta administrat. Imo, ait patrocinator, S. Rota a. 1735 ius Capituli exercendi haec iura parochialia non super titulo parochialitatis sed supra ultra centenaria possessione fundabat. Demum parochialitatem excludi ait, sive quia nunquam ecclesia Cathedralis inter parochiales recensita invenitur, sive quia in praefatis sacramentis conferendis praerequiritur semper licentia Ordinarii, sive quia hoc in extrema Synodo declaratum fuit.

Transiens advocatus ad secundum thesis suae punctum, rem conficit praesertim ex art. 25 Concordati ita se habente : « Nullum Capitulum aut Collegium ecclesiasticum adnexam habere poterit curam animarum; ideoque beneficia curata et vicariae perpetuae, quae ante pleno iure alicui Collegio coniunctae erant, deinde iuri communi omnimode subiiciantur » ; atqui, iuxta superius notata, Capitulum Barcinonense nec parochialitatem gerit, neque beneficium curatum cum cura animarum aut Vicariam adnexam habet, ergo Concordati dispositio in ipsum cadere nequit. Quin negotium facessat quod Capitulum exercere valeat aliqua parochialia officia; quia sensus articuli non respicit quodlibet curae animarum exercitium etiam partiale, sed tantum plenum exercitium.

Allatum argumentum confirmat ex facto quod Episcopus Barcinonensis Ioseph Costa et Borras, qui fuit unus ex collaboratoribus Concordati, numquam Capituli privilegia revocavit, quinimo ea confirmavit. Nec aliter se gessere successores Praesules, signanter in Synodo dioecesana 1890, cuius dispositiones Episcopus Cátala declaravit non afficere suam Cathedralem. Quibus accedit, ait patronus, quod art. 26 Concordati praescriptum fuit concursum pro paroeciis, et art. 25 Conventionis supplementaris a. 1859 etiam nova paroeciarum circumscriptio ; sed haec aliis quidem ecclesiis applicata fuere non autem Cathedrali.

Demum patronus nonnullas difficultates diluere satagit, quarum prima est Capitulum, per introductam publici coeme-

terii legem, privilegium tumulandi amisisse. Hoc impugnat advocatus, quia ex constitutione publici coemeterii tantum locus sepulturae materialiter fuit mutatus, sed iura immutata manserunt. Item nullo in calculo habendum est aliud obiectum ad impetendam legitimitatem praescriptionis post publicatum Concordatum, tum ob malam fidem, tum quia leges Concordatariae non sunt praescriptioni obnoxiae. Nam ait advocatus ad cohonestandam in Capitulo bonam fidem omnes rationes concurrere, quae allatae fuere pro statuenda in eodem manutentione possessionis privilegiorum. Praeterea leges Concordatariae praescribuntur, si considerentur, non sub aspectu quo moderantur relationes inter duplicem potestatem, sed sub alio aspectu quatenus nempe moderantur relationes cum subditis, et ius commune privatum efformant.

Demum advocatus refellit parochorum querelas praesertim quoad administrationem baptismi et funerum celebrationem. Non enim, ait ipse, invenitur incommodum in eo quod baptismus conglobatim seu pluribus simul personis conferatur, quia hoc est iuxta praescriptionem Ritualis Romani *(Tit. 2, cap. 2, n. 2j)* neque incommodum habetur in hoc, quod parochis non relinquatur notula baptizatorum, sive quia eiusmodi notitia hauriri potest tum ex libris baptizatorum Capituli tum ex censu animarum, sive quia haec notula neque traditur a Capitulo Patriarchalis Basilicae S. Petri. Si aliqua praeterea incommoda oriuntur ex funerum celebratione, id contingit, concludit patronus, quia parochi pro iis persolvendis in propriis ecclesiis ingentes exigunt taxas.

**Animadversiones ex officio.** Modo nonnulla sunt addenda circa duas alias funerum quaestiones, quas parochi Barcinonenses habent cum aliis ecclesiis non parochialibus et praesertim cum beneficentiae Asylo *Casa de Caridad.*

Prima quaestio invenitur in quodam usu Barcinonae invalso, ut quando aliquis moriatur, in paroecia officium funebre et missa exequialis peragantur, et postea die non impedita

solemne funus in aliis ecclesiis non parochialibus celebretur, sicuti in hisce ecclesiis celebrari solet anniversarium, vel alia officia funebria ut in die tertia, septima et trigesima a morte defuncti. Nunc quaeritur utrum in dictis ecclesiis hae solemniores exequiae celebrari valeant renuentibus parochis, vel saltem iis tributa quarta funeraria.

Ad primam dubii partem negative respondendum videtur; sive quia huiusmodi ecclesiae nullum privilegii vel praescriptionis titulum contra parochos afferre possunt; sive quia funera in iure considerantur tamquam accessorium et pars sepulturae ecclesiasticae, hinc axioma: «Ubi tumulus ibi funus >; sive quia hae solemniores exequiae, ratione minoris expensae ac in paroecia, evidenter fiunt in damnum iurium parochialium; sive quia pluries ab Ordinariis Barcinonensibus reprobatae fuere. Item negative videtur responderi posse alterae dubii parti; ratio est quia, quum praefatae ecclesiae, uti ex dictis patet, ius sepulturae non habeant, ius habere nequeunt ad funera explenda, neque illud obtinere valent solutione portionis canonicae, quae non concedit sed iam supponit in ecclesia ius funerandi.

Demum quoad alteram controversiam cum rectore Asyli de charitate circa translationem cadaverum pauperum hospitii ad coemeterium irrequisito parocho loci hospitii vel domicilii defuncti, et ad ipsum non transmisso nomine dicti defuncti, ut in codice mortuorum paroeciae referatur, haec adverti possunt. Iuxta *cap. j, Is qui, De sepulturis in 6°*, parochus habet intentionem fundatam in iure circa funera decedentium intra limites propriae paroeciae. Quod item supponitur in *cap. i, Nos instituta; et cap. io, In nostra, De sepulturis.* Ius autem sepulturae, uti notat Many *(De Locis sacris, tit. /f, c. ß, n. ijf)* duplici potissimum iure constat, nempe « iure peragendi officium funebre supra corpus defuncti, et iure deponendi corpus in loco sepulturae ». Iam vero, ut idem auctor tradit *(ibid., c. 4, n. 172),* infirmi decedentés in Hospitalibus,

quae nullam proferre valent exemptionem, subiiciuntur iuri communi; hinc si inibi domicilium vel quasi domicilium acquisierat, sepeliri debent a parocho loci in quo reperitur Hospitale, secus a parocho proprio, si commode cadavera ad propriam paroeciam deferri possunt. In casu autem privilegium exemptionis non habetur. Item a rectore hospitii retineri nequit librum, in quo signentur ibi demortui, quum hoc munus pertineat ad proprium defuncti parochum; eo vel magis quod hae mortuorum attestationes a capellano peractae nullam fidem faciunt coram civili lege. Contra utrumque asyli abusum habetur Decretum episcopale diei 12 Oct. 1869.

**Dubia.** I. *An et quomodo Capitulum ecclesiae Cathedralis Barcinonensis conservandum sit in possessione exercitii cumulativi iurium parochialium cum parochis civitatis in casu.*

II. *An rector ecclesiae piae domus a charitate, et rectores nonnullarum aliarum ecclesiarum non parochialium ius habeant peragendi functiones exequiales solemniores postquam celebrata fuerint iusta funebria in Cathedrali ecclesia vel in propria paroecia in casu.*

III. *An idem saltem possint solvendo parocho proprio quartam funerariam in casu.*

IV. *An rector praefatae domus a charitate possit cadavera pauperum ibi degentium terrae mandare, inscio parocho, vel saltem quin eorum nomina transmittantur ad parochum pro inscriptione in libro defunctorum suae paroeciae in casu.*

**Resolutio.** S. Congregatio Concilii, omnibus aequa lance perpensis, die 27 Augusti 1904 respondendum censuit:

Ad I. *Affirmative et ad mentem: et mens est ut Emus Episcopus valde moderate procedat in indultis de quibus agitur concedendis, et statuat taxam unicam et aequam tam a Cathedrali, quam ab omnibus civitatis ecclesiis ad unguem servandam, ita ut nemo nec plus petere, nec minus exigere valeat.*

Ad II. *Affirmative.*

Ad III. *Provisum in praecedenti.*

Ad IV. *Negative, et servetur Decretum Episcopi diei 12 Octobris 1869.*

## Colliges

1°. In propria dioecesi Episcopus sive per se ipsum sive per quoscumque alios sacerdotes sacramenta administrare potest; quae tamen delegatio, quum in praeiudicium iurium parochialium vergat, nonnisi perraro et legitima ex causa concedenda est.

2°. Hoc enim munus sacramenta ministrandi parocho tantum demandatum est: « a quo solo *(fideles)* licite sacramenta suscipiant » iuxta Conc. Trid. *(Sess. 24, cap. **iß** de Reform.).*

3°. Quamvis parochus proprius quoad suorum parochianorum funera intentionem in iure fundatam habeat, haec tamen non eam vehementem iuris praesumptionem inducit, ut ius funeris cum parochialitate necessario connecti debeat, et hinc etiam per quadragenariam saltem praescriptionem cum titulo colorato ab ecclesia non parochiali acquiri nequeat.

4°. Sed parocho defuncti proprio quarta funeraria ex iure communi reservata est, etiamsi de funeribus canonicorum ecclesiae Cathedralis agatur, nisi privilegium vel legitima obstet consuetudo.

5°. Capitulo Cathedrali Barcinonensi ius nonnulla munera parochialia exercendi competit ex privilegio a consuetudine plus quam centenaria firmato, quod etiam post Concordatum Hispanicum a. 1851 perseverare dicendum est, quum hoc plenam animarum curam penes Capitula existentem dumtaxat aboleverit, non autem partiale aliquorum iurium parochialium exercitium.

6°. Prima defunctorum funeralia ad ius parochiale pertinent; quibus proinde, etiam absque Missa exequiali, persolutis, eadem in qualibet alia ecclesia iterari possunt, et ipsa exequialis Missa celebrari valet, nulla soluta parocho quarta funeraria.

7°. Funera in Hospitalibus non exemptis defunctorum spectant ad parochum domicilii vel quasi domicilii, aut etiam ad parochum loci Hospitalis, si illorum cadavera illuc transferri commode nequeant.

# EX S. C. DE PROPAGANDA FIDE

## DECRETUM

**Quo Episcopis Angliae datur facultas inter honorarios eoo» ptandi canonicos Capitulorum Cathedralium canonicatu, abdicantes.**

Archiepiscopus Westmonasteriensis ac reliqui Episcopi i» Anglia ab hoc S. Consilio Christiano Nomini Propaganda facultatem expostulaverunt ut, si quando contingat aliquem e canonicis titularibus respectivi Capituli Cathedralis propter infirmitatem vel devexam aetatem velle se a canonicatu muneribusque adnexis abdicare, possit idem renuntiatarius canonicus tanquam honorarius in eodem Capitulo nominari, ita ut, retentis canonicalibus insignibus, titulo atque honore, caetera omnia officia atque iura dimittat.

Porro etsi nemini propter infirmitatem vel senium necessaria ratio per se obveniat dimittendi canonicatum, quod uti perpetuum beneficium habendum est, tamen si quis e canonicis Capitulorum Cathedralium in Anglia propter praedictas causas libere ac sponte, accedente Episcopi consensu, e canonicatu se abdicare velit, concedendam censet Sacra haec Congregatio respectivis Episcopis facultatem eumdem cooptando audito antea Capitulo, inter honorarios canonicos, qui tamen nunquam habeantur ultra tres.

Hanc autem sententiam SSmo Dno Nostro Pio PP. X ab infrascripto eiusdem S. Congregationis Secretario relatam in

Audientia diei 23 elapsi Iunii Sanctitas Sua benigne probavit, ratamque habuit, ac praesens ea super re Decretum edi iussit

Datum Romae, ex Aedibus S. C. de Propaganda Fide, die 7 Iulii 1904.

FR. H. M. Card. GOTTI, *Praefectus.*

L. *£• S. Aloisius Veccia, *Secretarius.*

## DECRETUM

**Quo Praefectura "Bornaei Hollandia,, erigitur, atque curis Capuccinorum traditur.**

Ut in multiplicibus illis amplissimisque insulis quae, sub Indiarum Hollandicarum nomine, Vicariatum Apostolicum Bataviae constituunt, nova incrementa catholica religio suscipiat atque Evangelii lux sylvestribus adhuc nonnullis populis illucescere incipiat, Emi Patres Sacri huius Consilii Christiano Nomini Propagando in Generalibus Comitiis habitis die 23 Ianuarii mox elapsi, a praedicto Vicariatu Bataviae seiungendum totum insulae Bornaei territorium, quod nunc Hollandiae dominio subest, in eaque erigendam novam Praefecturam Apostolicam nomine *Bornaei Hollandici* nuncupandam, atque Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Cappuccinorum curis tradendam censuerunt. Hanc vero Eihorum Patrum sententiam ab infrascripto huius S. Congñis Secretario in Audientia diei 7 vertentis Februarii relatam SSmus Dominus Noster Pius PP. X benigne approbare ratamque habere dignatus est; atque praesens ea de re decretum edi praecepit.

Datum Romae ex Aedibus S. Congregationis de Propaganda Fide, die 11 Februarii 1905.

Fr. H. M. Card. GOTTI, *Praefectus.*

L. S. Aloisius Veccia, *Secretarius.*

# EX S. CONGREGATIONE RITUUM

## CONGREGATIONIS CLERICORUM REGULARIUM
INFIRMIS MINISTRANTIUM

### De indulto persolvendi Officium votivum •cum Missa de Immaculata primo cuiusvis mensis sabbato.

Rmus Pater Procurator Generalis Clericorum Regularium Infirmis Ministrantium, vota Coetus Generalis nuper in Urbe coacti humillime depromens, Sanctissimum Dominum Nostrum Pium Papam X enixis precibus rogavit, ut privilegium suaemet universae Congregationi anno 1765 concessum, persolvendi nempe Officium votivum cum Missa de Immaculata B. M. V. Conceptione quolibet per annum sabbato in quo festum ritus duplicis vel semiduplicis non occurrat, aut feria seu vigilia vel octava privilegiata, transferre atque amplificare dignaretur insequenti modo, nimirum: in cunctis domibus eorumdem Clericorum Regularium primo cuiusque mensis sabbato, qui festo duplici primae aut secundae classis, vel aliqua ex enunciatis feriis, vigiliis atque octavis non impediatur, Officium votivum cum Missa de Immaculata Deiparae Virginis Conceptione in posterum recitari valeat. Sanctitas porro Sua, referente Emo et Rmo Domino Cardinali Sacrorum Rituum Congregationi Pro-Praefecto, petitum privilegium ita benigne indulgere dignata est, ut memoratis Clericis Regularibus Officium votivum cum Missa Immaculatae B. M. V. Conceptionis liceat persolvere primo cuiusvis mensis sabbato non impedito a festo duplici primae aut secundae classis, vel a festis, vigiliis atque Octavis B. M. V integrum Officium habentibus, necnon a ceteris feriis, vigiliis Octavisque privilegiatis : servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die io Iunii 1904.

S. Card. CRETONI, *Praefectus.*

L. «J* S. f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

## DECRETUM

**Super Litaniis Sanctissimi Nominis Iesu.**

Litanias in honorem Sanctissimi Nominis Iesu Apostolica Sedes iuxta unicam formam probatas tercentum dierum indulgentia ditavit atque Breviarii Romani editionibus inseri decrevit. Quo vero Christifidelibus huiusmodi Litanias devote recitantibus ineffabilis Eucharistiae mysterii memoria salutariter excitaretur, quidam Sacri Antistites, praeeunte Emo et Rmo Dno Cardinali Adulpho Perraud, Episcopo Augustodunensi, Sanctissimum Dominum Nostrum Pium Papam X adierunt supplices, ut in iisdem Litaniis obsecrationi *Per ascensionem tuam, libera nos Iesu,* de Apostolica venia, immediate adiiciatur altera: *Per Sanctissimae Eucharistiae institutionem tuam, libera ^nos Iesu.* Sanctitas porro Sua his votis ac precibus ab infrascripto Cardinali Sacrae Rituum Congregationi Pro-Praefecto relatis, pro impenso quo flagrai studio et amore erga Augustissimum Eucharistiae Sacramentum, libenter annuens praedictam in Litaniis SSmi Nominis Iesu additionem atque obsecrationem, ab iis tamen, qui optarent, dioecesium Ordinariis, fieri posse concessit. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 8 Februarii 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus,*

L. S. f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

# APPENDIX II

## DE DISPENSATIONIBUS MATRIMONII RATI ET NON CONSUMMATI

### § 3. *De subiecto Potestatis* (I).

40. Cum haud unicum sit ecclesiasticae potestatis subiectum, inquirendum nunc est in quonam, et quidem spectato iure divino, resideat haec potestas solvendi matrimonia *rata* et *non consummata.*

**41.** Uti patet nulla potest esse quaestio de Romano Pontifice et de Concilio Oecumenico, sicut etiam de ecclesiasticae iurisdictionis hierarchiae gradibus, quae ex Ecclesiae institutione sunt.

42. Tota igitur quaestio limitatur ad Episcopos, quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei {*Act.* xx, 28).

43. DD. antiquiores per transennam de hac Episcoporum potestate loquuntur. Nimirum, quando adstruunt potestatem in Romano Pontifice solvendi matrimonia rata et non consummata, sibi obiiciunt quod si Papa dispensare posset a matrimonio rato et non consummato, posset etiam Episcopus.

44. Sic SÁNCHEZ *(de Matrimonio, lib. 2, disp. 14, n. i),* postquam argumenta attulisset favore sententiae, quam defendit, sc. posse Romanum Pontificem solvere matrimonia rata, inter alias obiectiones, sibi opponit etiam: « Quia similiter posset Episcopus dispensare, cum nullibi reservatum sit, et quae potest Pontifex in toto orbe possit Episcopus in sua dioecesi, nisi ei specialiter reservetur ».

Sic etiam BONACTNA *(Opera, tom. I, de magno Matrimonii sacramento, quaest. 2, puncto 11):* « Obiicies secundo, Episcopus non potest dispensare in matrimonio rato; ergo neque Papa potest in eo dispensare, nam Episcopus potest in sua dioecesi quidquid potest Papa in toto orbe ».

**(i) Cfr.** ***Acta S. Sedis,*** **vol. *3y,* p. 131 et 346.**

45. Sed non defuerunt DD. qui non solum per transennam, sed etiam directe et *ex professo* hanc aggressi sunt quaestionem.

LA CROIX *(Th. Mor., lib. 6, p. 3, n. 414)* duos memorat sc. BAUNY et MENDO, qui quaestionem ex professo tractarunt et pro affirmativa fuerunt sententia.

46. Sic MENDO, qui post BAUNY scripsit eiusque auctoritate nititur, quaestionem instituit:

« Quaestio II, an Episcopus possit dissolvere matrimonium ratum et non consummatum ad evitandum damnum ? *(Staterà opinionum benignarum in controversiis moralibus circa sacramenta, praecepta Decalogi..... Lugduni 1666, diss. 12).*

47. Quam quaestionem ita resolvit : « In hac sententia (sc. quae tenet R. P. solvere posse matrimonia rata) iudicat probabile P. Bauny, posse Episcopum (non de facto, quia illi est prohibitum) ex vi sui muneris dissolvere matrimonium ratum non consummatum subditorum. Sic enim arguitur. Quidquid potest Pontifex in toto orbe, potest Episcopus in sua dioecesi ex vi sui muneris (excepto tamen quod non potest res fidei definire, id enim ad supremum Ecclesiae caput spectat) ; sed Pontifex in relata sententia potest pro toto orbe matrimonium ratum dissolvere ; ergo et Episcopus ex vi sui muneris potest in sua dioecesi. Consequentia est legitima. Minor est sententia quam supponimus ad praesens. Maior est doctrina valde communis eamque tradunt Abulensis, Sotus, Victoria, Aragon, Perez, Vera Crux, et alii quos refert et sequitur P. Thomas Sánchez *(De Matrim., lib. I, disp. 61, n. 3).* Quod semper limitandum est, nisi a iure seu a Pontifice prohibeatur aliquid Episcopo et reservetur soli Pontifici, ut de facto plura prohibentur et reservantur».

48. His historice praenotatis, videamus nunc quid de hac quaestione sentiendum videatur.

49. Porro hic quaestio esse nequit de casu quo solutio matrimonii quaeratur ab uno ex coniugibus, altero renuente.

In hoc enim casu ageretur de tollendo iure tertii. Atqui DD. conveniunt potestatem tollendi ius tertii spectare tantummodo ad supremum Principem; et sic dicunt dispensationem ab impedimento impediente sponsalium spectare *privative* ad Summum Pontificem. Sic SÁNCHEZ *(de Matrimonio, lib. 2, disp. 61)* negat Episcopis potestatem dispensandi a sponsalibus: « quia ius est acquisitum tertio, quod nullus praeter supremum Principem auferre potest ». Sic etiam BALLERINI-PALMIERI *(Opus theol., de Matrim., cap. 3, § 3)* : « Potestas dispensandi ab hac obligatione (sponsalium) quod iuri alterius praeiudicium infert, nequit competere nisi supremae auctoritati Summi Pontificis. Proprium est enim supremae auctoritatis socialis posse iuribus quaesitis subditorum derogare propter commune bonum vel bonum excellentius quod in ea societate intenditur ».

50. Similiter quaestio non est, ut ait MENDO, de facto: «Nullus est Auctor, ipse ait, qui dicat posse Episcopum de facto dissolvere matrimonium ratum » *(I. c).*

« Romanus Pontifex saltem ex disciplina vigente unice est competens qui iure ordinario potest concedere dispensationes super matrimonio rato. Cfr. Benedictum XIV Const. *Dei miseratione,* 3 Novembris 1741, § 15; S. C. Concilii in *Warsavien.* 16 Iunii 1894, et in *Trevisen.* 29 Iulii 1895, cum voto P. Wernz ». (VERNZ, *De Iure matrimoniali, n. 6pS, nota 41).*

Sic etiam observat SCHERER f *Kirchenrecht, II, Jj6, nota 4J )* : « Ne unum quidem exemplum notum est, quod ullus Episcopus unquam in hac materia dispensaverit ». Idem tamen Auctor notat: « Quod solus Romanus Pontifex possit talem dissolutionem vinculi matrimonialis concedere in corpore iuris canonici claris verbis non reperitur expressum. Verba in cap. 2, X, 4, 15, *Nos tolerabimus,* cum in parte *decisa* 1. c. (i) inveniantur, non possunt urgeri. In q. c. 5,

(i) Ad intelligentiam huius expressionis pro iis qui multum versati non sunt in studio iuris Decretalium adnotandum est quod in *Decretalibus* Gre.

Compii. I, 4, 4, et c. 2, X, 4, 13, non est expressum quod hoc ius sit R. P. reservatum; ex modis autem loquendi ut *-poteris sustinere - Iribuasfacultatem -*, videtur potius posse concludi etiam Episcopis tale ius competere ». Sed e contra WERNZ *(I. c.):* « Episcopi inde e tempore Martini V quo primae dispensationes super matrimonio rato occurrunt in huiusmodi singularibus casibus *ex nullo iuris textu pro sua potestate ordinaria reputabantur competentes* ». Atque FAGNANUS: « Episcopis certum est hanc facultatem (dispensandi super matrimonio rato et non consummato) non competere, *quia non reperitur illis concessa per sacros canones* ut fatentur omnes ». *(Cap.* Perniciosam, *De officio lud. Ordin., n. 41).*

51. Quaestio igitur reducitur tantummodo ad quaestionem mere speculativam, an sc, ut ait MENDO *(I. c.):* « Si a Pontifice non prohibeatur, possit Episcopus iure divino et vi sui muneris dissolvere matrimonium ratum et non consummatum ex urgente causa quae sufficeret ut Pontifex illud dissolverei».

52. Porro potissimum, ni unicum argumentum, quo nituntur qui pro affirmativa sunt sententia, est, uti vidimus, notum axioma : « Quidquid potest Pontifex in toto orbe, potest Episcopus in sua dioecesi ex vi sui muneris », excepto tamen,

**GORii IX : « Capita e compilationibus antiquis Raymundus nonnisi illa assumpsit quae indigentiis aevi sui respondere putabat; reliqua autem quae vel iam antiquata vel illis, quae assumenda censuit, aequalia aut vero contraria erant, de regula tota praetermisit. Quod si aliquod caput iuri tunc vigenti contrarium, propter aliquam causam *totum* praetermitti haud facile posse putabat, tunc vel solummodo' illam eius partem qua recte haec contrarietas continebatur *omisit;* vel loco eius aliam quae iuri tunc vigenti congrueret, collocavit ».**

**« Porro generatim e singulis capitibus, quae assumenda putaverat, illas partes quas superfluas existimabat, uti sunt v. gr. solemnes verborum formulae vel prolixa enarratio causae ad Summum Pontificem delatae, vel ampla expositio petitionis eidem oblatae, ne ambitus collectionis iusto maior evaderet, *omisit;* quam omissionem, quum aliquatenus maior esset, in capitis textu vocabulis *et infra* vel litteris *et* indigitavit. Quae Decretalium et aliarum auctoritatum partes a Raymundo omissae — *partes decisae* — dicuntur ». LAURIN *(Introductio in Corpus Iuris Canonici. . . .* Friburgi,** 1889, **pars II, § ^5).**

ut ipse MENDO notat, quod non potest res fidei definire, id enim ad supremum Ecclesiae caput spectat.

53. Negari nequit principium hoc plures habuisse sectatores praesertim inter Theologos.

SÁNCHEZ *(De Matrimonio, lib. I, disp. 61)* longam enumerat seriem doctorum praesertim theologorum qui hoc sequuntur principium, occasione disputationis: «Utrum dissolvantur sponsalia si ex matrimonio scandala probabiliter et mali exitus timeantur vel propter paternam conditionem vel Pontificis vel Episcopi dispensationem » ; ubi postquam locutus est de Pontifice prosequitur: « De Episcopo autem videtur id posse ; quia quidquid potest Pontifex in universo orbe, si ea excipias quae ad universae Ecclesiae statum pertinent, ut res fidei definire, potest Episcopus in sua dioecesi, nisi ei specialiter per Pontificem aliquid reservatur. Abulensis ad cap. 16 Math. q. 8, litt. E; Victoria Relect., de Matr., p. I., num. 7; Sotus 4, d. 27, q. I, a. 4;. . . . Gambara, De Officio legati, 1. io, n. 466; Perez Enriq., lib. 6, de poen., cap. 14, n. 7; Aragon,.... Maiolus, lib. 5, de Irreg., c. 5, n. 4 et refert Hugonem, ubi dicit posse Episcopum dispensare in omnibus casibus, qui sibi specialiter non reservantur. Et ratio est manifesta, quia est pastor ordinarius in sua dioecesi, sicut Pontifex in toto orbe, licet sit ipsi subiectus ; ergo in eis in quibus Pontifex non limitat eius iurisdictionem, habet potestatem ordinariam, sicut quilibet confessarius potest aeque ac Pontifex ab omnibus peccatis absolvere, nisi per Pontificem aut Episcopum casus aliquis reservetur; si ergo Pontifex potest in sponsalibus dispensare, cum nullibi reservet hanc facultatem, poterit similiter Episcopus ».

54. Iamvero hoc principium merito reiicitur a BENEDICTO XIV *(de Synodo, lib. p, cap. I, num. j),* ubi haec scribit: « Accidit interdum aliquos Episcopos. . . . deceptos nimirum a quibusdam doctoribus qui potestatem uni Romano Pontifici competentem quarumcumque Ecclesiarum praesulibus adiudi-

eant Astruunt sc. eiusmodi Auctores et veluti indubitatum axioma venditant hanc propositionem: Quidquid potest Pontifex in universo orbe, si ea excipias quae totius Ecclesiae statum respiciunt, uti articulum fidei definire, potest Episcopus in sua dioecesi, nisi specialiter Papa sibi illud reservavit».

55. Et sane si principium hoc sumitur absolute absque ulla limitatione evidenter falsum est: « Falsum est, ait BARGILLIAT *(Praelect. Iuris Canonici, 1903,* ed. 18, *Tract, f, n. JjS),* id posse Episcopum in sua dioecesi quod potest Summus Pontifex in universa Ecclesia; namque Summus Pontifex habet plenam simul et supremam iurisdictionem quae soli Petro eiusque successoribus commissa est, dum iurisdictio Episcopi in propria etiam dioecesi multiplici ex capite restringitur sive quoad causas, sive quoad personas ».

56. Sed revera MENDO atque doctores haud infimae notae a SÁNCHEZ citati huiusmodi principium admittunt, sed cum limitatione: *nisi Papa aliquid sibi reservaverit.*

Atqui etiam cum hac limitatione falsum est. Sic SUAREZ *(De Legibus, lib. 6, cap. 14, n. 6),* ita illud confutat: «Axioma illud : - Episcopus potest in suo episcopatu quidquid Papa in Ecclesia, nisi prohibeatur - et nullo iure fundatum est et in rigore iuris censeo esse falsum, nisi multis modis limitetur. Nam in primis supponit Episcopos habere ex iure divino absolutam et universalem iurisdictionem intra suas dioeceses, limitabilem tamen a Summo Pontifice; ego vero existimo immediate habere ab ipso Summo Pontifice ad quem etiam spectat gradum et modum illius iurisdictionis definire... Deinde multa sunt quae potest Papa in universa Ecclesia, quae in rigore nunquam potuerunt Episcopi, saltem eo modo quo illa potest Pontifex, ut verbi gratia committere presbytero ministerium Sacramenti Confirmationis vel Ordinis saltem quoad minores, *dispensare in matrimonio rato et non consummato,* vel in voto solemni, concedere indulgentias absolute pro vivis et defunctis usque ad plenariam remissionem ». Cfr. etiam

FAGNANUM, *Cap.* Perniciosam, *De Officio lud. Ordin., n. 28 et sec.).*

57. In specie vero quoad limitationem reservationis Pontificiae, observat idem FAGNANUS *(in Cap.* Nimis, *De filiis presbyterorum, n. 44):* « Longe minus admittendum esse iure ordinario Episcoporum dispensare contra legem Concilii generalis' vel Summi Pontificis, quoties dispensandi facultas illi non adimitur; haec enim doctrina nisi temperetur.... falsa et periculosa est, et nullatenus ad praxim deducenda. Nam inferiorem posse contra legem superioris absolute dispensare nihil est aliud quam caput membris et superiora inferioribus subiicere et ordinem naturalem invertere.... et ecclesiasticam hierarchiam confundere Dei ordinatione institutam.... Praesertim vero quia mos sacrorum canonum et conciliorum est fere ubique simpliciter praecipere aut prohibere, quid faciendum vel non faciendum. Unde si liceat Episcopis dispensare quotiescumque dispensatio in specie non prohibetur, consequenter esset in eorum facultate totum ius commune et Concilia universalia subvertere, in singulis casibus dispensando, quod est erroneum asserere ». (Cfr. etiam Bouix, *De Episcopo,p. j, cap. 8, §4; cap. p).*

58. Ex dictis ergo patet, ex principio a MENDO adducto nil concludi posse favore eius sententiae. Et sane si huiusmodi principium sumatur absolute vel cum limitationibus, iuxta quas etiam a DD. optimae notae sumitur, uti vidimus, falsum est; si. vero, ut ait SUAREZ *(I. c),* multis modis limitetur, quamvis principium sustineri possit, tamen adeo incertum fit, ut ex eo nil concludi potest, saltem quoad casus difficiliores. (Cfr. DE LUCA, S. L, *Praelectiones Iuris Canonici, anno i8pj, lib. de personis, tit. 18, n. 261;* WERNZ, *De Iure Matrim., n. 6ß).*

***(Sequitur)*** **B. Melata.**

# ACTA ROMANI PONTIFICIS

## LITTERAE APOSTOLICAE

### SS. D. N. div. prov. Pii PP. X quibus Collegium Urbis Pium Latinum-Americanum " Pontificii „ titulo augetur, eiusque regundi leges sanciuntur.

PIUS PP. X

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Sedis Apostolicae providam studiosamque de America Latina curam, cum alia argumenta illustrant, tum in primis testatur multiplex instituta ratio, ut in ea perampla dominici agri parte cultores boni, satis magna copia, suppetant. Huc valent aperte ibidem Domus complures alumnis sacri ordinis pietate doctrinaque idonea conformandis : quarum quidem, novis constituendis dioecesibus, augescit numerus; atque in earum praecipuis facultas praebita melioris notae adolescentibus academicos gradus assequendi. Iamvero in hoc pontificalis providentiae genere facile primas tenet Urbanum Collegium, a Decessoribus Nostris fel. rec. Pio IX conditum, Leone XIII amplificatum in sacrae iuventutis ex America Latina utilitatem. Etenim adolescentes clericos, bona indole praeditos et animi et ingenii, missos in hanc almam Urbem atque ideo ad ipsum ecclesiasticae eruditionis vitaeque centrum, ibique, advigilante Iesu Christi Vicario, omnibus praesidiis quae disciplinam optimam deceant, ad sacerdotale munus instructos, nemo non videt, eosdem popularibus suis et ecclesiae patriae admodum salutares debere exsistere.

Equidem, si fructus quaerimus quos Collegium Pium Latinum-Americanum hoc intervallo tulerit, reperiemus rei exitum expectationi egregie respondisse : responsurum autem de cetero vel melius, si quidem paulo diligentius ea, quae in alumnorum delectu sunt servanda, serventur, atque si earum regionum nullus sit posthac Episcopus, quin aliquem suum

alumnum in isto Collegio, ipse non parcens impendiis, collocet. Utrumque Leo, qui, ad religiosam Americae Latinae rem rite componendam, Plenarium eorum Episcoporum Concilium Romam coëgeràt, quum Concilio peracto dimitteret Patres vehementer eos hortatus est, tanquam viderentur dioecesibus suis consulturi satis, si eidem Collegio pro facultate consulerent. Hi vero, quum exploratam iam ipsi per se haberent huiusce utilitatem Instituti, praeterea tanta Pontificis hortatione permoti, non modo se velle ostenderunt eius votis satisfacere; sed etiam, ut Concilii Plenarii, quod in ipsa Collegii aede esset actum, monumentum exstaret aliquod, magnopere sibi gratum fore significarunt, si Collegium *Pontificii* titulo honestaretur. Eorumdem sunt illa postulata : ut Sodales Societatis Iesu gubernationem Collegii, quam obtinent, ratam in perpetuum obtineant; ut praecipuae sanciahtur leges, quibus morum et studiorum disciplina[1] Collegii **dirigatur;** ut, quoniam Collegii aedes, mutui nomine, Apostolicae Sedi obligatae sunt longe ultra quam pro opibus Collegii liberari hodie queant, benigne Summus Pontifex, Sibi et Successoribus salvo iure, velit in commodiorem Collegio diem exactionem crediti differre.

< Nos autem, quum erga Americae Latinae ecclesias Urbanumque ipsarum Collegium, haud secus ac duo illustres Decessores Nostri, plenum paternae caritatis geramus animum, huius testandae benevolentiae occasionem, quam Venerabiles Fratres ista rogantes offerunt, perlibenter amplectimur. Itaque firma et stabilia iubentes esse, quae de Collegio sive constituendo, sive provehendo Decessorum est auctoritate sancitum, atque de eo, quod dictum est, aere alieno edicturi, quo modo Sedis Apostolicae simul et Collegii rationibus consultum esse velimus, his litteris Nos eadem Apostolica auctoritate idem Collegium seu Seminarium Pium Latinum-Americanum in Urbe, secundum sacrorum statuta canonum sollemniter erigimus et constituimus, ac *Pontificii* titulo deco-

ramus (i), ipsique omnia privilegia et iura quae Seminariis seu Collegiis Pontificiis attribuì solent, attribuimus ad eas leges, quae infra scriptae sunt.

I. Munus regendi et moderandi Collegii inclytae Societati Iesu, optime usque adhuc de Collegio meritae, perpetuo committimus. Quocirca Societatis Praepositus e sacerdotibus, qui sibi parent, hos saltem constituet: Rectorem, Ministrum, Subministrum, Oeconomum, Magistrum pietatis, Confessariorum •quantum opus fuerit, et Praefectorum contuberniis quantum £eri poterit. Idem duos destinabit, alterum hispane, alterum lusitane doctum, qui alumnos, in patrio sermone litterisque •excolendo, ad sacras potissime conciones exerceant. Praeterea volumus ut alumni ne alias Urbis scholas quam Lycei magni Gregoriani celebrent.

II. Alumni legitimo matrimonio nati, et valetudine bona •sint, et non deformi corpore. Ad haec voluntatem praeferant •exploratam sacerdotalis ineundae vitae, ac non vulgare ingenium discendi studio coniunctum : nec minus eorum debet disciplinae amor et integritas morum constare.

III. Alumni non ante cooptandi sunt, quam exhibito testimonio probaverint, se humanitatis et litterarum spatium recte •confecisse, ideoque idoneos esse, qui maiorum doctrinarum •cursum ineant.

IV. Liceat, raro tamen et singularibus de causis, adolescentes, natu minores necdum gravibus studiis maturos, in Collegium admittere, his quidem conditionibus: primum, ut

(i) Auspice Pio PP. IX inchoatum fuit anno 1858 Collegium Pium Latinum-Americanum, quod sub tutela et protectione Emi S. R. E. Cardinalis atque cura et studio Patrum Societatis Iesu tot tantaque incrementa suscepit, ut brevi temporis tractu plures illustres et patriae aeque ac Ecclesiae optime méritos Praesules presbyterosque dedit. Proinde et nos magnopere laetamur cum dignissimis Collegii Moderatoribus et Alumnis ob honorificum *Pontificii* titulum, quo Summus Pontifex Pius PP. X nuperrime Seminarium ipsum condecorare dignatus est, argumentum exinde desumentes ad maiora quoque incrementa eidem ominanda *(N. R.)*,

eiusmodi nunquam plus quam decem in Collegio sint ; deinde, decimum tertium aetatis annum compleverint; tum, e scholis primordiorum honestum ingenii diligentiaeque testimonium retulerint, iidemque elegantiorum litterarum institutionem cum laude, magnam partem, perceperint, itaque Romae possint, quod reliquum sit, anno aut summum biennio absolvere ; deinde aere ipsi suo vel benigne ab aliis collato, non autem pensionibus seu *Capellaniis,* quae alumnorum causa constitutae sint, sustententur, quos quidem sumptus suppeditatum iri Episcopus, suo et successorum nomine, spondeat ; postremo Episcopus ne candidatum Romam ad Collegium dimittat, nisi postquam per authenticas litteras fidem Rectori fecerit omnia, quae hoc loco sunt requisita, suppetere, ab eoque cooptationis, quae permissu Cardinalis Patroni facta sit, legitimum documentum acceperit.

V. Omnes alumni, ne iis quidem exceptis, qui pensiones seu Capellanías consequuti sint integras, tantum afferre debent pecuniae, quantum satis erit ad reditum : quae pecunia in thesauro Collegii reponetur, eaque aliam in rem insumi, vel Ordinario probante, non poterit.

VI. Qui suae familiae impensis aut de cuiuspiam beneficio sustentandus erit, nullo pacto inter alumnos recipiatur, nisi, praeter Episcopi sui licentiam, syngrapham afferat, qua ipse Episcopus, proprio et successorum nomine, obligationem se suscepisse testetur subministrandi Collegio pecuniam pro alumno debitam, si quidem huius propinqui vel alii qui fidem dederunt, eam praestare aut neglexerint aut nequiverint.

VII. Universis et singulis Americae Latinae Episcopis omni ope curandum est, ut in Collegio pensiones id genus, quae vernáculo sermone *Becas* dici solent, alumnis sustentandis instituantur, Capellaniarum titulo; quarum reditibus alumni qui fruantur, suae quisque Capellaniae fundatorem Deo commendare quotidie quidem tertiam marialis Rosarii partem rite recitando, in singulos autem menses semel aut sancta de

**altari libando aut sacerdotes sacrum faciendo, debeant. Pecuniae vero summa cuiusque Capellaniae constituendae Consilio pontificali Stipi Petrianae administrandae tradetur: quod Consilium reditus huius pecuniae statis temporibus Collegio pensitabit.**

**VIII. Alumni, sive in doctrinae studiis indiligentes, sive in cultu pietatis desidiosi, sive qui ea natura eisque moribus exstiterint, ut sodalibus offensioni et Collegio perturbationi sint, si quidem opportune correpti, non se tamen emendarint penitus, e Collegio sine dubitatione expellantur. Expellendi potestatem Rector obtineat; is tamen in causis singulis, ut rite se pro tanta rei gravitate gerat, moderatores Collegii ceteros in consilium adhibebit**

**IX. Alumnis qui, semel et iterum facto periculo, academicos gradus in Lyceo magno Gregoriano adipisci nequiverint, minime licebit, sine Nostra aut Successorum Nostrorum venia, in aliquo Americae Latinae gymnasio aut alibi tertium periclitari.**

**X. Integrum Rectori erit sinere, ut alumni qui studiorum cursum absolverint, in Collegio dies aliquot, non plus triginta, ante reditum in patriam, morentur; obnoxii tamen etiamtum Collegii legibus et moderatorum auctoritati.**

**XI. Rector quotannis de disciplinae rationibus, de moribus alumnorum, de rei familiaris conditione accuratam descriptionem duplici exemplo conficiet; quorum alterum, Cardinali Patrono, alterum, cui quidem idem Cardinalis subscripserit, Nobis et Successoribus Nostris deferet. Idem ad omnes Americae Latinae Episcopos, praeter descriptionem eiusmodi summatim factam, aliam de alumnis cuiusque peculiarem mittet.**

**Haec decernimus et statuimus, contrariis non obstantibus quibuscumque. Item quae in utilitatem Collegii oeconomicam vel a Decessoribus Nostris vel a Nobis decreta et statuta sunt, ea confirmamus rataque habemus. Quod vero ad domesticam disciplinam pertinet, Collegii moderatoribus man-**

damus, ut eius temperandae rationem, collatis consiliis cum Cardinali Patrono et cum Praeposito Societatis Iesu, opportune retractent, eamque -retractatam Nobis probandam atque at ;toritate iussuque Nostro stabiliendam offerant

Reliquum est, ut omnes, quoscumque haec causa attingit,, non modo quae praescripta a Nobis hic sunt¿ religiose servent, quod minime dubitamus, sed etiam ex eisdem praescriptionibus nitantur quam laetissimos fructus elicere, quod magnopere hortamur. Itaque religiosi viri, quorum vigilantiae et curis tot sunt Americanarum Ecclesiarum spes concreditae,, non satis habebunt, alumnos apud se tanquam in umbraculis. diligenter excoluisse; verum eosdem iam.in solem atque pulverem eductos, et trans Oceanum in sacris muneribus desudantes, pergent consiliis, hortamentis, omni denique amoris officio adiuvare universos. Hi vicissim dociles se bonis patribus dabunt, et hanc maxime eis itemque Apostolicae Sedi studebunt referre gratiam, ut illorum disciplina multum profecisse videantur. Episcopi vero in dies melius ostendent, hoc suum Collegium sibi non minus esse cordi quam Nobis, qui certe ipsorum praecipue causa, habemus carissimum: ideoque ad eius stabilitatem et incrementum nitentur, quantum quisque poterit, conferre. Deprecante Maria labis nescia, Cuius in tutela Collegium est, faveat optatis Nostris divina benignitas; atque auxiliorum eius sit auspex Apostolica benedictio, quam omnibus, quos memoravimus, universaeque Americae Latinae peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die, ix Martii a. MDCCCCV,. Pontificatus Noátri secundo.

PIUS PP. X

LITTERAE

## Pii PP. X ad Rectorem Catholici Instituti Parisiensis de studiis sacris et profanis recte excolendis.

DILECTO FILIO LUDOVICO PÉCHENARD, PROTÖN. APOSTOLICO, CATHOLICI INSTITUTI PARISIENSIS RECTORI.

PIUS PP. X

*Dilecte Fili, salutem et Apostolicam benedictionem.*

Solemne illud semper Ecclesiae fuit, doctrinae studia colere tuerique diligenter, idque non modo in sacris disciplinis, quanquam in his, uti par est, maxime; verum etiam in ceteris : propterea quod istae quidem non parum ad illas afferunt adiumenti. Intimo enim quodam vinculo aptae inter se et connexae utraeque sunt: utpote a Deo, *scientiarum Domino,* profectae, a quo tanquam ab unico fonte, quaecumque vera sunt, necessitate manant. Profecto Decessores Nostri omni tempore ad Apostolici muneris partes arbitrati sunt pertinere, eruditionem omne genus fovere pro viribus': nec ultima laus est Pontificum Romanorum, nobiles illas aevo medio condidisse opibusque et maximis beneficiis ornasse studiorum Universitates quas, quae nunc florent, suas quasi quasdam parentes agnoscunt. Iamvero similem Nos curam de bonarum artium studiis cum geramus, equidem grata habuimus, quae de isto, cui praesides, Instituto haud ita pridem significasti coram. Sed tamen ut melius pateat quemadmodum Nos erga illud affecti simus, has ad te visum est litteras mittere. Ac primum egregia danda laus est Venerabilibus Fratribus e Gallia Episcopis, quorum et auctoritate praecipue Institutum regitur, et providentia tuitioni ipsius studiose ; consulitur. Tum non mediocriter ii laudandi catholici homines, quotquot id ipsum existimant dignum, cui prolixe de facultatibus suis opitulentur. Hi nimirum persuasum habent, id quod res est, plurimum interesse civitatis aeque

ac religionis, sic, in magnis potissimum lyceis, institui adolescentes, ut eum solidae doctrinae praeceptis, simul christianos hauriant spiritus; hodie autem, ut cum maxime,,oportere vulgo sacerdotes esse non solum a theologia bene instructos, sed etiam a philosophia, a iure, a cognitione naturae, a litteris. Usitatum quippe est ac prope quotidianum apud homines, opinione potius quam re doctos, tela adversus fidem undique in officina scientiae conquirere, Novimus autem, quam libenter vix attinet dicere, Instituto Parisiensi, uti nunquam defuerint, ita minime in praesens desiderari decüriales doctores eiusmodi, qui et scientiae et religioni ornamento sint. Atque hi, suum exequendo munus, nostris temporibus, si unquam alias, difficile et arduum, pròbe meminisse videntur, quid a se officium postulet;- id est, ut sanctissima sapientiae veteris principia in tuto collocent; hoc primum: deinde ut, progredientis eruditionis ratione habita, quidquid veri est recentiorum sollertia repertum, minime negligant. Enimvero has migrare et non servare leges multi consueverunt, neque ex eis* tantummodo qui catholicae professioni adversantur, sed quicumque praeterea traditionem magisteriumque Ecclesiae non tanti a se fieri ostendunt, quanti debent; quique illud videntur sine ulla exceptione probare velle, quod dici solet: *cras, quod hodie falsum, habebitur verum.* Hinc illa pervulgata ratio submovendi vetera, obtrudendi nova, nullam fere ob aliam causam, nisi novitatis ; tanquam doctrinae summa in fastidio quodam vetustatis ponenda sit. Verum ab ista vos ratione dehortari supervacaneum est: novimus vestri in Apostolicam Sedem obsequii diligentiarii ; nec vero dubitari licet, quin velitis etiam in hoc genere Romano Pontifici semper probari. Quare Institutum vestrum quod laetos ad hoc tempus fructus apud vestrates pepererit, gratulamur; idem ut bona utilitatum ac nominis incrementa capiat, valde cupimus; in eam rem omnes, qui quoquo modo ipsum participant aut iuvant, ut, quantum quisque possit, nitantur, etiam atque

etiam hortamur. Auspex interea divinae opis tibi, dilecte fili, eisque sit Apostolica benedictio, quam peculiaris quoque benevolentiae Nostrae testem peramanter vobis in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die xxn Februarii anno MDCCCCV, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. X

## LITTERAE

Quibus Pius PP. X in saeculari natali Asceterii vulgo " Ponterottb „ ob praeclara eiusdem beneficia erga romanam plebem summopere laetatur.

DILECTIS FILIIS RICHARDO SCHÜLLER
MODERATORI TEMPORARIO ASCETERII IN AEDIBUS PONTIANIS
CETERISQUE SACERDOTIBUS EIDEM ASCETERIO ADDICTIS.

PIUS PP. x

*Dilecti Filii, salutem et Apostolicam benedictionem.*

Proximi, ut accepimus, dies saeculum conficient ab asceterii yestri primordiis: eosque, uti faustos et laetabiles, varia vos caeremoniarum celebritate acturi estis. Laudi vobis est, hoc suscepisse propositum: quippe non modo cum amore studioque congruit, quo istum laborum vestrorum campum recte diligitis, sed etiam valde videtur opportunum esse atque utile. Etenim hoc toto spatio temporis praeclara ob venere ab isto ipso asceterio beneficia romanae plebi; quae si, in tot tantisque offensionibus, illecebris et insidiis, adhuc tamen non adeo amplam iacturam fecit christianae professionis et vitae, tribuendum non exigua ex parte est industriae ac diligentiae sacerdotum, qui in sacro eo secessu elaborare solent, ut rudes adolescentum ac saepe etiam virorum animos reddant Divino Pabulo accipiendo idoneos. Sane Sanctissimae Eucharistiae libatio prima, vix dici potest quanti referat ad

christiani hominis salutem, ut rite sancteque fiat. Hoc persuaso, et sacerdos ille optimi exempli, Ioachimus Michelini totum se **ad** tam salutare sacri ministerii genus contulit, et deinceps numquam defuerunt e romano Clero viri, qui opus, ab ipso inceptum, diligentissime persequerentur. Atque in his complures doctrina, sanctimonia et animarum caritate insignes recensendi sunt : illa nominatim catholicae Ecclesiae lumina et ornamenta, Gaspar Del Bufalo, Vincentius Pallotti et Pius IX ; qui quidem sacerdotale suum munus ibidem est felicissime auspicatus. Iamvero egregiam fructuosamque horum commemorari operam, ac mirabilia celebrari, quae saepius Magna Dei Mater, *Refugium peccatorum,* dedit instituto vestro patrocinii sui documenta, id quod per saecularem asceterii natalem fiet, omnino dignum est, idemque conducibile ad àcuendos in vobis rectos spiritus, ad simile in aliis excitandum studium, ad **popularem'** pietatem refovendam. Itaque visum est Nobis vestras istas augere laetitias his litteris : qua occasione libenter utimur, ut vobis, tam qui piam istam Domum regitis, quam qui in eadem sive concionatorum sive adiutorum id est assistentium officium obitis, animum Nos et gratum et propensum singulis testemur. Quare agite, dilecti filii, et commendatione ac voce Nostra erecti, pergite vel alacriores, Curionum Urbis, in re maxima, onus atque munus, secundum ea quae nuper a Nobis praescripta sunt, prò viribus allevare. Interea caelestium bonorum auspicium et paternae Nostrae benevolentiae pignus, habete Apostolicam benedictionem, quam vobis peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die xxvi Februarii anno MDCCCCV, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. X

# EX SACRO CONSISTORIO

Pius PP. X de rebus Galliae et Aequatorianae Reipublicae necnon de Extremi Orientis bello conqueritur, dum laetatur de pacis studio Brasiliae, Peruviae et Boliviae.

**SSmus D. N. Pius PP. X mane diei 27 Martii 1905 in Palatio Apostolico Vaticano tenuit Consistorium Secretum, in quo Emus et Revmus D. Card. Sanminiatelli Zabarella, expleto Camerarii S. Collegii officio, consuetam Perulam obtulit Sanctitati Suae, quae eam Emo et Revmo D. Card. Mathieu tradere dignata est. Postea SSmus Pater sequentem habuit Allocutionem :**

*Venerabiles Fratres,*

Amplissimum coetum vestrum, tertium pro officii munere, allocuturos, piget Nos admodum ea iterum afferre argumenta, quae non laetitiam faciant, sed moerorem confirment. Sed nostis optime, hunc esse Dei, provide disponentis, nutum, ut tristibus Ecclesia ne careat unquam, ut nempe eo digna sit Sponso, qui, quo illam sibi exhiberet gloriosam, non habentem maculam, poni voluit in signum cui contradiceretur.

Querebamur ad vos, Venerabiles Fratres, consilia agitari apud Gallos, quae maxime religioni essent infesta: querebamur propositum, non eam modo rescindendi pactionem, quam, superiore ineunte saeculo, ad commune religionis et civitatis bonum, Romanus Pontifex ac reipublicae Gallorum Moderatores fecerant; sed, lege lata, civilis imperii ab Ecclesia discidium perpetuo sançiendi. Iamvero etsi Nos, omni studio omnique qua licebat ratione, etiam postremis hisce diebus, tantam cladem avertere conati sumus, quin et conari adhuc voluntas est, quum nihil a Nobis longius absit quam velle Nos a pactis conventis eximere ; attamen eo res urgetur ardore, ut sit plane pertimescendum, ne brevi ad exitus adducatur. Gallorum gentis, quam Nos ex animo adamamus, vicem dolemus graviter; quidquid enim damni ubivis obveniat

Ecclesiae, id experiendo novimus rei quoque publicae detrimentum esse. Teneant Hòc pròbe, non ii modo qui in Gallia catholicarum sunt partium, quibus Ecclesiae defensionem suscipere sanctum esse debet; verum etiam pacis publicaeque securitatis quotquot sunt amatores, ut communi demum studio tantam patriae perniciem prohibeant.

Haec inter, Venerabiles Fratres, contristai adhuc animum immariitas belli, quo extremae iamdiu Orientis orae caedibus, incendiis, sanguine funestantur. Quot ibi rerum lacrymae ! Vices illius in hisce terris gerentes, qui auctor est et cónciliator pacis,, Deurti, in spiritu humilitatis, enixe obsecramus ut principibus ac populis quae ad concordiam pertinent consilia benigne impertiat Tot plane tantaque genus ubique hominum conficiunt mala, ut non sit opus armorum etiam strepitu perturbari et contentione bellorum !

Quantum pacis studio ex omni parte sit tribuendum sensere nuper feliciter qui Brasiliani, Peruviani, Boliviam supremo imperio moderantur. Exortis enim de praescribendis regendisque finibus controversiis inter foederatas Brasiliae civitates et utramque gentem, Peruvianam videlicet ac Boliviensem, periclitan vetus concordia videbatur. At vero, qui publicae rei regundae praesunt, sapienti equidem saluberrimoque consilio, contentionem alieno iudicio terminandam decreverunt Qua in re cum prudentissime reputarent, tutandae pacis officium Pontificatui Maximo innatum fere esse atque insitum, communi sententia, Sedis huius Apostolicae Nuntium virorum coetui praefeceirunt, quorum esset causa suffragiis dirimenda. Quae dum vobiscum, Venerabiles Fratres, laeto animo communicamus, dictarum gentium Praesidibus gratias publice referre libet, quod honorem eiusmodi Nobis et Cathedrae Beati Petri habere voluerint.

Quam coniunctionem Nobiscum, quae maximarum utilitatum conciliatrix est, utinam pro merito aestimarent qui Aequatorianae Reipublicae regimine potiuntur. Scilicet Ro-

mani Pontifices decessores Nostri, atque in primis Pius IX sanctissimae recordationis, caritatem suam in Aequatorianum populum multis magnisque argumentis demonstrarunt. Quid vero? Eas modo,leges ibi latas novimus, quae ad catholicam Ecclesiam et antiquam patrum religionem non vexandam solum sed pene interimendam sancitas quis dixerit. Nos, ne deesse muneri videamur, illatum religioni vulnus non dolemus modo, sed publice arguimus; sperantes consideradora consilia ab iis, quorum interest utilitati suae gentis prospicere, esse capienda. Episcopos interea et catholicos universos Aequatorianae gentis non demittere animum iubemus, sed magno erectoque religionem tueri debitamque illi adserere libertatem, nulla tamen tentata via, quam ordo ac iustitia intercedat. Aderit conantibus Deus, qui mortificat et vivificat, deducit ad inferos et reducit.

Ceterum, Venerabiles Fratres, non sine praemio futuram confidimus, quam catholici universi testati sunt pietatem in augustam Dei Matrem, quum superiore decembri mense quinquagesimus annus impletus est a solemni promulgatione decreti, quo Eadem primaeva labe immunis edicebatur. Virgo suavissima, quae Ecclesiam plane diligit quam acquisivit Christus sanguine suo, optatae pacis gaudia ne diu desideremus efficiet.

Et benedictio Dei Omnipotentis etc.

**Peracta deinde consueta optione ad vacantem ecclesiam Suburbicariam Sabinensem, SSmus Pater sequentibus ecclesiis providere dignatus est:**

*Ecclesiae Cathedrali Suburbicariae Sabinen., cui adnexus est titulus Abbatialis ecclesiae S. Mariae Farfensis,* **per Eiïium et Revinum D. Franciscum de Paula Cassetta, qui Presbyteralem titulum S. Chrysogoni dimittit.**

*Ecclesiae Metropolitanae Vercellen,* **per R. P. D. Theodorum Ernestum Mariam Valfré di Bonzo, promotum ab ecclesia Cathedrali Comensi.**

*Ecclesiae Metropolitanae Granaten,* **per R. P. D. Iosephum Meseguer** *y* **Costa, promotum ab ecclesia Cathedrali Illerdensi.**

*Ecclesiae Metropolitanae Bambergen,* **per R¿ D. Fridericum Philip-**

**pum Abert, dioeceseos Herbipolensis, Doctorem in sacra theologia. Rectorem Magnificum et Professorem theologiae dogmaticae in Universitate Wircémburgensi.**

*Ecclesiae titulari Archiepiscopali Pessinuntin.* **per R. D. Aemilium Parodi, e Congregatione Missionis, archidioeceseos Ianuensis, Visitatorem provincialem propriae Congregationis in Pedemontana regione, deputatum in Coadiutorem cum futura successione R. P. D. Didaci Marongiu Delrio, Archiepiscopi Turritani.**

*Ecclesiae Cathedrali Legionen,* **per R. D. Ioannem Emmanuelem Sanz y Saravia, archidioeceseos Hispalensis, Doctorem in sacra theologia, Professorem sacrae theologiae atque historiae ecclesiasticae in archidioecesano Seminario simulque Parochum ecclesiae S. Andreae.**

*Ecclesiae titulari Episcopali Doren., cui est adnexus Prioratus quatuor Ordinum Militarium in Hispania,* **per R. D. Remigium Gandasegui y Gorrochategui, dioecesis Victoriensis, Doctorem in sacra theologia, Canonicum Lectoralem in ecclesia Metropolitana Caesaraugustana.**

*Ecclesiae titulari Episcopali Eucarpien.* **per R. D. Cyrillum de Paula Freitas, dioeceseos Adamantinae, Parochum in loco** *Taboleiro Grande* **nuncupato, deputatum in Coadiutorem cum futura successione R. P. D. Caroli Aloisii d'Amour, Episcopi Cuyabensis in Brasilia.**

*Ecclesiae titulari Episcopali Ga^en.* **per R. D. Constantium Castrale, archidioeceseos Taurinensis, Doctorem in sacra theologia, Parochum et Vicarium foraneum in loco** *Favria* **nuncupato.**

**Postea Sanctitas Sua publicavit provisionem, iam per Breve factam, sequentium ecclesiarum :**

*Ecclesiae titularis Archiepiscopalis Nicaen.* **per R. P. D. Ioannem Tacci, promotum ab ecclesia Cathedrali Civitatis Plebis, et electum in Delegatum Apostolicum pro Orientalibus Vicariumque Patriarchalem pro Latinis Costantinopoli.**

*Ecclesiae titularis Archiepiscopalis Areopolitan.* **per R. P. D. Lazarum Miedia, promotum ab ecclesia Cathedrali Sappensi, deputatum in Coadiutorem cum futura successione R. P. D. Paschalis Guerini, Archiepiscopi Scodrensis.**

*Ecclesiae titularis Archiepiscopalis Cabasitan.* **per R. D. Iulium Victorem Mariam Pichón, dioeceseos Corisopitensis, in archidioecesi Portus Principis Canonicum honorarium et Vicarium Generalem, deputatum in Coadiutorem cum futura successione R. P. D. Iuliani Conan, Archiepiscopi Portus Principis.**

*Ecclesiae titularis Archiepiscopalis Serrarum* **per R. P. Fredianum Giannini, ex Ordine Minorum, archidioeceseos Lucanae, Custodem Ter-**

**rae Sanctae, deputatum in Vicarium Apostolicum Aleppensem atque Delegatum Apostolicum in Syria.**

*Ecclesiae Cathedralis Bailar aten,* **per R. P. D. Iosephum Higgins, translatum ab ecclesia Cathedrali Rockhamptoniensi.**

*Ecclesiae Cathedralis S. Severi* **per R. P. D. Emmanuelem Merra, translatum ab ecclesia Cathedrali Cotronensi.**

*Ecclesiae Cathedralis Urbevetan,* **per R. P. D. Salvatorem Fratocchi, translatum ab ecclesia titulari Episcopali Memphitensi.**

*Ecclesiae Cathedralis Bergomen,* **per R. P. D. Iacobum Mariam Radini Tedeschi, dioeceseos Placentinae, Doctorem in sacra theologia et in iure canonico, Professorem sociologiae in Pontificio Collegio Leoniano, Membrum plurium Academiarum, Adsistentem ecclesiasticum plurium catholicarum Societatum, Missionarium Apostolicum, Protonotarium Apostolicum Supranumerarium, Canonicum Patriarchalis Basilicae Vaticanae.**

*Ecclesiae Cathedralis Assisien.* **per R. P. Ambrosium Luddi, ex Ordine Praedicatorum, dioeceseos Aretinae, Magistrum in sacra theologia, Florentiae Priorem et Parochum S. Marci.**

*Ecclesiae Cathedralis Angren.* **per R. D. Iosephum Correa Cardoso Monteiro, Larhucensis dioeceseos, Doctorem in sacra theologia, Canonicum Cantorem in ecclesia Cathedrali Portugallensi et Professorem sacrae theologiae in Seminario.**

*Ecclesiae Cathedralis Saltillen.* **per R. D. Iesum Mariam Echavarria, dioeceseos Sinaloensis, ibique Vicarium Generalem.**

*Ecclesiae Cathedralis Campecoren.* **per R. D. Franciscum Mendoza, dioeceseos Zamorensis Americae, ibique Canonicum Archidiaconum ecclesiae Cathedralis.**

*Ecclesiae Cathedralis Corduben. in America* **per R. P. Zenonem Bustos, ex Ordine Minorum, dioeceseos Cordubensis, Ministrum Provincialem in Republica Argentina.**

*Ecclesiae titularis Episcopalis Delcen.* **per R. D. Antonium Bassani, dioeceseos Clodiensis, Professorem sacrae theologiae in dioecesano Seminario, Canonicum Theologum ecclesiae Cathedralis et Vicarium Generalem, deputatum in Coadiutorem cum futura successione R. P. D. Ludovici Marangoni, Episcopi Clodiensis.**

*Ecclesiae titularis Episcopalis Domitiopolitan.* **per R. P. D. Augustinum Fischer-Colbrie, archidioeceseos Strigoniensis, Doctorem in sacra theologia, Protonotarium Apostolicum ad instar participantium, Rectorem Collegii Pazmaniani, Canonicum ecclesiae Metropolitanae Strigoniensis, deputatum in Coadiutorem cum futura successione R. P. D. Sigismundi Rubics, Episcopi Cassoviensis.**

*Ecclesiae titularis Episcopalis Titopolitan.* **per R. D. Guilelmum comitem Batthyány, dioeceseos Vesprimiensis, Doctorem in iure canonico, intimum Cubicularium supra numerum Sanctitatis Suae, Canonicum ecclesiae Cathedralis Nitriensis, deputatum in Coadiutorem cum futura successione R. P. D. Emeri ci Bende, Episcopi Nitriensis.**

*Ecclesiae titularis Episcopalis Berenicaeae* **per R. D. Thomam Franciscum Hickey, dioeceseos Roffensis, Doctorem in iure, Vicarium Generalem et Rectorem ecclesiae Cathedralis Roffensis, deputatum in Coadiutorem cum futura successione R. P. D. Bernardi Mac Quaid, Episcopi Roffensis in America.**

*Ecclesiae titularis Episcopalis Thagoren.* **per R. P. Leonardum Stephanum Deda, ex Ordine Minorum, dioeceseos Scodrensis, Superiorem Hospitii Franciscani et Parochum in loco** *Trosciani* **nuncupato, deputatum in Coadiutorem cum futura successione R. P. D. Francisci Malczynslri, Episcopi Alexiensis.**

*Ecclesiae titularis Episcopalis Tadamaten.* **per R. P. Modestum Everaerst, ex Ordine Minorum, archidioeceseos Mechliniensis, deputatum in Vicarium Apostolicum Hupé Occiduo-meridionalis.**

*Ecclesiae titularis Episcopalis Paraetoniae* **per R. P. Henricum Vieter, ex Pia Societate Missionum, dioeceseos Monasteriensis, deputatum in Vicarium Apostolicum Cameronensem.**

*Ecclesiae titularis Episcopalis Europen.* **per R. D. Angelum Philippum Sinibaldi, dioeceseos Signinae, Doctorem in philosophia, in sacra theologia et in utroque iure,* intimum Cubicularium supra numerum Sanctitatis Suae, quondam Vicarium Generalem in dioecesi Signina et in Senogalliensi, deputatum in Suffraganeum Ostiensem et Veliternensem.**

*Ecclesiae titularis Episcopalis Poglen.* **per R. D. Zoticum Racicot, Doctorem in sacra theologia, Protonotarium Apostolicum ad instar participantium , Decanum Capituli Metropolitani et Vicarium Generalem Marianopolitanum, deputatum in Auxiliarem R. P. D. Pauli Bruchesi, Archiepiscopi Marianopoiitani.**

*Ecclesiae titularis Episcopalis Cla^omen.* **per R. D. Guilelmum Thimoteum Cotter, Canonicum Parochum ecclesiae Cathedralis Portusmuthensis, deputatum in Auxiliarem R. P. D. Ioannis Baptistae Canili, Episcopi Portusmuthensis.**

**Tandem peracta fuit postulatio Sacri Pallii pro ecclesiis Metropolitanis Vercellensi, Granatensi et Bambergensi.**

# EX SECRETARIA BREVIUM

De Equestribus Pontificiis Ordinibus S. Silvestri, Militiae auratae et Militiae Iesu Christi **(i).**

## PIUS PP. X

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Multum ad excitandos ad egregia facinora hominum animos, praemia virtuti reddita valent, quae dum ornant egre-

**(i) Ex officio sequentem Notificationem Cancellariae Ordinum Equestrium publicamus, qua accurate enumerantur omnes Ordines Equestres Pontificii; ita quaevis ambiguitas aufertur circa alios, qui quacumque ratione tamquam a S. Sede recogniti et approbati haberi possent, eorumque nullitas absolute declaratur :**

**Ordini Equestri Pontificii**

**i°. Supremo Ordine di Cristo. Classe unica di Cavalieri Collari.**

**2°. Ordine Piano. L'Ordine è distinto in tre gradi : Cavalieri di i**a **Classe:** *Gran Croce.* **— Cavalieri di 2**a **Classe:** *Commendatori.* **— Cavalieri di 3**a **Classe:** *Cavalieri.*

**3°. Ordine di S. Gregorio Magno. L'Ordine è distinto in due classi :** *Civile e Militare.* **Ha in ciascuna tre gradi: Cavalieri di I**a **Classe:** *Gran Croce.* **— Cavalieri di 2**a **Classe :** *Commendatori.* **— Cavalieri di 3**a **Classe :** *Cavalieri.*

**4°. Ordine di S. Silvestro. L'Ordine è distinto in tre gradi: Cavalieri di i**a **Classe :** *Gran Croce.* **— Cavalieri di 2° Classe :** *Commendatori.* **— Cavalieri di 3**a **Classe:** *Cavalieri.*

**Ordine della Milizia Aurata, detta dello Speron d'oro. L,' ordine ha una sola classe di** *Cavalieri.* **Quest'ordine destinato a premiare in modo particolare coloro che possono dichiararsi veramente benemeriti della Chiesa e del Sovrano Pontefice, è fuori rango, potendosi conferire tanto a chi nessun'altra distinzione Cavalleresca avesse delia Santa Sede, quanto a chi fosse già insignito anche dell'Ordine Supremo di Cristo.**

**5°. Ordine del S. Sepolcro. Di questo insigne Ordine il Sommo Pontefice riservando sempre alla Sua Augusta Persona e per Essa al Cardinale Gran Cancelliere degli Ordini Equestri la Suprema Autorità, ha accordato al Patriarca Latino di Gerusalemme il Titolo di Gran Maestro, con facoltà di concederne le Insegne a seconda delle disposizioni date in proposito.**

**Il Sommo Pontefice in qualche circostanza di alto rilievo, ma assai raramente, ai Commendatori dell'Ordine Piano, di S. Gregorio Magno, e di S. Silvestro conferisce per privilegio speciale l'uso della Placca, come ai Cavalieri Gran Croce, ma di dimensione minore.**

gios bene de re sacra vel publica méritos viros, ceteros exemplo rapiunt ad idem laudis honorisque spatium decurrendum. Hoc quidem sapienti consilio Romani Pontifices Decessores Nostri Equestres Ordines, quasi gloriae stimulos, singulari studio prosequuti sunt, horumque alios instituere, alios iam institutos, vel prístino decori restituerunt, vel novis ac potioribus privilegiis ditarunt.

Nunc autem cum peropportunum visum sit gravibus de causis quaedam immutare de nonnullis Equestribus Pontificiis Ordinibus, nempe de Ordine Sancti Silvestri Papae sive Militiae auratae, ac de Ordine Militiae Iesu Cristi, Nos collatis consiliis cum dilecto filio Nostro Aloisio S. R. Ecclesiae Diacono Cardinali Macchi, a Brevibus Apostolicis Litteris Secretario, et Pontificiae Sedis Equestrium Ordinum Magno Cancellario, omnibus rei momentis attente ac sedulo perpensis, ex certa scientia ac matura deliberatione Nostris haec quae infrascripta sunt decernenda existimavimus.

Neminem latet Ordinem Militiae auratae, sive ab aureo calcari, inter vetustissimos iure esse enumerandum : Constantino enim Magno Imperatore, Silvester PP. I sanctae memoriae Decessor Noster, auctor illius fuisse dicitur. Hic priscis potissimum temporibus a Decessoribus Nostris magno semper in honore habitus est; sed postea rerum humanarum ac temporum vicissitudine de veteri splendore ac dignitate excidit. Illum per Apostolicas Literas die xxxr mensis Octobris anno MDCCCXXXXI eadem hac forma datas Gregorius PP. XVI rec. mem. Decessor Noster ad pristinum decus curavit revocandum: ipsi vero titulum Sancto Silvestro Papa tribui iussit atque exinde novum quasi constituit Equestrem Ordinem Sancti Silvestri Papae, sive auratae Militiae appellatum. Eundem Ordinem duabus tantum constare classibus praescripsit Commendatorum, et Equitum, sed in praesens iustae et rationabiles causae suadent ut etiam Equester Ordo Sancti Silvestri, non minus atque Ordines Gregorianus et Pianus tribus in po-

sterum classibus constet, Equitum scilicet, Commendatorum, et Equitum a Magna Cruce. Nos itaque superiorem illam classem Ordini Sancti Silvestri tribuentes, eundem a Militia aurata penitus seiungendum esse arbitramur: ne vero nobilissimi Ordinis Militiae auratae memoriam aetas obliteret, et ipsam Militiam in distinctum Equestrem coetum de integro constituendam edicimus.

Quae cum ita sint, hisce Literis, auctoritate Nostra, perpetuum in modum decernimus ac mandamus ut Equester Ordo Sancti Silvestri Papae, ab illo Militiae auratae omnino separetur, atque alterum ab altero, per praesentes, ita seiungimus, ut duo diversi ac distincti in posterum Ordines exinde efformentur, alter a Sancto Silvestro Papa appellandus, et alter a Militia aurata sive aureo ex calcari. Ordo Sancti Silvestri, non aliter ac Pontificii Ordines supradicti Gregorianus et Pianus tribus constet classibus, nempe Equitum sive tertia, Commendatorum sive secunda, et Equitum a Magna Cruce sive prima classi. Crux Ordinis propria eadem esto atque hodierna dempto aureo dependente calcari, sit videlicet aurea, octangula, alba superficie, Imaginem Sancti Silvestri Papae in medio adversa parte referens, aversa vero emblema Pontificium caeruleo inclusum circulo, quo tum Gregorianae instaurationis, cum hodiernae renovationis anni, aureis literis imprimantur MDCCCXXXXI et MDCCCCV. Ipsa Crux argenteae stellae radiis imposita Ordinis numisma sit. Similiter ruber ac niger sint fasciae Ordinis propriae colores. Sit vestis nigri coloris tunica, unico globulorum ordine ad extremas manicas et circa collum villoso serico nigro ornata, ac phrygiis ex auro operibus distincta. Femoralia nigra sunto, praelonga cum fascia ex auro. Niger ex serico villoso galerus oblongus, duplici cuspide, emblemate Pontificio ac parvo aurato flocco insignis. Ensi, aurato cingulo innexo, capulus sit e concha albida, ornata auro. Tum Crucis moduli ac numismatis, tum vestis opera phrygia, tum galeri ornamenta pro vario Equitum gradu dif-

ferent, minora scilicet pro Equitibus simplicibus, pro superioribus classibus maiora. Gerant Equités Crucem sinistro pectoris latere dependentem e taenia serica rubro et nigro distincta colore extremis oris rubris. Gerant Commendatores Crucem eamdem maioris moduli, simili taenia collo circumducta pendentem, galerum nigra ornent penna. Equités denique a Magna Cruce gerant Crucem maximi moduli quae fascia serica praelonga, binis Ordinis coloribus picta, dextero humero sustineatur ; sinistro vestis lateri ad pectus innexum proprium primae classis numisma maius deferant; albam galero pennam imponant. Cum vero contingat ut viri ad gradum Commendatorum evehendi egregiis iis meritis eniteant, quae quasi potiora Pontificiae voluntatis testimonia exposcant, volumus, ut sicuti fieri interdum solet in Ordinibus Gregoriano et Piano, etiam Commendatores Ordinis Sancti Silvestri Papae ex singulari prorsus gratia numismate uti queant minori, secundae classis proprio sive Commendatorum, illudque ad pectus sinistro lateri innexum gestent.

Quod vero attinet ad Ordinem Militiae auratae, sive ab aureo calcari, sic auctoritate Nostra ab Ordine Sancti Silvestri Papae seiunctum, animo repetentes vetustissimas et gloriosas Ordinis illius memorias, Nos eum non solum ad pristinum gradum restituere, sed novo etiam splendore cohonestare, ac funditus sub coelesti Immaculatae Virginis patrocinio per praesentes instaurare statuimus. Et sane cum Pontificia Sedes Ordine Equestri careat, qui sit sub Virginis praesidio constitutus, hoc potissimum anno, a solemni definitione Dogmatis Immaculatae Conceptionis quinquagesimo, atque hac tempestate qua tot tantaque mala videt lugetque christianus orbis, placet Nobis huic Equestri Ordini in quem dumtaxat fortissimi Ecclesiae Dei vindices atque adsertores erunt cooptandi, coelestem Patronam Immaculatam illam Deiparam Virginem adsignare, quae « terribilis sicut castrorüm acies ordinata » draconis inferni caput victrix conteret. Quocirca

praecipimus ut in Ordinem Militiae auratae, sive ab aureo calcari, ii tantum inserantur praestantissimi viri, qui vel armis, vel scriptis, vel praeclaris operibus rem catholicam auxerint, et Ecclesiam Dei virtute tutarint, aut doctrina illustraverint, ideoque tribui poterit tum iis qui qualibet alia Equestri'dignitate sint expertes, cum illis qui iam splendidioribus titulis et 'ipso supremo Militiae Iesu Christi Ordine potiantur. Ordo Militiae auratae constet unica Equitum classi. Nostro et Romani Pontificis pro tempore existentis Motu proprio conferatur : liber esto a iuribus Cancellariae ; Equités pro universo catholico orbe centum numerum non excedant, ne dignitas ex frequentia minuatur. Quoad huius Ordinis propriam Crucem , iuxta tenorem similium Benedicti PP. XIV rec. mem. Nostri Decessoris in forma Brevis Literarum, sub die vii Septembris mensis anno MDCCXXXXVH quibus cautum est ne Equités Militiae auratae Crucem Hierosolymitani Ordinis usurparent, volumus ut Crux Ordinis eiusdem auratae Militiae, sit octógona, aurea, enchausto flavo obducta, cum aureo inferius dependente calcari ; referatque in medio parvum numisma album, aureo adversa parte, inclusum circulo et augustissimo Virginis Mariae nomine inscriptum, aversa vero numerum referat praesentis anni MDCCCCV et in circulo « Pius X restituit ». Cruci trophaeum ex auro supereminèat. Eadem Crux argenteae stellae radiis super imposita Ordinis numisma sit. Careant Equités torque, sitque eorum vestis rubri coloris tunica, duplici ordine globulorum ex auro, circa collum atque ad extremas manicas serico villoso nigro distincta cum fimbriis aureis. Humeralia sint, tum aureis laciniis, tum Ordinis emblemate superne ornata. Femoralia praelonga, sint e panno nigro, cum aurea fascia. Calcaría aurea. Oblongus, duplici cuspide, fimbriatus auro galerus, Pontificios referat aureo nodo inclusos colores. Aurata Crux, sit gladii capulus, vagina nigra, cingulus aureus cum fimbriis rubris. Sicuti priscis temporibus Ordinis taenia sit rubri coloris, sed circumdata albo. Gestent

Equités Crucem taenia serica rubra extremis oris alba, collo circumducta dependentem. Inserant ad pectus sinistro lateri numisma. Quibus animi ingeniique dotibus lectissimös viros hoc Ordine decorandos, praeditos esse oporteat clare, superius significavimus, ideoque ut hi semper meritis dumtaxat propriis commendentur, omnes concessiones etiam a Decessoribus Nostris Militiae auratae Equitibus factas, circa privilegium nobilitatis, et Palatini Comitis titulum quae fortasse nondum sublatae fuerint, vi similium Apostolicarum Literarum Gregorii PP. XVI, sub die xxxi Octobris anni MDCCCXXXXI quas ante recensuimus, per praesentes auctoritate Nostra interposita omnino abrogamus, easque in posterum nullius roboris esse decernimus ac statuimus.

Denique oculos mentis nostrae convertentes ad Militiae Iesu Christi nobilissimum Ordinem, quem, anno Mcccxviir post Ordinis Templi ruinam, Dionysius I Portugalliae et Algarbiorum Rex instituit, auctore et auspice Ioanne PP. XXII rec. mem. Praedecessore Nostro, hunc Equestrium Pontificiae Sedis Ordinum, Supremum esse auctoritate Nostra, per praesentes edicimus ac mandamus, quo non alter sit dignitate potior, sed ceteris amplitudine ac splendore superemiheat. Una sit Equitum classis sed quo magis per Nos consultum sit huius Supremi Ordinis decori, volumus ut posthac Crux Ordinis propria collo dependeat, ex aureo torque, qui constet alternis clypeolis Crucem Ordinis ac Pontificium emblema referentibus nodis aureis inter se iunctis. Traditum enim memoriae est, et ipsos veteres dictae Militiae Equités simili torque iamdiu usos fuisse alternis ensibus ac tiaris caelato. Similiter volumus ut in magno numismate corona querna ex auro, parva taenia, ex enchausto rubro, inferius viñeta Crucem concludat: tandem ut femoralia alba e serico rasili genua non praetergrediantur; caligae sint sericae, et item albae: aureae denique fibulae calcéolos ornent. Quoad tunicam, ensem et alia ornamenta nihil immutetur.

Verum tamen expresse mandamus ne inter Equités eiusdem Militiae discrimen contingat, sed unusquisque Ordo stemmata, insignia, arma, atque ornamenta, a Sancta Sede praescripta servet integerrime, ut praefata insignia Cruces, numismata, vestes, enses, opera phrygia, atque ornamenta, tum propria Ordinum supradictorum Sancti Silvestri Papae, Militiae auratae, ac Militiae Iesu Christi, cum ceterorum quos Apostolica Sedes conferre solet, sint adamussim confecta ad normam exemplarium quae in Cancellaria Equestrium Ordinum, penes Nostram a Brevibus Apostolicis Literis Secretariam, iussimus asservari; simulque prae oculis habeantur apposita schemata, quae singulis vicibus, cuilibet Equestri dignitate aucto, de more traduntur.

Haec statuimus, mandamus, praecipimus, decernentes praesentes Literas firmas validas atque efficaces semper fore, suosque plenarios atque integros effectus sortiri atque obtinere, illisque ad quos spectat plenissime suffragari; irritumque et inane si secus quidquam super his a quocumque quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis nec non supradictorum Equestrium Ordinum etiam statutis, ceterisque contrariis licet speciali mentione dignis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub anulo Piscatoris die 7 Februarii anno MDCCCCV, Pontificatus Nostri anno secundo.

ALOISIUS Card. MACCHI

# EX SECRETARIA STATUS

**Commendantur Associationes catholicae in Gallia ab auctoritate ecclesiastica dependentes, praesertim vero Societas de "Sillon,, occasione eiusdem Conventus Parisiis mox celebrandi.**

*Eminentissime et Reverendissime Seigneur* (1),

Sa Sainteté a été informée en même temps de la réunion prochaine, dans Votre capitale, d'un Congrès des jeunes gens du « Sillon » et de la bienveillance que Votre Eminence leur assurait pour la réalisation de leur projet. Le Saint-Père en a éprouvé une vive satisfaction, en faisant remarquer une fois de plus que les sentiments de Votre Eminence répondent merveilleusement à ce qui lui inspire son grand amour pour la France.

Dans sa sollicitude pour le bien de cette nation, le Saint-Père croit nécessaire que les pasteurs accueillent bienveillamment et protègent dans leurs diocèses les différentes associations et les œuvres multiples d'action catholique et sociale dues à l'initiative de simples laïques, pourvu qu'à la profession franchement déclarée de la foi catholique ils joignent une filiale et réelle soumission à l'autorité ecclésiastique.

Le but de ces associations et des œuvres ainsi dirigées a déjà mérité plusieurs fois les éloges du Saint-Siège, car les unes et les autres visent à ramener dans les bras de l'Eglise ceux de ces fils qui s'en sont malheuresement éloignés; elles sont destinées à seconder l'action du clergé, mais souvent elles le font grâce à des initiatives privées, dont les auteurs, par suite de leurs conditions de laïques, se trouvent, dans l'accomplissement de leur œuvre, plus à l'aise que ne le

(1) Emo Card. B. Richard, Archiepiscopo Parisiensi *(N. R.).*

seraient les prêtres. Ainsi s'explique que « l'Association de la Jeunesse catholique » et la Société plus récemment fondée sous le nom du «Sillon», ont pu, en peu dé t'emp, s'étendre et se développer sur la terre de France, toujours prête à accueillir la bonne semence. Ce n'est pas la différence des méthodes suivies par les diverses associations qui puisse être un sérieux obstacle, car, on le sait, il y a, dans l'Eglise, «multiplicité et variété de grâces», et, d'accord avec la doctrine apostolique, l'histoire nous offre l'exemple de divers types de sainteté, très différents les uns des autres; ce qui importe, c'est l'unité de l'esprit, rendue manifeste grâce au lien de la paix.

Le Saint-Père, dans le court' espace de temps qui s'est écoulé depuis qu'il a assumé le gouvernement de l'Eglise, a déjà eu plusieurs occasions de connaître de près les principales associations qui fleurissent en France, et a éprouvé une sainte joie du bon esprit qu'il a constaté aussi bien chez la « Jeunesse catholique » que chez les membres de l'association du « Sillon ». En ce qui regarde ces derniers, le Congrès annoncé vient à propos pour faire connaître encore mieux leurs intentions droites et leurs louables desseins. Il peut servir à éclairer tels points de leur programme qui, pour certains, n'ont pas paru peut-être assez lumineux ; il fournira l'occasion aux chefs de l'association d'affirmer qu'en fait de doctrine, ils entendent suivre toujours et uniquement l'Eglise catholique, et qu'en fait d'attitude., s'ils devaient intervenir dans les affaires publiques, il se proposeraient de joindre leurs forces à celles des autres catholiques, auxquels l'autorité ecclésiastique se montrerait favorable, afin qu'en aucune manière ils ne puissent réduire, par leur faute, les avantages de l'unité d'action.

C'est pour ces motifs que Sa Sainteté loue Votre Eminence de la faveur déjà accordée aux jeunes gens du « Sillon » et désire qu'elle continue à les encourager de sa précieuse

bienveillance, assurée qu'ils sauront accueillir avec docilité les conseils que Votre Eminence croira devoir leur donner pour la continuation de leur œuvre, ses progrès et son plus grand bien. L'auguste Pontife ne doute pas que l'exemple de la faveur de Votre Eminence aura pour effet de concilier à l'association du « Sillon » la bienveillance et la faveur des autres illustres membres de l'épiscopat français.

Ayant l'honneur, ainsi que Sa Sainteté m'en a chargé, de vous faire connaître les sentiments et les vœux de Sa Sainteté même, je vous baise humblement les mains, et avec les sentiments d'une profonde vénération, je me félicite de me redire

De Votre Eminence

Le très humble et dévoué serviteur
R. Card. MERRY DEL VAL.

Rome, 4 janvier 1905.

# ACTA ROM. CONGREGATIONUM

## EX S. CONGR. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

### URSULINARUM

**Quaevis Communitas Ursulinanim libera est acceptandi unionem totius Ordinis.**

*Très Saint Père,*

Sœur N. N., Supérieure des Ursulines à N., prend la liberté de s'adresser en toute confiance à Votre Sainteté pour Lui exposer un doute qui tient sa conscience en grande perplexité.

D'un côté, on lui dit **qu**'il y a, actuellement, pour toutes les Ursulines, obligation d'adhérer à l'union réalisée déjà

entre un certain nombre de maisons, de se soumettre à une Supérieure Générale de tout l'Ordre, qui résidera à Rome, et d'accepter les nouvelles Constitutions. D'autre part, elle connaît l'opposition de sa Communauté à une décision de ce genre, et elle redoute les difficultés sérieuses qui en seraient la conséquence. Désireuse cependant, par dessus tout, de soumettre sa volonté à la volonté du Saint-Siègç, elle prie Votre Sainteté de vouloir bien lui faire savoir si, dans les circostances particulières où elle se trouve, elle est obligée, en conscience d'accepter pour elle même cette union et de l'imposer à sa Communauté.

Et Deus etc.

Sacra Congregatio Emorum et Remorum S. R. E. Cardinalium Negotiis et Consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita super praemissis rescribendum censuit prout rescribit : *Negative,* sed integram hac de re manere libertatem uniuscuiusque Communitatis ad normam litterarum diei 21 Iulii 1899 (i).

Romae io Martii 1902.

Fr. H. Card. GOTTI, *Praefectus.*

L. S. A. Budini, *Subsecretarius.*

## TUSCULANA

### EXEMPTIONIS AC IURIUM

**Circa possessionem et exemptionem publici Oratorii extra claustra extantis, nec non circa Missam exequialem et solemnem animalium benedictionem in festo S. Antonii.**

**Species facti.** In oppido *Monte Compatri* nuncupato, Tusculanae dioecesis, Carmelitae Excalceati praeter coenobium et ecclesiam S. Silvestri habent extra claustra publicum

(i) In quibus propositum quidem panditur universum Ursulinarum Ordinem ad unius corporis compaginem redigendi, sed tamen singulis Religiosarum Familiis conceditur plena libertas adhaerendi, vel non, propositae unioni (N. R.).

Oratorium, ubi prodigiosa imago sub titulo B. M. V. *del Castagno* recolitur, quae in nonnullis solemnitatibus ad loci paroeciam transferri et publicae fidelium venerationi exponi solet. Hac,in re duplex exorta est quaestio. Prima agitatur inter Curiam dioecesanam et Carmelitas, qui contendunt Oratorium de Castaneo esse ipsorum proprium imo et exemptum ab Ordinarii dioecesani iurisdictione, ideoque pro dictae icónis translatione etiam temporanea consensum Religiosorum requiri. Altera movetur a locali parocho adversus eosdem Carmelitas, quippe qui, eius inimicis nimium indulgentes, tum solemne funus cuiusdam filiani in die tertia a morte, persolutis dumtaxat iustis funebriis in coemeterio absque exequiali Missa, celebrarunt, tum in festo S. Antonii Abbatis solemnem quorumdam animalium benedictionem publice peregerünt.

**Allegationes Carmelitarum.** Procurator Generalis imprimis sustinet proprietatem Capellae B. M. V. de Castaneo ad Carmelitas pertinere ex Bulla *Inter curas* Clementis VIII a. 1603, qui iisdem Abbatiam S. Silvestri concessit «cum suis bonis mobilibus et immobilibus, necnon sacra et profana supellectili...». Atqui dicta Capella non tantum in proprio Carmelitarum solo continetur, sed etiam ab iisdem extructa et semper possessa fuit, et usque ad a. 1900 stemma Ordinis super fores praeseferebat.

Insuper idem Procurator autumat sacellum de Castaneo ab Episcopi Visitatione exemptum esse. Ex pluribus Pontificiis Bullis, quas recenset, constat Ordinem Carmeliticum plena ac perfecta exemptione frui, quum « personae, ecclesiae, *Oratoria,* domus, res aliae et loca, ac spectantia ad eadem... a cuiuscumque locorum Ordinarii... iurisdictione et dominio omnimode et prorsus in perpetuo exempta sint..; et quidquam in contrarium fuerit attentatum, illud omnino sit irritum et inane ». Qu'oniam vero huiusmodi Aedicula in agri solo exempto atque coenobio et ecclesiae adnexo extat, eodem exemptionis privilegio gaudere dicenda est.

Conc. Trid. *(Sess. 7, cap. 8, de Reform.)* praescribit quidem ut « locorum Ordinarii ecclesias quascumque quomodolibet exemptas auctoritate Apostolica singulis annis visitare teneantur »; attamen, uti habet Fagnanus *(lib. j, tit. De parochiis, cap.* Nullus, *n. 34)* hoc Decretum « S. Congregatio *(Concilii)* censuit vindicare sibi locum in ecclesiis saecularibus dumtaxat, non autem regularibus ; *et regulares censeri etiam monasterio unitas vel ab eo dependentes, si eis a Regularibus deserviatur* »; quemadmodum eadem S. C. pluries decrevit. Hinc, arguit Procurator, Oratorium in casu exemptum dici debet, quamvis extra claustra nunc inveniatur; secus enim omnes Regularium ecclesiae non essent exemptae. Unde ad rem potius facit responsum S. C. EE. et RR. in *Nolana- Visitationis* 27 Martii 1664, relatam a Bizzarri *(Collectanea, pag. 29).* Nec exemptioni opponi valet praescriptio contraria; sive quia haec vel immemorialis contra Regularium privilegia, praesertim cum clausulis irritantibus uti in themate, non procedit, sicuti tradit Thesaurus-Giraldi *(Depoenis eccles., part. 2, cap. i p, pag. 24p)* ; sive quia heic desunt conditiones ad praescribendum necessariae, plures enim suppositae S. Visitationes iuridice probari nequeunt, nonnullae autem vel auctoritate Apostolica vel in forma privata vel Religiosis saltem reclamantibus peractae fuere.

Procurator demum ostendere nititur Episcopum nequaquam posse, licet ad breve tempus, transferre iconem B. M. V. de Castaneo absque Carmelitarum licentia. Eiusdem enim proprietas penes Religiosos est, uti constat sive ex citata Bulla Clementis VIII quum et imago B. M. V. inter sacra supellectilia recenseatur, sive a diuturna Patrum possessione, sive denique a duobus documentis a. 1686 et 1703, ex quibus innotescit Carmelitas, ut fidelium pietati satisfierent, ex claustris transtulisse sacram iconem, eamque ad arborem castanearum appendisse.

**Allegationes Curiae.** Episcopus suffraganeus primo ad-

ducta a Carmelitis argumenta solido destitui fundamento contendit, tum quia privilegium exemptionis a Bulla Clementina concessum dumtaxat Conventum S. Silvestri non autem Oratorium de Castaneo respicit; tum quia hoc intra clausurae ambitum non continetur quum e coenobio centum fere passuum distet, tum quia semper habitum fuit uti auctoritati dioecesanae subiectum. Oratorii aedificatio eiusque instauratio facta quidem fuit a Carmelitis sed cum fidelium oblationibus ; nec eius custodia ac procuratio exemptionem inducere valent. Inscriptio demum a. 1797 in Capella extans, in qua Carmelitae eiusdem patroni appellantur, nihil valet, utpote a privato auctore confecta ; eo vel magis quod Emus Pamphili a. 1801 in S. Visitationis actu de ea tamquam auctoritatem episcopalem laedente conquestus est.

Deinde idem Suffraganeus subiectionem Oratorii iurisdictioni Ordinarii ostendere conatur. Exemptio enim non praesumitur sed expresse probari debet, uti docet Benedictus XIV *(De Syn. dioec, lib.* ***iß****, cap. p,* ***n. ß)*****,** quia Episcopus intentionem in iure fundatam habet. Adsunt praeterea praesumptiones contrariae ex eo desumptae quod sacellum est publicum et rurale et extra claustra situm; Oratoria autem huius generis, veluti iam pluries decisum est, licet ad Regulares pertineant, subsunt tamen Episcopi auctoritati. Accedit quod Tusculani Praesules plus quam a duobus saeculis iurisdictionem exercuerunt in dictam Capellani. Hoc liquet ex actis S. Visitationis a Card. Cybo »a. 1680 peractae, qui «visitavit Oratorium de Castanea... et in libera episcopali iurisdictione extare » declaravit; quique eam a. 1682 solemniter benedicendam mandavit. Anno sequenti Capellani visitavit Emus Ottoboni, et a. 1703 Card, De Aste; idem fecerunt Episcopi successores annis 1765, 74, 78, 8o, 87, 91, 94, 1823, 24, 30, 54 usque ad nostra tempora.

Nec praetereundum est, ait Suffraganeus, Carmelitas exemptionem obtrudere pluries ausos fuisse. Sane a. 1761 Emo de

York exemptionem Oratorii opposuerunt, sed adductis utrinque rationibus « ipsi Religiosi, re melius considerata, fieri posse *(Visitationem)* ab Tusculanis Episcopis affirmarunt », quamque idem Emus perfecit, quinimo jn posterum claves Capellae parocho loci tradendas esse decrevit. Alia formalis querela locum habuit a. 1834 iam absoluta Visitatione canonica, at illius iuridica actio ab ipsis Carmelitis derelicta fuit, quique proinde ceteras S. Visitationes pacifice permiserunt. Hinc etiam apparet Tusculanos Praesules non more peregrinorum sed specie potestatis episcopalis et suetis solemnitatibus Aediculam invisisse, dum approbarunt librum Missarum, altare inspexerunt, absolutionem impertierunt, decreta emiserunt, etc.

**Allegationes parochi.** Ipse quoad primam quaestionem observat non licere Regularibus funus persolvere in die tertia a defuncti morte, quando in propria paroecia exequialis Missa, praesente cadavere, celebrata non fuit. Ratio est quia illud funus locum Missae exequialis tenet, quae privative ad parochum spectat. Sane Card. D'Annibale *(Summ, theol., part. ß, n. 176)* docet quod «ius funerandi cohaeret, tamquam accessorium, iuri sepeliendi...»; et Rituale Rom. *(tit. 6, cap.* ***i,*** *n. 4)* vult ut «quantum fieri poterit *(idest,* iuxta parochum, *nisi maiori vi impediatur v. g. a lege civili ob contagiosum morbum),* Missa praesente corpore defuncti celebretur »; item S. R. C. in *Caietana* 13 Sept. 1670, n. 1409 ad i, et in *Pitilianen. et Soanen. 22* Iulii 1848, n. 2971 ad 2, declarat spectare ad parochum agere officium super parochianis et Missam exequialem canere, etiam praesente Capitulo Cathedralis. Quod confirmant Statuta Cleri Rom. a. 1862 *(cap. ß, §§ // et 17).*

Nec in casu, subdit parochus, aptari potest decretum S. R. C. in una *Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci* 13 Maii 1879, n. 3494 ad i (i), quia ibi speciales ade-

(1) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 12, p. 333.

rant decidendi circumstantiae ; quum enim ageretur de pauperibus, qui non habebant « unde solvere valerent stipendium nimis onerosum Missae exequialis in ecclesia parochiali », hinc « ne defuncti anima privaretur augustissimi Missae sacrificii solatio » absque sua culpa, S. C. potius praeiudicium iurium parochialium toleravit.

Quoad alteram quaestionem parochus Montis Compatrum autumat Carmelitas solemnem animalium benedictionem in die S. Antonii peragere non potuisse; haec enim, quum in solo Rituali Rom. inveniatur, ad ius parochiale pertinet. Sane Gavantus *(Thesaurus SS. RR., tom. i, part. 4, tit. i ç, nn. i et 20)* hanc regulam tradit: « Benedictiones quae sunt in Missali a quocumque sacerdote citra praeiudicium iurium parochialium fieri possunt; quae vero sunt in Rituali ad parochos proprie pertinent » (i), quemadmodum eam refert Pignatelli *(tom. j, cons. j6, n, **II).*** Cfr. quoque Clericatus *(De sacram. Euchar., dec. 8, n. 43)* et Baruffaldus *(Comm. ad Rit. Rom., tit. 44, n. 24).*

Praeterea, iuxta ipsum, in benedictionibus parocho reservatis determinandis praecipue attendendus est modus eas administrandi. Ita ad tramitem decreti S. R. C. in una *Dubiorum* 13 Iunii 1893, n. 3801 ad 6, benedictiones aliquae per se reservatae v. g. agrorum, animalium et similium a quolibet

(i) Haec generalis regula, quoad primam partem a Gavanto et quoad alteram a Pignatello tradita atque deinde in eorum auctoritate a doctoribus generatim recepta, non undequaque vera censenda est. Omnes enim benedictiones, quae in Missali Romano describuntur, etiam in Rituali Romano continentur ; aliae autem, quae in solo Rituali habentur, parochorum propriae dici nequeunt. Quare clarius ac verius dicendum est quod in Missali et in Rituali duplex benedictionum genus distinguitur, nempe tum *Benedictiones non reservatae* seu communes, quae sive a parochis sive ab aliis sacerdotibus ordinarie fieri possunt, tum *Benedictiones reservatae,* quae ab Episcopis vel aliis facultatem habentibus faciendae sunt. Praeterea *benedictiones* sive *non reservatae* sive *reservatae* sive *propriae nonnullorum Ordinum Regularium* sive *novissimae,* quae in Appendice ad Rituale Romanum insertae prostant, quamvis sint a S. Sede approbatae vel saltem permissae, de corpore ipsius Ritualis haberi nequeunt *(N. R.).*

sacerdote *privato ritu* persolvi possunt; sed e contra ex resolutionibus S. C. C. 19 Nov. 1662 et S. C. Visitationis A. 15 Sept. 1695 et 23 Ian. 1698 benedictiones puerperarum ad solum parochum spectant, quia ut habet Monacelli *{Form. leg., tit. io, form. 18, n. io)* fiunt « publice cum superpelliceo , stola et aqua benedicta ac cum oblatione candelae, quae sunt signa iurisdictionis ». Cfr. Pignatelli *(tom. j, cons. jó, nn. ß et p),* qui .praeterea *(loc. cit., cons. J4, n. 2)* docet: « Non licere Regularibus benedicere domibus, navibus, cymbis... quia istae functiones pertinent ad parochum ratione muneris... ». In themate autem benedictio animalium non modo facta fuit a Carmelitis ritu publico, sed etiam cum omnibus iurisdictionis signis et candelarum oblationibus. Ceterum in materia benedictionum multum valet consuetudo, uti habet Wernz *(Ius Decr., tom. 2, n. 82p),* quae in casu favore parochi ab immemorabili viget.

Tandem quoad factum parochus addit Carmelitas in utraque quaestione eidem iniuriam affecisse, quia scienter et volenter cum parochi adversaras cooperarunt, qui in ipsius odium tum funus tum benedictionem animalium petierunt et obtinuerunt. Etiam Emus Episcopus et Exmus Suffraganeus minus rectam agendi rationem Religiosorum reprobarunt.

**Allegationes Carmelitarum.** Hi primo loco sustinent ex iure communi parochis competere tantum ius cadavera associandi ad ecclesiam parochialem ibique peragendi exequias, et etiam Missam de requie sed praesente cadavere. At parochi ius non habent eamdem Missam celebrandi absente cadavere, eamque litandam fideles parocho committere non tenentur, veluti constat ex contraria praxi, ex Rit. Rom. *(loc. cit.),* quod inculcat ut «quantum fieri poterit, Missa praesente corpore defuncti celebretur», necnon ex citato S. R. C. decreto in una *Ordinis Minorum* etc. 13 Maii 1879, ubi edicitur: « Licere in aliena ecclesia et *apud Regulares* cantare Missam de requie... postquam funeralia in ecclesia pa-

rochiali persoluta fuerunt, *etiamsi Missa exequialis in ecclesia parochiali non celebretur* ».

Secundo loco Carmelitae benedictionem animalium in festo S. Antonii non reservatam sed communem esse contendunt. Sane ipsa non invenitur inter benedictiones reservatas Ritualis, ac praeterea S. C. EE. et RR. in *Fulginaten.* 25 Maii 1685 et in *Tudertina* 18 Nov. 1695, et S. C. C. in *Ravennaten.* 12 Novemb. 1695 decernunt « benedictiones animalium in die festo S. Antonii... inter functiones parochiales non connumeran ». Cfr. Ferraris *(Bibl. can., v.* Benedictio, *art. f, nn. 21 et 22).*

Accedit, iuxta Carmelitas, decretum S. R. C. *Urbis et Orbis* io Dec. 1703, n. 2123 ad 6, ubi dubio: «An benedictiones mulierum post partum, fontis baptismalis, ignis, seminis, ovorum, et *similium* sint de iuribus mere parochialibus », responsum fuit: «Negative; sed *benedictiones mulierum* et fontis baptismalis fieri debere a parochis» (1). Sub verbo *similium*

(i) Ita in veteri Collectione Gardelliniana, sed in nova Collectione authentica S. R. C. in responsione ad 6 omissa sunt verba « benedictiones mulierum ». Hinc sententia, quae tenet benedictionem puerperarum non tantum a parochis sed a sacerdotibus omnibus sive saecularibus sive regularibus peragi posse, si non certa, saltem probabilior hodie evasisse dicenda est. Neminem enim latet maximum pondus praefatae a decisis recessionis in re tam gravi atque in authentica Decretorum editione peractae. Caeterum H. S. C. in *Romana* 21 Novembr. 1893, n. 38i3 ad 2, decernit: « Benedictionem mulieris post partum fieri debere a parocho, si expetitus ipse fuerit; posse autem fieri a quocumque sacerdote, si expetitus pariter fuerit, in quacumque ecclesia vel Oratorio publico, certiore facto Superiore ecclesiae ». Accedit deinde auctoritas S. C. C, quae in una *Bononien. 20* Iunii 1620 ad 9 respondit: «Regulares non prohiberi in eorum ecclesiis mulieres post partum ad purificationem admittere », necnon in causa *Aquen.* inter Carmelitas et parochum loco *Incisae* ad 10 dubium hisce verbis conceptum : « An possint *(Carmelitae)* in propria ecclesia mulieres post partum benedicere et ad purificationem admittere », diebus 9 Iunii 1708 et 27 Aprilis 1709 rescripsit: «Affirmative»; demum in *Derthonen.* 3 Decembr. 1718 et 7 Decembr. 1720 ad 7 statuit posse mulieres post partum accedere ad quamcumque ecclesiam sibi benevisam pro recipienda benedictione. Resolutiones vero S. C. C, quae a fautoribus alterius sententiae opponuntur, vel referuntur ad consuetudinem contrariam et ad Constitutiones Synodales, quae parochis tantum tribuunt ius benedicendi mulieres, uti in una *Antuerpien.* 18 Novembr. 1662

etiam animalium benedictio subintelligi potest. Ceterum exclusivum ius non solum asserendum sed probandum est ex iure vel ex consuetudine; quod in casu non fit.

Quoad factum notant in proprio agendi modo nullam iniuriam parocho affecisse, sive quia ipsi pravam parochianorum intentionem ignorabant, sive quia iure proprio usi sunt.

Dubia. I. *Se consti della proprietà della Cappella ossia Oratorio della B. V. del Castagno a favore dei Frati Carmelitani Scalzi del Convento di San Silvestro sopra il Tuscolo.* Et quatenus affirmative :

II. *Se detto Oratorio debba dirsi esente dalla giurisdizione •ossia dalla visita dell' Emo Vescovo Tuscolano in favóre similmente dei detti Frati Carmelitani Scalzi ossia del Convento di S. Silvestro, oppure no.*

III. *Se l'Emo Vescovo diocesano senza il consenso dei predetti Frati Carmelitani' Scalzi possa trasportare o dar licenza di trasferire altrove, vale a dire per es. nella parrocchia di Monte Compatri, anche per breve tempo VImmagine della B. V. del Castagno esistente nel detto Oratorio.*

IV. *Se in diritto e • in fatto sia da approvarsi o meno il modo di agire del Rmo P. Priore del Convento di S. Silvestro*

et in una *Burgi S. Donnini* 26 Apr. 1788, vel ad speciales rerum et locorum circumstantias. Aliae rationes in contrarium adductae, praeterquamquod magnum non habent robur quum sint congruentiae tantum, facile dilui possunt.

Benedictio vero fontis baptismalis in Sabbatis Paschae et Pentecostes, uti liquet praesertim ex citato decreto S. R. C. *Urbis et Orbis* io Dec. 1703 et 12 Ian. 1704, n. 2123 ad *6,* dici nequit de iuribus mere parochialibus, ita nempe ut ab •omnibus et a solis parochis privative quoad alios quoscumque fieri debeat. Nam iuxta speciales Rubricas Missalis in Sabbato Sancto atque plurima S. R. G. decreta benedictio haec fieri potest in omnibus ecclesiis, licet non parochialibus, fontem baptismalem fixum legitime habentibus, et quidem fieri debet a sacerdote •celebrante. In ecclesiis proinde parochialibus benedictio sacri fontis ad parochum pertinet, si ipse et Missam celebret, secus ad alium sacerdotem celebrantem a parocho delegatum; in ecclesiis autem Cathedralibus et Collegiatis ad canonicum hebdomadarium seu celebrantem, quin canonicus parochus ius speciale prae aliis •canonicis sibi arrogare valeat. Cfr. decreta S. C. R. sub n. 6i3, 63o, 1189, 1401 ad 5, 2406 ad 5, 2486 ad 2, 2783, 2898, 33oo ad i *(N. R.).*

*presso Monte Cömpatri quanto alla celebrazione della Messa esequiale nel caso.*

V. *Se in diritto e in fatto sia da approvarsi o meno il modo di agire del Revmo P. Priore medesimo quanto alla benedizione degli animali nella festa di S. Antonio Abate nel caso* (i).

**Resolutio.** S. C. EE. et RR., omnibus ad trutinam revocatas, die 13 Maii J904 respondendum censuit :

Ad T. Reformato dubio hoc modo : *Se consti del legittimo possesso della C'appella ossia Oratorio della B. V. del Castagno a favore dei Frati Carmelitani Scalzi del Convento di S. Silvestro sopra il Tuscolo* (2);

*Affirmative.*

Ad II. *Negative ad primam partem; Affirmative ad secundam.*

Ad III. *Negative.*

Ad IV et V. *Quoad ius affirmative, et ad mentem; mens est quod P. Prior Conventus S. Silvestri in similibus casibus prudentius se gerat.*

(1) **Latine:** */. An constet de proprietate Capellae seu Oratorii B. V. de Castaneo favore Fratrum Carmelitarum Excalceatorum Conventus S. Silvestri ad Tusculum.* — **Et quatenus affirmative:** *II. Utrum dictum Oratorium dicendum sit exemptum a iurisdictione seu visitatione Emi Episcopi Tusculani favore pariter dictorum Fratrum Carmelitarum Discalceatorum, necne. III. An Emus Episcopus dioecesanus sine consensu praedictorum Fratrum Carmelitarum Excalceatorum transferre possit vel licentiam dare alio transferendi, ex. gr. in parochiam Montis Compatrum, etiam ad breve tempus Imaginem B. V. de Castaneo in dicto Oratorio extantem. IV. Num in iure et in facto approbanda sit vel non agendi ratio Revmi P. Prioris coenobii S. Silvestri prope Montem Compatrum quoad celebrationem Missae exequialis in casu. V. Num in iure et in facto approbandus sit vel non agendi modus eiusdem Revmi P. Prioris quoad benedictionem animalium in festo S. Antonii Abbatis in casu (N. R.).*

(2) **Latine :** *An constet de legitima possessione Capellae seu Oratorii B. V. de Castaneo favore Fratrum Carmelitarum Excalceatorum Conventus* S. *Silvestri ad Tusculum (N. R.).*

# Colliges

i°. Solius Dei est proprietas ecclesiarum, quarum dumtaxat usus et administratio vel iuspatronatus nobis competere potest, docente Iustiniano *(Instit., lib.* **2,** *tit. i, §7)'-* «Nullius sunt res sacrae et religiosae et sanctae, quod enim divini iuris est, id nullius in bonis est ».

2°. In themate quum constet de antiquo usu et administratione Oratorii de Castaneo ex parte Carmelitarum, ipsis recognoscitur Oratorii possessio.

3°. Ecclesiae, etiam a Regularibus exemptis possessae sed extra claustra extantes, uti in casu praesenti, subiiciuntur iurisdictioni et canonicae visitationi Ordinarii loci.

4°. Ecclesia in votis maxime habet ut, quantum fieri potest, praesente cadavere Missa exequialis de requie pro defuncto celebretur, ita ut non omittatur, nisi obstet magna diei solemnitas aut aliqua necessitas aliter suadeat. Rituale Rom. *(tit. 6, cap. i, n. 4, et cap. 3, n. i p).*

5°. Quum igitur exequialis Missa de consilio tantum non autem de praecepto sit, nec parochi privativo iure gaudent ipsam litandi, nec fideles eam celebrandam facere tenentur; eiusdemque proinde celebratio in omnibus ecclesiis, etiam regularibus, peragi potest (i).

6°. Solemnis animalium benedictio in festo S. Antonii Abbatis ad iura parochialia non pertinet, sed ab omnibus sacerdotibus sive regularibus sive saecularibus impertiri valet (2).

(1) Cfr. etiam *Acta S. Sedis,\o\. 3y,* p. 527-538, praesertim vero resolutio ad II et *Colliges* 6°. *(N. R.).*

(2) Duae dumtaxat recensentur benedictiones de iuribus mere parochialibus, benedictio nempe nuptiarum et benedictio domorum in Paschate. Quoad benedictionem domorum res constat ex pluribus sententiis S. C. C. in una *Nullius seu Nonantula* 13 Ian. 1685, in *Neapolitana* 12 Apr. 17io, in *Maceraten.* r7 Iunii 1719, in *Brictinorien.* 8 Maii 1824 etc. Benedictio vero nuptialis peragenda est a proprio parocho non autem ab aliis parochis vel sacerdotibus nisi de speciali ipsius parochi vel Ordinarii licentia, quacumque consuetudine immemorabili, quae potius corruptela dicenda est, vel privilegio non obstante, ita ut pa-

# EX S. CONGREGATIONE CONCILII

## MEDIOLANEN.

### APPLICATIONIS MISSARUM

**Deficientibus fundationis tabulis, admittitur consuetudo Missam quotidie celebrandi et ter in hebdomada applicandi- Datur dispensatio ad cautelam pro secundo beneficio.**

**Species facti.** In paroecia loci *Casatenovo,* dioeceseos Mediolanensis, antiquissimum extat beneficium, iuripatronatui activo et passivo familiae Casati obnoxium, cum annuo reditu 4000 libellarum et cum onere Missae quotidianae ac residentiae. Non extantibus erectionis tabulis, dubitatur num capellanus, praeter quam ad Missae celebrationem, teneatur insuper ad eiusdem applicationem. Actualis Rector Petrus Besesti, qui est etiam Praepositus parochus Basilicae S. Vincentii in Prato civitatis Mediolanensis, de consensu patronorum et localis parochi, expostulat: 1°. ut, praevia dispensatione super residentia personali, eidem indulgeatur delegatio sacerdotis in loco beneficii quotidie Missam celebrantis cum annuo stipendio libell. 1100; 2°. ut quaestio circa Missae applicationem resolvatur.

Rogatus super hoc Archiepiscopus Mediolanensis respondit duo tantum documenta ad rem extare, nempe actus S. Visitationis Cardinalium Friderici Borromaei a. 1611, et Iosephi Puteobonelli a. 1757. Primus Emus habet: « Huic capellaniae onus adnexum est Missae quotidie celebrandae, quemadmodum constat ex decreto B. Caroli Card. Archiepiscopi in

rochi alieni aut alii sacerdotes sive regulares sive saeculares, qui in nuptiis alienos sponsos absque praedicta licentia benedicere ausi fuerint, suspensionem (iuxta communiorem et veriorem sententiam ab officio tantum, non autem a beneficio) incurrerent a Conc. Trid. *(Sess. 24, cap. i de Reform.)* statutam et a Const. *Apostolicae Sedis* Pii IX firmatam. Cfr. resolutio S. C. C. in una *Herden.* 7 et 28 Maii 1785 *(N. R.).*

Visitatione personali anni 1583 in haec verba: *In futurum D. Fridericus Cribellus aut ipse in hac ecclesia quotidie celebret ex onere fundatoris, aut constituat cappellanum qui id praestet.* Sed modernus capellanus de d. onere non constare dicit, seque iuxta consuetudinem antecessorum suorum et praescriptum curare ut tres Missae singulis hebdomadis celebrentur, supputatis diebus festis ». Alter Emus dicit: «... Extat onus celebrare faciendi hic Missam quotidianam ». De duobus postremis capellanis Archiepiscopus Mediolanensis refert, quod unus nunquam residentiam habuit in loco beneficii sed celebrationi Missae per alium satisfecit, alter semper resedit in oppido *Casatenovo;* uterque vero, retenta Missae quotidianae celebratione, ter tantum in hebdomada applicavit vel applicare fecit.

**Animadversiones ex officio.** Imprimis concedenda videtur dispensatio ab obligatione residentiae; sive quia in themate non agitur de animarum cura; sive quia, quum non constet capellanum per seipsum teneri ad Missae celebrationem, invocari potest regula : *Qui per alium facit, per seipsum facere videtur ;* sive quia id etiam innui videtur a documento S. Visitationis peractae a S. Carolo Borromaeo ; sive quia ex alterius delegatione nullum damnum imminet cultui et populi commodo ; sive demum quia orator in provecta aetate est constitutus et animarum curam exercet, nec deest patronorum et parochi loci *Casatenovo* consensus.

Quoad alteram vero quaestionem asserendum videretur capellanum non teneri ad applicandas Missas pro beneficii fundatore. Sane ex actis Relationum supra transcriptis et ex praxi duorum praecedentium capellanorum apparet onus impositum semper de simplici Missae celebratione fuisse interpretatum ; ad summum dici potest applicationem vigere tantum tribus hebdomadae diebus ob inductam a capellanis observantiam. Quare Many *(De Missa, pag.* ***III)*** tradit quod « aliquando intentio fundatorum, exigendi tantum celebratio-

nem, constat ex consuetudine, ut in causa S. R. C. *Monasterien.* 14 Iunii 1845 ad I, n. 2892 ». Consonat S. C. C. in *Brixien.-Legati pii* 12 Iunii 1858, ubi, imposita a fundatore obligatione celebrare faciendi in perpetuum 350 Missas in commodum populi, declaratum fuit: « Non constare de onere applicationis Missarum »; necnon in *Tridentina-Applicationis Missarum* 27 Febr. 1760, et in *Mediolanen.-Oneris Missarum quoad applicationem* 21 Nov. 1903 (i).

Nec aliter opinatur Curia Mediolanensis, quae in sua informatione probabilius excludendam esse Missae applicationem observat, quia beneficii fundator potius consuluisse videtur honestae substentationi suorum descendendum presbyterorum quam cultui et animarum suffragio.

Ex adverso observari potest quod in capellaniis perpetuis, imposita capellano Missae celebratione, etiam eius applicatio imposita praesumitur, uti tradit Benedictus XIV *(Instit. eccl. 36, n. p):* « Pro Sacrificii applicatione' obtinenda satis est, ut ipsius celebratio indicatur. Si quis autem se applicationis onere prorsus immunem esse contendat, apertissime docere debet, a pio testatore Missae celebrationem unice requiri et sacerdotis arbitrio permitti, ut fructum Sacrificii, cui libuerit, attribuat. Hoc pacto constituit S. C. Concilii die 18 Martii 1668, eamdemque sententiam perpetuo secuta fuit, cum simile aliquid evenit ». Eadem citatus Pontifex habet in opere *(De Sacri/. Missae, lib. ß, cap. p, n. 2),* quaeque iam per extensum relata fuere in citata causa *Mediolanen.* Ferraris praeterea *(Bib. can., v.* Missa, *art. ß, n. ly)* nonnullas tradit regulas ad dignoscendum, quando praesumi potest testatorem tantum Missae celebrationem voluisse praescribere: « Opinio S. C. Concilii, ait ipse, est quod in capellaniis perpetuis cum onere Missarum, regulariter sacrificium est applicandum pro fundatore, nisi aliud praeseferat eius voluntas, vel ex-

(1) Cfr. *Acia S. Sedis,* vol. 36, p. .475-481.

pressa vel ex urgentibus coniecturis elicita.... Inter coniecturas autem praeseferentes contrariam mentem fundatoris, duae ad presentem controversiam opportunae approbatae fuerunt ab eadem S. C, prima videlicet quando celebratio Missae demandata fuerit pro populi commodo aut monialium Missam audientium. Secunda est quando fundator, praescribendo certum numerum Missarum, aliquas applicari pro anima sua expresse mandaverit, et quoad alias vel nihil de applicatione dixerit, vel alias remiserit ad arbitrium capellani ; quia tunc has posteriores non sibi applicari voluisse praesumitur ex vi discretivae locutionis... ». Iam vero, uti per se patet, in casu aptari non possunt adductae regulae.

Demum cum eodem auctore *(loc. cu., nn. 16 et ij)* observari potest, quod pingues reditus capellaniae assignati, ita ut hi excedant vel adaequent id quod vel ex consuetudine vel ex iure solet erogarf pro onere applicationis in determinatis locis praescripto, praesumptionem et coniecturam inducunt quod testator, praeter Missae celebrationem, etiam applicationem voluerit. Credibile enim est omnino fundatorem principalius voluisse Missarum fructum sibi et suis applicari, quam loci particularis venerationem. Reditus autem in themate pinguiores sunt, nempe libell. 4000.

**Resolutio.** S. Congregatio Concilii, omnibus perpensis, die 19 Novembris 1904 rescribendum putavit: *Quoad Missae celebrationem standum praxi hucusque servatae. Quo vero ad dispensationem pro assecutione secundi beneficii, pro gratia ad vitam praesentis investiti, facto verbo cum SSmo ad cautelam.*

## Colliges

i °. Onus celebrationis Missae regulariter inducit praesumptionem eiusdem etiam applicationis pro oblatore.

2°. Quare aliter contendens probare tenetur diversam oblatoris mentem, vel expressam, vel saltem ex gravibus coniecturis elicitam.

3°. Inter huiusmodi coniecturas, praeter populi commoditatem aut discretivam locutionem, merito recensetur legitima consuetudo, quae sicut legum ita et oblatorum voluntatis optima interpres est.

4°. In themate constat de immemorabili consuetudine applicandi Missam tribus dumtaxat in hebdomada diebus.

5°. Praeterea, quum in casu obligatio residentiae personalis in loco beneficii dubia sit, conceditur ad cautelam dispensatio pro assequutione secundi beneficii.

## VENTIMILIEN.

### IURIS ASSOCIANDI CADAVERA

**Haeredes ius habent vocandi Regulares ad associanda cadavera, canonicis aliisque presbyteris praetermissis.**

**Species facti.** Canonici Collegiatae S. Siri et parochi oppidi vulgo *San Remo,* dioeceseos Ventimiliensis, contendunt sibi ius esse in elatione defunctorum, quando ab haeredibus invitatus est clerus regularis qui nunc tantum a Capuccinis repraesentatur, interveniendi in determinato numero, ita ut numquam liceat Capuccinis cum parocho defuncti comitari cadavera ad ecclesiam, non vocato ad associationem clero saeculari. E contra Capuccini sustinent standum esse iuri communi, iuxta quod haeredes seu parentes tenentur tantum vocare parochum ad associandum cadaver, et quoad alios presbyteros sive regulares sive saeculares liberi sunt vocare quos maluerint.

**Allegationes cleri saecularis.** Canonici et parochi praemittunt heic rem non esse de iure communi sed de consuetudine et quidem titulo fundata, quae ius ipsum abrogavit. Sane Benedictus XIV *(De Syn. dioec., lib. 12, cap. 8, n. 8)* tradit: « Nihil magis tritum, quam legem quamlibet humanam, etiam canonicam, posse contraria consuetudine, quae sit rationalis et legitime praescripta abrogari ». Consuetudo

autem est rationabilis, quando non opponitur legi naturali et divinae neque praebet occasionem peccati neque disrumpit nervum ecclesiasticae disciplinae. Cfr. Vecchiotti *(Inst. can., vol.* **i,** *cap. 2, § 28)* cum aliis passim. Est legitime praescripta, quando temporis diuturnitate iuxta S. Canones adiuvatur; quinimo immemorialis currit etiam absque titulo, quia praesumit privilegium Apostolicum, ut pluries tenuit H. S. C. in *Fabrianen.* **io** Martii et 7 Apr. 1739, in *Camerinen.* 18 Decembr. 1819 et in *Tkelesina* 22 Aug. 1901.

In facto autem observant quod Canonici et presbyteri in funerum associatione semper intervenerunt cum Regularibus ex immemoriali consuetudine, quae numquam violata fuit neque a Capuccinis, uti vel ipse Episcopus Ventimiliensis in suis litteris 23 Maii 1903 ad H. S. C. confirmat. Quae consuetudo, aiunt ipsi, radicem habet in Synodo provinciali Ianuensi approbata a Gregorio XIII, ubi statuitur: « Ante omnes alios vocari debere una cum parocho canonicos et capellanos...; post ipsos unicuique licere quos voluerit accersere ». Haec autem dispositio ad unguem recepta fuit in sua Synodo ab Episcopo Albinganensi Landinelli, ad cuius dioecesim antiquitus pertinebat oppidum S. Remi. Quin imo, cum a. 1600 nonnulli Regulares hanc legem infringere voluissent, S. C. EE. et RR. literas Episcopo Albinganensi dedit, quae referuntur a Pignatelli *(Cons. can. 20j, tom. 4, n. 2),* et quibus Religiosi observare praecipiuntur praefatum decretum Synodi provincialis Ianuensis. Serius erecta fuit dioecesis Ventimiliensis, ad quam nunc pertinet oppidum S. Remi, et a. 1847 Episcopus Biale praecitatam dispositionem renovavit in sua Synodo dioecesana.

Iam vero quod haec praescriptio sit rationalis, nedum traditur ab ipso Pignatelli *(loc. cit., n. jp)* sed etiam ab H. S. C. in una *Nullius Montis Cassini* 26 Ian. 1726 in qua resolvit: « Licere haeredibus defunctorum solum parochum vocare ad funus, sed quatenus alios presbyteros vocare velint, esse prae-

ferendos illos ecclesiae Matricis in numero ipsis haeredibus beneviso »; necnon in una *Aquen.—Iurium* 20 Decembris 1879 contra quandam urbanam Congregationem presbyterorum praetendentem excludere vice-parochos a cadaverum associatione, ad dubium : « An unus seu potius omnes vice-paroçhi semper praeferendi sunt coeteris presbyteris in cadaverum associatione in casu », H. S. C. rescripsit: « Negative ad primam partem, affirmative ad secundam »

**Allegationes Capuccinorum.** Minister Provincialis admittit consuetudinem in iure, sed eam in facto existere negat. Et praeprimis confutai obiectum consuetudinis titulum cum ipso Pignatelli *(loc. cit., n, 26)* qui ait: « At nihilominus tenendum est praetensionem huiusmodi *(adversariorum)* nullam iuris habere subsistentiam, cum id pendeat ab haeredum arbitrio, et adducit decretum S. C. R. in una *Ordinis Minorum Observantium* 14 Ian. 1640, n. 696, quae « numerum Religiosorum ac electionem Religionum pro associandis cadaveribus ad haeredes defunctorum pro libitu voluntatis eorum spectare et pertinere, et ita ubique in posterum servari debere declaravit ». Neque allatus titulus, pergit Provincialis, cohonestan potest a Synodo Ianuensi. tum quia iuxta Pignatelli per eam praescriptionem laeditur libertas electionis sepulturae et violantur privilegia Regularium, tum quia, uti observat Peyrinus *(Ad Const. io Leonis X, § 2, n. 2),* haec praescriptio seu statutum redolet quamdam avaritiae speciem. Praeterea dicta praescriptio non sustinetur iuxta eumdem Pignatelli ex defectu potestatis in Episcopo. Episcopi enim in suis Synodis nequeunt derogare iuri communi, et multo minus tollere privilegia Regularium. Unde Pellizzarius *(Man. Regul., tom. 2, tract. 8, cap. 6, sect.* ***I,*** *n. Jj)* ad quaesitum : « An Ordinarii possint facere statutum ne Regulares vocentur ad funus, nisi prius vocatis omnibus clericis », respondet: « Non posse, cum tale statutum... deroget iuri quod habent Regulares ».

Quin negotium facessat, subdit Provincialis, quod Synodus Ianuensis fuerit confirmata a S. Sede. Reponit enim cum Pignatelli quod eiusmodi confirmatio non fuit in forma specifica sed tantum in forma communi, alioquin necessaria fuisset expressa derogatio privilegiis Regularium; et quod citatum articulum Synodi Ianuensis refertur tantum ad officia funebria in paroeciali ecclesia peragenda.

Demum, quoad supra allatas literas S. C. EE. et RR. ad Episcopum Albinganensem, P. Provincialis innixus auctoritate eiusdem Pignatelli ait, nullum pondus eas habere posse in praesenti quaestione, tum quia supponunt Synodum Ianuensem fuisse confirmatam in forma specifica, tum etiam quia decretum Synodi Albinganensis loquitur de funeris exequiis et de psallendis divinis officiis in ipsis ecclesiis parochialibus, non autem loquitur de cadaveribus comitandis. Id confirmat duabus decisionibus H. S. C, in quarum prima diei 23 Novembris 1663 declaratum fuit: « Synodum praefatam (Albinganensem) non comprehendere Regulares in casu de quo agitur, ideoque esse ad libitum disponendum vel ipsorum haeredum convocare numerum clericorum et Fratrum quos maluerint, contrariis quibuscumque minime obstantibus » ; quod decretum firmatum fuit subsequenti decisione diei 27 Martii 1664 (i).

Dein P. Provincialis oppositam ex adverso consuetudinem reiicit utpote nulla subnixam probatione; quin imo ait contrarium prorsus probari. In recursu enim ad S Sedem facto a Superiore Conventus S. Remi a. 1833 contra Capitulum praetendentem impedire Capuccinos ab interventu in elatione cadaverum -edicitur, ipsos fere semper in quasi possessione fuisse iuris associandi cadavera etiam absque interventu cleri saecularis. Item a. 1843 eadem quaestio circa fúnebres as-

(1) **Hoc roborari potest ex aliis resolutionibus, uti in una** ***Senarum*** **S. C. R.** 7 **Dec.** 1641, **n.** 784, **et in alia** ***Ordinis Carmelitarum*** **S. C. EE. et RR.** 16 **Decem.** 1729, **quae referuntur in** ***Actis S. Sedis,*** **vol.** 29, **p.** 86 ***(N. R.).***

sociationes excitata fuit, et Episcopus Ventimiliensis decretum edidit adversus Capuccinos , qui ad S. Sedem iterum appellarunt, sed non apparet utrum resolutio in hac controversia edita fuerit. Illud tamen constat, ait P. Provincialis, quod Capuccini in exercitio suorum privilegiorum perrexerunt; et rem ex nonnullis attestationibus evincit et ex quodam elencho mortuorum, quorum cadavera a Capuccinis associata fuere ad ecclesiam ex invitatione haeredum, non obstantibus Capituli protestationibus.

**Dubium.** *An PP. Capuccini possint associare cadavera absque interventu Canonicorum Collegiatae et cleri parochialis, quando seorsim ab haeredibus defuncti invitantur in casu.*

**Resolutio.** S. Congr. Concilii, omnibus hinc inde perpensis, die 19 Novembris 1904 respondit: *Affirmative.*

## Colliges

1°. De iure communi haeredes seu parentes defuncti, etiam inscio vel invito parocho, in associatione cadaveris vocare possunt quoscumque sacerdotes maluerint.

2°. Dempto proinde parocho defuncti proprio, qui ex lege Ritualis Romani ius et officium habet interveniendi, haeredes invitare possunt ad funus associandum etiam Regulares, canonicis aliisque presbyteris praetermissis.

3°. Quae haeredum facultas infringi nequit a contraria consuetudine, tum quia agitur de actibus mere facultativis, in quibus currere non potest praescriptio, tum quia ipsa esset impeditiva naturalis libertatis haeredum.

4°. In casu autem immemorialis consuetudo a canonicis et parochis S. Remi invocata non invaluit, quinimo contrariam praxim favore Capuccinorum viguisse apparet.

5°. Nec utiliter invocari possunt Statuta synodalia, quae praeterquamquod a S. Sede in forma tantum generica approbata fuere, per subsequens praeterea generale S. R. C. decretum 14 Ianuarii 1640 abrogata censenda sunt.

# EX S. CONGREGATIONE RITUUM

## ORDINIS MINORUM

**Concessio Missae de Immaculata ecclesiis Kalendario Romano-Seraphico utentibus.**

Revmus Pater Frater Bonaventura Marrani, Procurator Generalis Ordinis Minorum, communia vota humillime depromens Sanctissimum Dominum Nostrum Pium Papam X enixis precibus rogavit, ut tam in ecclesiis ad ipsum Ordinem pertinentibus, quam in aliis Kalendario Romano-Seraphico legitime utentibus, diebus Vigiliae atque infra Octavam Immaculatae Conceptionis Deiparae, Missae omnes, praeter Conventualem, celebrari valeant de eadem Immaculata Beatae Mariae Virginis Conceptione, prouti eiusmodi gaudent privilegio singulis per annum Sabbatis ab Apostolica Sede iisdem ecclesiis per Literas in forma Brevis indulto, etsi Officium ritus duplicis occurrat: exceptis diebus solemnioribus primae scilicet ac secundae classis aliisque privilegiatis iuxta Rubricas, in quibus unica tantum Missa solemnis de memorato festo expetita fuit.

Sacra porro Rituum Congregatio, vigore facultatum sibi specialiter ab eodem Sanctissimo Domino Nostro tributarum, benigne precibus annuit: exceptis duplicibus primae et secundae classis, ac Dominicis privilegiatis, in quibus unica Missa solemnis de Immaculata Beatae Mariae Virginis Conceptione decantetur, Missa Conventuali Officio diei respondente numquam omissa; servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 20 Ianuarii 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. «f* S. f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

## ROMANA SEU PARISIEN.

### Decretum Beatificationis et Canonizationis Ven. Servae Dei Magdalenae Sophiae Barat, institutricis Societatis Sororum a Sacro Corde Iesu.

Super dubio: *An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate in Deum et proximum, nec non de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine iisque adnexis in gradu heroico, in casu et ad efectum de quo agitur.*

Quum, exeunte saeculo xvm et ineunte xix, civilis furoris incendia per Galliam flagrarent maxime, haud paucorum auribus insonare altius visa est divina illa vox: « *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur ?* » Erat illa nempe vox ignem caritatis opponentis teterrimis irarum flammis atque vitiorum ; vox erat revocantis homines ad mutuum amorem atque concordiam, proposito suimet exemplo: « *Discite a me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem, animabus vestris* ». Haec penitus animo percipiens Ven. Dei Famula Magdalena Sophia Barat, eo ardore complexa est Cor Iesu sacratissimum, ut et sanctitatis iubar exstiterit ipsa, et proximorum saluti praeclare consuluerit.

Futurum amoris ignem in Ven. Dei Serva portendere visa est eiusdem nativitas, editae in lucem qua nocte incendio consumpta est magna pars natalis oppidi *Joigny* in Burgundia, quae nox fuit pridie idus Décembres anno MDCCLXXIX. Quo factum est, ut interrogata deinceps puella de sui ortu, candide responderet, ex igne se prodiisse. Nec aberat fides verbis, quod in ipsa erant vivida omnia, mens, eloquium, **ob**tutus, incessus. Nemini non accepta ob singularem vitae innocentiam et ob eximias naturae dotes, vel a primis annis Deo probari summopere studuit eiusque gratiae donis respondere quam fidelissime. Quasi praesaga futurae sortis et muneris, ingenium excoluit omni humanitate ; neque solum graecis et

latinis litteris dedit operam, addita hispanici et italici sermonis notitia, verum etiam philosophiae ac studio rerum sacrarum animum adiecit, usa magistro et pietatis et doctrinae severissimo, germano fratre suo, futuro posthac ministro Religionis dignissimo atque perutili.

Hoc domestico tyrocinio probata, imprimisque assueta obedientiae, animi demissioni et afflictationi corporis non minus quam voluntatis, sub annum aetatis vicesimum, ab ipso fratre collocata est Lutetiae Parisiorum apud piissimam feminam, datusque magister pietatis Iosephus ille Varin e S. L, qui iam tum consilia agitabat instituendi sacrarum virginum coetus pro educatione puellarum. In ea domo primum duabus cum sociis se Iesu Cordi sacravit, quasi serens evangelicum granum sinapis, magnam in arborem succreturum. Mox Ambiarli statim augeri coepit sodalium numerus, quibus ipsa praefuit; subinde novae domus constitutae Gratianopoli; tum vero in America, ad S. Aloisii de *Missouri*, et ad S. Caroli, muliebris quasi apostolatus initia. Eiusdem non intermissa opera, per difficultates et anxietates plurimas, aliae domus patuere in variis orbis regionibus, in ipsaque Urbe, praesertim ad SSmae Trinitatis in colle hortulorum.

Laboriosam vitam eandemque in Iesu Corde latentem piissima Virgo produxit usque ad annum aetatis octogesimum quintum. Tum denique repentino morbo correpta, quem placidissime tulit per triduum, die xxv mensis Maii anno MDCCCLXV, quo die mysterium recolebatur Christi caelum scandentis, Lutetiae Parisiorum in domo Societatis principe, solutis vinculis corporis et nixa pennis amoris, divinum Sponsum est prosequuta.

Eius obitus rumor, non modo frequentiam hominum accivit ad visendas tam pretiosas exuvias, sed excitavit ubique fiduciam, qualis collocari solet in iis, qui caelesti gloria potiti, Deo propiores adstare censentur. Hac autem opinione sanctitatis in dies longe lateque crescente ac prodigiis confir-

mata, processus ordinaria auctoritate instrui coepit; quo expleto, res omnis ad S. Rituum Congregationem delata est; donec die xvin mensis Iulii anno MDCCCLXXIX, fel. rec. Leo Papa XIII eximens a lege decennii, Commissionem Introductionis Causae Ven. Servae Dei Sua manu signavit.

Instructi deinde fuerunt Apostolici Processus penes S. Rituum Congregationem de heroico gradu virtutum. Ac primum actum est **in** antepreparatorio coetu penes ei. me. Cardinalem Caietanum Aloisi-Masella causae Relatorem, habito pridie idus Iunii anno MDCCCC ; mox in duplici praeparatorio Conventu in aedibus Vaticanis, sexto calendas Iunias anno MDCCCCII, et pridie idus Ianuarias anno sequenti ; denique in Congregatione universa ibidem, apud SSmum D. N. Pium PP. X coacta xvi calendas Februarias hoc ineunte anno MDCCCCV, in qua Rmus Cardinalis Dominicus Ferrata in Cardinalis Aloisii-Masella vita defuncti locum suffectus discutiendum proposuit dubium: *«An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate in Deum et proximum ; itemque de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine iisque adnexis Ven. Dei Servae* Magdalenae Sophiae Barat, *in gradu heroico, in casu et ad affectum de quo agitur* ». Rmi Cardinales et Patres Consultores sua quisque suffragia tulerunt; quibus perpensis SSmus Dominus supersedendum ratus, adhortatus est adstantes ut caeleste lumen ad rite iudicandum exposcerent.

Hodierno vero die, Dominica vi post Epiphaniam Sacro devotissime peracto in privato Sacello, nobiliorem aulam Vaticanae aedis ingressus et Pontificio Solio assidens, Rmos Cardinales accersivit Aloisium Tripepi S. Rituum Congregationi Pro-Praefectum et Dominicum Ferrata causae Relatorem, itemque R. P. D. Alexandrum Verde S. Fidei Promotorem et me infrascriptum a Secretis, iisque adstantibus solemniter pronuntiavit : « *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate in Deum et proximum ; itemque de cardinalibus*

*Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine iisque adnexis Ven. Servae Dei* Magdalenae Sophiae Barat, *in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur ».*

Hoc autem Decretum vulgari et in Acta S. R. C. referri iussit pridie idus Februarias anno MDCCCCV.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. «$* S. f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

## MISSIONARIORUM AFRICAE

### Dubia circa celebrationem festi Dedicationis Ecclesiae.

Hodiernus Moderator Generalis Societatis Missionariorum Africae (Pères Blancs) Sacrorum Rituum Congregationi sequentia dubia circa festum Dedicationis pro opportuna solutione humiliter exposuit, nimirum :

I. Utrum obligatio celebrandi festum Dedicationis Ecclesiarum, Dominica post Octavam Omnium Sanctorum, per Decretum Cardinalis Caprara imposita *omnibus Ecclesiis. Gallicanis,* extendatur ad omnes regiones decursu temporis Galliae subiectas, v. g. Sahara, Sudan, sine ulla praevia concessione Sanctae Sedis, vel expressa declaratione Praelati ecclesiastici, sive ibi sint Ecclesiae consecratae, sive tantum benedictae.

II. Utrum obligatio persolvendi Officium Dedicationis, de qua agitur in decreto n. 3752 *Vicariatus Apostolici Senegambiae* d. d. 28 Novembris 1891, pro Missionariis dicti Vicariatus, extendatur etiam ad eos Missionarios qui Calendario proprio gaudent, diverso scilicet a Calendario Vicariatus, vel Dioeceseos (i).

(i) Dubio enim tertio sic expresso :« In hac Missione *(Vicariatus Apostolici Senegambiae)* duae tantum adsunt ecclesiae consecratae, nempe in urbe *Dakar,* ubi habitualiter resedit Vicarius Apostolicus, et in civitate Gorée. Earum Dedicationis Anniversarium fit eadem die, qua in Gallia festum Dedicationis

III. Et quatenus *Negative,* utrum tamen isti Missionarii in dioecesi ubi festum celebratur commorantes, in Oratorio proprio (semipublico), extra civitatem posito, celebrare debeant solemnitatem Dedicationis in praefata Dominica, ex eo quod nulla dies pro tali festo in Calendario Societatis designatur.

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, reque sedulo perpensa, rescribendum censuit :

Ad I. Affirmative, iuxta Decretum Cardinalis Legati Caprara pro reductione festorum d. d. 9 Aprilis 1802 et alterum Generale S. R. C. n. 3863 *Celebrationis Festorum Patroni loci, Dedicationis ac Tituli Ecclesiae* 9 Iulii 1895 ad III (1).

Ad II. Affirmative (2), nisi indultum obtentum fuerit a Sancta Sede celebrandi Anniversarium Dedicationis omnium Ecclesiarum Ordinis sive Societatis die diversa ab illa in qua Clerus saecularis celebrat Dedicationem omnium Ecclesiarum, iuxta Decretum n. 3861 *Ordinis Minorum Capuccinarum Pro-*

omnium Ecclesiarum. .Quaeritur an praeter sacerdotes adscriptos his duabus ecclesiis etiam alii Missionarii in tota Missione debeant vel possint hac eadem die recitare Officium Dedicationis», responsum prodiit: «Omnes Missionarii tenentur Officium Dedicationis persolvere eadem die, qua in Gallia festum recolitur Dedicationis omnium Ecclesiarum » *(N. R.).*

(1) En tenor citati Decreti Generalis n. 3863 ad 3: «.... Quod si alicui Dioecesi vel Instituto concessum sit Anniversarium Dedicationis omnium Ecclesiarum uno eodemque die celebrare, omnes et singuli de relativo clero, quibus indultum favet, dictum Festum semel celebrabunt sub ritu duplici primae classis cum Octava, sive ecclesia propria consecrata, sive benedicta tantum fuerit, cuiuscumque particularis alterius ecclesiae Dedicationis festo omisso » *(N. R.).*

(2) Ita statutum etiam fuit in Decreto *Ordinis S. Benedicti Congregationis Gallicae* diei 15 Martii 1895, n. 3847 ac* 2> ubi S. C. R. decernit quod monachi dicti Ordinis in Gallia, quamvis proprium habeant Calendarium, tenentur celebrare, sicut fere omnes Galliae dioeceses, ex indulto Cardinalis Caprara, in prima Dominica post festum Omnium Sanctorum, Dedicationem omnium Ecclesiarum consecratarum. Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 27, pag. 566. Ad rem facit etiam Decretum' *Mechlinien,* diei 31 Aug. 1867, n. 3157 ad II *(N. R.).*

*mnciae Hollandicam* 22 Iunii 1895 ad I (i), et n. 3925 *Ordinis Minorum Capuccinorum* io Iulii 1896 ad V (2).

Ad III. Provisum in praecedenti.

Atque ita rescripsit, die i Aprilis 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. ✠ S. f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

# EX S. C. INDULGENTIARUM ET SS. RELIQUIARUM

## Indulgentia largitur recitantibus sequentes Actus adorationis et gratiarum actionis SS. Trinitati.

*Beatissimo Padre,*

Prostrata al bacio del S. Piede, la Priora delle Carmelitane Scalze di Bologna supplica la Santità Vostra a voler benignamente concedere l'indulgenza di trecento giorni, applicabile anche ai defunti, da lucrarsi una volta al giorno da tutti coloro che col cuore almeno contrito e divotamente reciteranno i seguenti

ATTI DI ADORAZIONE E RINGRAZIAMENTO
ALLA SANTISSIMA TRINITÀ

Santissima Trinità, Padre, Figliuolo e Spirito Santo, eccoci prostrati alla vostra divina presenza! Noi ci umiliamo profondamente, e vi domandiamo perdono delle nostre colpe.

(1) Ibi decernitur quod: « Regulares *(qui Calendarium proprium habent et iam celebrant Dedicationem omnium Ecclesiarum Ordinis)* tantummodo celebrent Anniversarium Dedicationis omnium Ecclesiarum Ordinis, die statuta; et Dedicationis Cathedralis Ecclesiae, si degunt in civitate Episcopali, sub ritu duplici secundae classis sine Octava », omisso proinde Anniversario Dedicationis omnium Ecclesiarum Regni *(N. R.).*

(2) Haec resolutio prostat in *Actis S. Sedis,* vol. 29, p. 58 ad II dubium loco V *(N. R.).*

Vi adoriamo, o Padre onnipotente, e con tutta l'effusione del cuore vi ringraziamo di averci dato il vostro Divin Figliuolo Gesù per nostro Redentore, e di averlo lasciato con noi nell'augustissima Eucarestia sino alla consumazione dei secoli, rivelandoci le meraviglie del suo Sacro Cuore in questo mistero di fede e di amore! *Gloria Patri,* etc.

O Divin Verbo, amabilissimo Gesù Sacramentato, noi vi adoriamo, e con tutta l'effusione del cuore vi ringraziamo di aver preso umana carne, e di esservi fatto per la nostra redenzione Sacerdote e Vittima del sacrifizio della Croce: sacrifizio che per eccesso di carità del vostro cuore adorabile Voi rinnovate sui nostri altari ad ogni istante nel mondo. O Sommo Sacerdote, o divina Vittima, concedeteci di onorare il vostro santo sacrifizio nell'augustissima Eucarestia con gli omaggi di Maria Santissima e di tutta la vostra Chiesa trionfante, purgante e militante. Noi ci offriamo tutti a Voi, e poiché vi degnate di volerci vittime con Voi, accettate la nostra offerta, unitela alla vostra, e benediteci. *Gloria Patri,* etc.

O divino Spirito Paraclito, noi vi adoriamo, e con tutta l'effusione del cuore vi ringraziamo di avere con tanto amore per noi operato l'ineffabile beneficio dell'Incarnazione del Divin Verbo, beneficio che nell'augustissima Eucarestia si estende e amplifica continuamente. Deh per questo adorabile mistero della carità del sacro Cuore di Gesù, concedete a noi ed a tutti i peccatori la vostra grazia. Diffondete i vostri santi Doni sopra di noi e sopra tutte le anime redente, ma in modo speciale sopra la santa Chiesa sposa di Gesù Cristo e madre nostra, sopra il suo Capo visibile il Sommo Pontefice Romano, sopra tutti i Cardinali, i Vescovi e Pastori delle anime, sopra i Sacerdoti e sopra tutti gli altri ministri del Santuario. Così sia. *Gloria Patri,* etc.

Che della grazia ecc.

SSmus D. N. PP. X in Audientia habita die 22 Martii 1905

ab infrascripto Cardinali Praefecto Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, benigne annuit pro oratia iuxta preces. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae, ex Secretaria eiusdem S. C, die 22 Martii 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Praefectus.*

L. S. Iosephus M. Can. Coselli, *Substitutus.*

# APPENDIX III

## De matrimonio per procuratorem, nuncium, interpretem, litteras, telegraphum, et telephonium (i).

QUAESTIO IV

*Num coniugia per procuratorem celebrata etiam hodie post Conc. Trid. naturam sacramenti sortiantur.*

40. Lucius Ferraris in iam citata *Bibl. Can.* (ad verbum *Matrimonium,* art. i, n. 34) quoad hanc quaestionem haec habet : « An autem tale matrimonium inter absentes sic contractum habeat nunc post Tridentinum rationem Sacramenti? variant doctores. Negativam sententiam tenent Silvester, Canus, Ledesma, Rebell., Cajetanus, Victoria, Estius et alii, quia dicunt ipsi, cum collatio et receptio sacramenti sit actio personalis, non potest matrimonium, ut sacramentum, confici vel recipi, nisi minister et subiectum sint praesentes ; tum quia Tridentinum vult virum et mulierem interrogari de mutuo consensu, adeoque vult esse praesentes. Affirmativam autem sententiam merito tenendam ab omnibus docent Innocent.,

(i) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 37, p. 410-420.

Covarruv., Paludanus, Sotus, Valentia, Navarrus, Barbosa, Sporer, Pontius, Mendo, Aversa, Mastrius, Reiftenstuel, Henno, La Croix, et pluribus congestis Sánchez lib. 2 *De Matrimon.,* disput. 11; Fräsen *De Matrimon.,* tract. 3, disput. 2, part. i, quaest. 3. . . . ubi testatur de communi. Quam sententiam Castropal., disput. 2, p. 9, vocat verissimam; Tannerus et Gobat, tract, io, num. 278, dicunt temeritatis esse damnandum, qui hoc tempore id negaret. Accedit enim praxis ac sensus Ecclesiae, quae de facto permittit publice sic celebrari matrimonia praesertim inter Magnates, quod non permitteret , si matrimonium inter absentes celebratum non esset sacramentum , cum ipsa velit semper suscipi sacramentum, quando initur matrimonium. Tum quia ex dictis supra n. 16, ratio sacramenti inter fideles est essentialiter! mbibita in ratione contractus, nec una potest separari ab alia, cum ipsemet contractus matrimonii sit ipsummet sacramentum. Unde, si ex communi doctorum matrimonium celebratum inter absentes est validum in ratione contractus, debet esse legitimum et validum etiam in ratione sacramenti, si, ut dictum fuit sub n. 33, certae serventur conditiones ».

41. Ex huius auctoris verbis liquet: *a),*non esse omnino concordes doctores in enucleanda quaestione, an matrimonia celebrata per procuratorem sint etiam valida sub ratione sacramenti ; *b)* ipsum tamen omnino adhaerere sententiae adfirmanti; -*c)* permoveri autem hisce rationibus: i. quia Ecclesia haec coniugia permittit, haud permissura sane, si sacramenti ratio ab eis exularet; 2. quia haec coniugia, quum sint certe valida sub ratione contractus, debent necessario quoque esse valida sub ratione sacramenti, quum una ratio ab alia seiungi nequeat.

42. Videamus modo, num huic doctrinae Lucii Ferraris pure et simpliciter sit subscribendum. Atque ut id facilius ac tutius adsequamur, expendemus antea generaliorem quaestionem, an ratio contractus et ratio sacramenti in matrimonio

sint reapse ita ad invicem devinctae et sociatae, ut nullo prorsus modo inter christianos effingere valeamus hypothesim de matrimonio *valido sub ratione contractus, at invalido sub ratione sacramenti.*

43. Omnes, vel etiam haud in theologia et iure peritissimi, norunt olim acriter controversum hoc fuisse inter doctores, potissimum attentis C. 11. *De clandestina despons.* et C. i, Sess. XXIV Conc. Tridentini. *In istis enim locis* (ut utamur verbis Santi in tit. DE SPONS. ET MATRIM.) *traditur matrimonia fidelium clandestina, idest contracta absque ulla benedictione sacerdotali et absque ritu religioso, fuisse utique recognita ab Ecclesia uti valida, et rata fuisse, verum fortiter reprobata. Cur vero aiunt doctores isti* (intellige Vasquez aliosque a Santi, qui tamen eos non sequitur, citatos) *matrimonia huiusmodi reprobata fuerunt nisi quia non erant sacramenta f*

44. Verum, quidquid olim disputatum fuerit, hodie omnino tenenda est sententia, iuxta quam binae indigitatae rationes sunt in concreto inseparabiles, ita ut christianorum coniugia vel valeant sub utraque vel sub nulla. Facta autem est certa huiusmodi sententia maxime post declarationes Pii VI, Pii VIII, Gregorii XVI ac potissimum Pii IX tum in Alloc. Concist. *Acerbissimum* habita die 27 Sept. 1852, tum in Syllabo, in quo reprobata fuit sub n. LXXIII propositio ita concepta : *Vi contractus mere civilis potest inter christianos constare veri nominis matrimonium ; falsumque est, aut contractum matrimonii inter christianos semper esse sacramentum; aut nullum esse contractum, si sacramentum excludatur.*

45. Licet autem hodie ut certa et omnino sit habenda huiusmodi doctrina, ad quaesitum num haec ita intelligenda sit, ut nullas prorsus exceptiones admittat ac propterea ita ut nullum omnino legitimum christianorum coniugium sit censendum destituta ratione sacramenti, respondebimus *Negative.*

46. Reapse etiam hodie a gravissimis doctoribus, ut vi-

ciere est v. g. peñes Gasparri *De matrimonio*, vol. i, n. 229, ed. i, habentur ut valida quidem sub ratione contractus, at invalida sub ratione sacramenti, matrimonia ex dispensatione pontificia celebrata a christianis cum ethnicis. Idque sive ob indivisibilitatem actus, sive eo quia huiusmodi coniugia nonnisi imperfectissime referunt figuram mystici matrimonii inter Christum et Ecclesiam.

47. Sed iam videamus an inter coniugia excepta, seu valida sub ratione contractus, at invalida, saltem probabiliter, sub ratione sacramenti, sint quoque recensenda illa, de quibus agimus, seu celebrata per procuratorem.

48. Mox audivimus Ferraris adfirmantem ita quidem placere pluribus doctoribus. Quia vero inter hos recensetur a Ferraris etiam Melchior Canus, e re censemus eius verba heic referre. In tractatu *De locis theol.*, lib. VIII, cap. v, haec scribit Canus: « Non igitur Ecclesia docet quodlibet fidelium matrimonium sacramentum esse. Nisi quis adeo desipit, ut Cajetanum damnet, qui et probabilissime, et, me quidem iudice, verissime, matrimonium quod inter absentes per literas procuratoresque contrahitur sacramentum esse inficiatus est. Nam qui in hoc Caietanum errasse clamant, hi non intelligunt nec quae loquuntur, nec de quibus affirmant. Quod si nullo idoneo et necessario argumento, sed stultis turbulentisque clamoribus alienas refellere sententias pergunt, atque adeo damnare quae probabiliter et vere dicta sunt, tum nos in quiete et silentio taciti illorum stultitiam amentiamque ridebimus. Concedant illi unum pro altero sacramentum sumere, cum pro altero contrahit, concedant sacramenta Christi absentibus administrari eisdemque et gratiam conferre et peccata remittere. Nos enim, quoniam haec absurda sunt, concedere potius volumus eiusmodi contractus, qui inter absentes transiguntur, matrimonia quidem verissima esse, vera sacramenta nullo modo ».

49. Haec autem Cani argumentatio adeo placuit inter coeteros doctissimo Sebastiano Berardi, ut in suis Comment-

in *ius eccl. universum,* tom. m, dissert, i, quaest, III, eam ex integro retulerit, nonnullis praenotatis ac subnotatis, quo melius sententiam suam panderet, roboraret ac vindicaret.

50. Liquet ex dictis non multum profecturum in hac quaestione enodanda fore, qui, sola doctorum auctoritate contentus, citationes citationibus, nomina nominibus opponeret. Quod enim ab aliis certum renunciatur, ab aliis mordicus impugnatur. Aliam ergo per viam profecturi, optatum ut consequamur intentum inquiremus : *a) quid sentiendum de argumentis utrinque, ut vidimus, allatis; b) quaenam sit vera, et hinc tenenda sententia, et quaenam sint illius saltem validiores rationes.*

51. Si esset credendum v. g. Lucio Ferraris adfirmanti coniugia per procuratorem esse valida sub ratione sacramenti, id, iuxta ipsum, esset censendum verum : *d)* quia secus Ecclesia ea haud permitteret; *b)* quia ratio sacramenti est inseparabilis a ratipne contractus. Si e contra esset credendum Cano neganti esse sacramenta, id, iuxta ipsum esset verum : *a)* quia sacramenta non possunt ab uno (v. g. a Caio) pro altero (v. g. Sempronio) sumi ; *b)* quia sacramenta nequeunt absentibus administrari eisdemque gratiam conferre et peccata remittere.

52. Verum candide profitemur errare tum Ferraris, tum Canum, eorumque asseclas dum talia argumenta proferunt. Nam ea ut inconcludentia et inepta esse haud difficile est paucis demonstrare.

53. Revera inconcludens est et ineptum argumentum primum, quo utitur Ferraris, seu eiusmodi coniugia esse habenda ut sacramenta, quia alioquin Ecclesia ea haud permitteret. Facile enim est respondere Ecclesiam permittere quoque certis sub legibus coniugia christianorum cum ethnicis, quae coniugia saltem probabiliter (nobis vero si quid opinamur, probabilissime) nihil valent sub ratione sacramenti. Accedit Ecclesiam semper exigere et urgere, ut vult Ferraris, rationem sacramenti in coniugiis celebrandis, idque ne fideles gratia

priventur. Sed hoc intelligendum *si et quatenus* coniugia ipsa naturam sacramenti reapse habeant. Nam, si carent, quomodo posset hoc urgeri et exigi absque absurdo?

54. Itemque inconcludens est et ineptum argumentum secundum allatum a Ferraris, seu huiusmodi coniugia esse valida, eo quia ratio sacramenti est prorsus inseparabilis a ratione contractus. In promptu enim responsio est ex eo petita, quod hucusque non certo constet de huiusmodi absoluta et constanti inseparabilitate, ut item probatur ex matrimoniis christianorum ex Apostòlica dispensatione initis cum ethnicis.

55. Et quia multam partem argumentationis nostrae adversus Ferraris fundavimus in hisce matrimoniis christianorum cum ethnicis, nemo forsan nos obiurget.et impugnet notando paritatem casus deficere, quum in matrimoniis per procuratorem uterque (ut supponimus) ex contrahentibus sint baptizati, dum e contra in coniugiis christianorum cum ethnicis unus tantum baptizatus est. Nam talia fortassis obiicientibus respondendum, exemplum matrimoniorum christianorum cum ethnicis si non par quoad terminos par tamen esse quoad vim probandi, quum saltem casum exhibeat matrimonii ab aliquo baptizato valide celebrati, sed tamen ratione sacramenti saltem probabiliter destituti. Paucis, ut argumentatio nostra posset everti, opus esset probare omnia prorsus et singula, absque ulla prorsus exceptione, matrimonia celebrata a baptizatis esse quoque valida sub ratione sacramenti, eodem omnino modo ac sunt valida omnia singula et prorsus et absque ulla exceptione sub ratione contractus.

56. Eodem autem modo (ut revertamur unde aliquantisper discessimus) quo inconcludentia et inefficacia sunt argumenta Ferraris conantis probare coniugia per procuratorem esse sacramenta, sic inconcludentia et inefficacia sunt argumenta Cani conantis probare non esse.

57. Revera inconcludens et ineptum est argumentum primum ex eo depromptum quod nemo potest pro alio sacra-

meritum sumere. Nam, quum procurator nonnisi ministerium suppeditet mandanti, contractus inter hunc et alium sponsum reapse contrahitur, unde sacramentum ad invicem seu ab uno sponso alteri sponso ministratur.

58. Itemque inconcludens et inefficax est argumentum secundum ex eo desumptum quod absentibus sacramenta tribui non valeant. Nam inter absentes proprie et proxime perficitur contractus matrimonialis, ut perficiuntur coeteri. Supposita vero perfectione contractus matrimonialis, eo ipso unico et indivisibili instanti (nam binae rationes sunt inseparabiles) perficitur quoque sacramentum. Quod quidem exclusive proprium est sacramenti matrimonii, quia ipsum unum rationem contractus habet-

59. Est autem haec vera decidendi ratio in casu, unde, reiectis coeteris argumentis, contendimus veram sententiam eam esse, quae tenet matrimonia per procuratorem valida quoque esse sub ratione sacramenti; veram autem causam, propter quam id est affirmandum et tenendum est, ex eo esse repetendam, quod matrimonium christianum, licet sit sacramentum, imo antequam sit sacramentum, est verus proprieque dictus contractus, unde fata contractuum adamussim sequitur, nisi quid probetur exceptum, ut est v. g. dissolubilitas.

60. Quia enim omnia et singula sacramenta, licet in eo conveniant quod sint signa efficacia gratiae, differunt tamen ex eo quod unicuique specialis indoles et natura insit, ut en baptismati indoles et natura *lotionis,* eucharistiae *convivii,* poenitentiae *iudicii,* matrimonium illud sibi proprium vindicat ut subsistat ad modum contractus.

61. Quo ex facto plura consectaria logice consequuntur, ut ea quod: *a)* possit celebrari sub conditione v. g. de futuro contingenti *(si navis ex Graecia venerit)] b)* possit sanari in radice *(etiam v. g, post quinquaginta annos ab eius celebratione) c);* possit ministrari sine forma verbis concepta *(ut sunt coniugia celebrata a mutis).* Quae certe alienissima sunt a qui-

busve aliis sacramentis, in quibus profecto, ut e. g. in ordine, conditiones, sanationes, forma concepta signis, nullo prorsus pacto intelligi queunt.

62. Quod si matrimonium ob singularem quam habet contractus naturam haec omnia logice fert, nihil mirum quod ferat quoque alia, quae ab aliis sacramentis prorsus exulant. Sic v. g. caetera sacramenta non concipiuntur nisi tribuantur praesentibus, et contra matrimonium potest optime contrahi inter absentes. Sic v. g. alia sacramenta requirunt (generatim saltem) quemdam intensiorem (si ita loqui fas est) cognitionis et voluntatis gradum ad ipsorum validam administrationem et receptionem, dum e contra in matrimonio sufficit remissior. Nam, dummodo hinc sufficienter intendatur contractus, et illinc sacramentum non excludatur, sat hoc est ad eius valorem, adeo ut sint valida quoque sub ratione sacramenti matrimonia contracta vel a rudibus, qui nesciunt matrimonium esse sacramentum, vel ab iis haereticis, qui mordicus negant illud sacramentum esse.

63. Nec obiiciatur nobis auctoritas S. Alphonsi qui *(Theol. Mor., De sacr. in genere,* lib. v, n. 82) adfirmat verius esse sentire cum Lugo in matrimonio semper requiri voluntatem saltem virtualem, idque, ut ipse ait, quia cum uterque coniux non solum sit suscipiens, sed etiam minister sacramenti, in singulis eorum certe requiritur ea intentio qualis in ministris sacramentorum exigitur. Nam fatendum quoad quaestionem hanc minus recte (sit absque irreverentia dictum et intellectum) S. Alphonsum diiudicasse et scripsisse. Quum enim ex voluntate Christi coniugia a fidelibus valide celebrata sint quoque una simul sacramenta, longe minus requiritur quoad notionem et intentionem in suscipientibus et administrantibus matrimonium, quam in suscipientibus et administrantibus alia sacramenta! Satis enim est ut cognoscant et velint matrimonium qua est contractus, atque qua est sacramentum non excludant.

64. Clarius autem et evidentius id apparebit, si ponatur exempli gratia hypothesis de mare et foemina, qui in infantia baptizati, ac postea ab ethnicis (v. g. a barbaris) rapti et educati, recepti baptismatis prorsus ignari matrimonium contraherent. Profecto censemus nec ipsum S. Alphonsum ad quaestionem *de validitate huius matrimonii sub ratione sacramenti* responsurum negative, seu *rationem sacramenti deficere*, idque eo quia generatim omnia matrimonia a baptizatis contracta sunt quoque sacramenta. Et tamen, quaesumus, qualis in huiuscemodi ministris intentio virtualis? Nulla profecto in eis agnoscenda est nisi mere *interpretativa*. Nam praeter *actualem* (quae hic et nunc habetur) vel *virtualem* (quae praecessit et sufficienter perseverat) vel *habitualem* (quae praecessit quidem, at, licet non retractata, sufficienter non perseverat nec in se nec in effectibus) aliam intentionem in sacramentis conficiendis non cognovimus nisi *interpretativam*, seu eam intentionem quae (ut ait Scavini, THEOL. MOR., DE SACR. IN GEN.) *nec actualiter adest, nec unquam exstitit, sed adesset, si obiectum menti occurreret.* Imo in casu nostro nec haec STRICTA interpretativa intentio requireretur, quum valde esset probabile, quod tales sponsi, in infantia baptizati at postea in ethnicismo educati, responderent negative, seu excluderent rationem sacramenti, sed sufficiens esset interpretativa LATA, in eo consistens quod positive non excludatur a matrimonio baptizatorum ratio sacramenti!

65. Ex hucusque ergo disputatis liquet certam et tenendam sententiam eam esse, quae admittit in coniugiis per procuratores indolem veri et proprie dicti sacramenti; idque non alia de causa esse verum, nisi quia coniugia christiana, antequam sint sacramenta, prioritate rationis sint contractus, ita ut: ***a)*** generatim adamussim sequantur naturam et fata caeterorum contractuum ; ***U)*** eo ipso quod contractus matrimonialis perficitur v. g. impleta conditione, data dispensatione in radice, et, in casu nostro, celebrato matrimonio a procu-

ratore, incipiat quoque esse sacramentum, quamvis mandans eo momento nihil prorsus de celebratione cogitet etc.; *c)* haec omnia verissima quoque esse* hodie post Tridentinum, quum Concilium decernendo formam celebrandorum coniugiorium, nihil prorsus immutaverit quoad matrimonii indolem etc. etc.

**Carolus Lombardi**

*(Sequitur)* *Prof. in Pont. Seminario Romano.*

# Diarium

**Die io Novembris** 1904 **Pius PP. X epistolam gratulatur iam misit Rmo Francisco Xaverio Haberi Praesidi, ceterisque Societatis Caecilianae germanicae Moderatoribus de musica sacra optime meritis.**

**Item Pontifex litteris ad Archiepiscopum Cameracen, datis die 31 Ianuarii** 1905 **summopere hortatur omnem Gallorum gentem et populum in primis Cameracensem ad conferendas liberali manu symbolas, quae decimo quoque anno solent pro catholici Lycaei magni Insulensis vita profectuque dari.**

**Die** 12 **Februarii** 1905 **idem Pontifex proprium gratulationis autographum misit ad Revmum Iacobum Poletto, Protonotarium participantem supranumerarium, ob sibi oblatum opus, cui titulus *La Vergine Madre nelle opere e nel pensiero di Dante Alighieri.***

**Die 13 Februarii eiusdem anni litteras dedit Rmo Augustino Bartolini, Custodi Generali Academiae Arcadiae, quibus eidem gratulatur « quod temporum utilitati prospiciens, ad litterarum exercitationes tractationes publicas accedere voluerit, quibus et relligio et civile bonum promoveretur ».**

**Item die** 20 **Februarii gratulatus est Revmo L. A. Paquet, Decano Facultatis Lavallensis, ob volumina eidem oblata totam S. Thomae Aquinatis doctrinam complectentia.**

**Die vero** 27 **Martii Sanctitas Sua, consuetis caeremoniis in Rituali Romano praescriptis, Rocchetum imposuit Illmis ac Revmis Archiepiscopis et Episcopis in Consistoro secreto eiusdem diei praeconizatis.**

**Item Sanctitas Sua litteris Secretariae Status nominare dignatus est Emum Sebastianum Card. Martinelli in Protectorem Ven. Archiconfraternitatis Mariae SSmae a Bono Consilio ad montes.**

**Tandem litteris eiusdem Secretariae Status benigne dignatus est adnumerare inter Consultores S. Congregationis Rituum Revmum P. Pacificum a Seggiano Minorum Capuccinorum, Praedicätorem Apostolicum.**

# ACTA ROMANI PONTIFICIS

LITTERAE ENCYCLICAE

## SS. D. N. Pii div. prov. Papae X ad sacros universi cathoiici orbis Antistites, de christiana doctrina tradenda.

VENERABILIBUS FRATRIBUS
PATRIARCHIS PRIMATIBUS ARCHIEPISCOPIS EPISCOPIS
ALIISQUE LOCORUM ORDINARIIS
CUM APOSTOLICA SEDE PACEM ET COMMUNIONEM HABENTIBUS

PIUS PP. x

*Venerabiles Fratres, salutem et Apostolicam benedictionem.*

Acerbo nimis ac difficili tempore ad supremi pastoris munus, in universum Christi gregem gerendum, arcanum Dei consilium tenuitatem Nostram evexit. Inimicus namque homo sic gregem ipsum iam diu obambulat vaferrimaque insidiatur astutia, ut nunc vel maxime illud factum esse. videatur, quod senioribus Ecclesiae Ephesi praenuntiabat Apostolus : *Ego scio quoniam intrabunt... lupi rapaces in vos, non parcentes gregi* (i). — Cuius quidem religiosae rei inclinationis, quicumque adhuc divinae gloriae studio feruntur, causas rationesque inquirunt ; quas dum alii alias afferunt, diversas, pro sua quisque sententia, ad Dei regnum in hisce terris tutandum restituendumque sequuntur vias. Nobis, Venerabiles Fratres, quamvis cetera non respuamus, iis maxime assentiendum videtur, quorum iudicio et praesens animorum remissio ac veluti imbecillitas, quaeque inde gravissima oriuntur mala, ex divinarum ignoratione rerum praecipue sunt repetenda. Congruit id plane cum eo, quod Deus ipse per Oseam prophetam dixit:... *Et non est scientia Dei in terra. Maledictum, et mendacium, et homicidium, et furtum, et adulterium inun-*

(i) Act. xx, 29.

*daverunt, et sanguis sanguinem tetigit. Propter hoc lugebit terra, et infirmabitur omnis, qui habitat in ea* (1).

Et re quidem vera, aetate hac nostra esse quamplurimos in christiano populo, qui in summa ignoratione eorum versentur, quae ad salutem aeternam nosse oportet, communes, eaeque proh dolor! non iniustae, sunt querimoniae. — Quum vero christianum dicimus populum, non plebem tantum aut sequioris coetus homines significamus, qui saepenumero aliquam ignorantiae excusationem ex eo admittunt, quod immitium dominorum imperio cum pareant, vix sibi suisque temporibus servire queunt: sed illos etiam et maxime, qui etsi ingenio cultuque non carent, profana quidem eruditione affatim pollent, ad religionem tamen quod attinet, temere omnino atque, imprudenter vivunt. Difficile dictu est quam crassis hi saepe tenebris obvolvantur; quodque magis dolendum est, in iis tranquille iacent! De summo rerum omnium auctore ac moderatore Deo, de christianae fidei sapientia nulla fere ipsis cogitatio. Hinc vero nec de Verbi Dei incarnatione, nec de perfecta- ab ipso humani generis restauratione quidquam norunt; nihil de Gratia, quae potissimum est adiumentum ad aeternorum adeptionem, nihil de Sacrificio augusto aut de Sacramentis, quibus gratiam ipsam assequimur ac retinemus. Peccato autem quid nequitiae insit quid turpitudinis nullo pacto aestimatur; unde nec eius vitandi nec deponendi sollicitudo ulla: sicque ad supremum usque diem venitur, ut sacerdos, ne spes absit salutis, extrema agentium animam momenta, quae fovendae maxime caritati in Deum impendi oporteret, edocendo summatim religionem tribuat: si tamen, quod fere usuvenit, usque adeo culpabili ignorantia moriens non laboret ut et sacerdotis operam supervacaneam arbitretur et, minime placato Deo, tremendam aeternitatis viam securó animo ingrediendam putet. Unde merito scripsit

(1) Os. iv, 1 ss.

Benedictus XIV decessor Noster : *Illud affirmamus, magnam eorum partem, qui aeternis suppliciis damnantur, eam calamitatem perpetuo subire ob ignorantiam mysteriorum fidei, quae scire et credere necessario debent, ut inter electos cooptentur* (i).

Haec quum ita sint, Venerabiles Fratres, quid quaeso mirabimur, si tanta sit modo inque dies augescat, non inter barbaras inquimus nationes, sed in ipsis gentibus quae christiano nomine feruntur, corruptela morum et consuetudinum depravatio? Paulus quidem Apostolus ad Ephesios scribens haec edicebat: *Fornicatio autem et omnis immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos ; aut turpitudo, aut stultiloquium* (2). At vero sanctimoniae huic ac pudori cupiditatum moderatori divinarum rerum sapientiae fundamentum posuit: *Videte itaque, fratres, quomodo caute ambuletis : non quasi insipientes, sed ut sapientes... Propterea nolite fieri imprudentes, sed intelligentes quae sit voluntas Dei* (3).

Et plane id merito. Voluntas namque hominis inditum ab ipso auctore Deo honesti rectique amorem, quo in bonum non adumbratum sed sincerum veluti rapiebatur, vix retinet adhuc. Corruptela primaevae labis depravata, ac Dei factoris sui quasi oblita, eo affectum omnem convertit ut diligat vanitatem et quaerat mendacium. Erranti igitur pravisque obcaecatae cupiditatibus voluntati duce opus est qui monstret viam, ut male desertas repetat iustitiae semitas. Dux autem, non aliunde quaesitus, sed a natura comparatus, mens ipsa est: quae si germana careat luce, divinarum nempe rerum notitia, illud habebitur, quod coecus coeco ducatum praestabit et ambo in foveam cadent. Sanctus rex David, quum Deum de veritatis lumine laudaret, quod menti hominum

(1) Instit. XXVII, 18.
(2) Ephes, v, 3 s.
(5) Ib., 15 ss.

indidisset : *Signatum est,* aiebat, *super nos lumen vultus tui, Domine* (i). Quid porro ex hac largitione luminis sequatur addidit, inquiens: *Dedisti laetitiam in corde meo;* laetitiam videlicet, qua dilatatum cor nostrum, viam mandatorum divinorum currat.

Quod revera ita esse facile consideranti patet. Deum namque eiusque infinitas quas perfectiones nominamus, longe exploratius, quam naturae vires scrutentur, christiana nobis sapientia manifestat. Quid porro? Iubet haec simul summum ipsum Deum officio *fidei* nos revereri, quae mentis est; *spei* quae voluntatis ; *caritatis* quae cordis : sicque totum hominem supremo illi Auctori ac Moderatori mancipat. Similiter una est Iesu Christi doctrina, quae germanairi praestabilemque hominis aperit dignitatem, quippe qui sit filius Patris caelestis qui in caelis est, ad imaginem eius factus cumque eo aeternum beateque victurus. At vero ex hac ipsa dignitate eiusdemque notitia infert Christus debere homines se amare invicem ut fratres, vitam heic degere, ut lucis filios decet, *non in comessationibus, et ebrietatibus ; non in cubilibus, et impudicitiis ; non in contentione, et aemulatione* (2) ; iubet pariter omnem sollicitudinem nostram proiicere in Deum, quoniam ipsi cura est de nobis ; iubet tribuere egenis, benefacere iis qui nos oderunt, aeternas animi utilitates fluxis huius temporis bonis anteponere. Ne autem omnia singulatim attingamus, nonne ex Christi institutione homini superbius audenti demissio animi, quae verae gloriae origo est, suadetur ac praecipitur? *Quicumque... humiliaverit se..., hic est maior in regno caelorum* (3). Ex ea prudentiam spiritus docemur, qua prudentiam carnis caveamus ; iustitiam, qua ius tribuamus cuique suum, fortitudinem, qua parati simus omnia perpeti, erectoque animo pro' Deo sempiternaque beatitate

(1) PS. IV, 6.
(2) Rom. XIII, 13.
(.3) Matth, xviir, 4.

patiamur; temperantiam denique, qua vel pauperiem pro regno Dei adamemus, quin et in ipsa cruce gloriemur, confusione contempta. Stat igitur, ab christiana sapientia, non modo ' intellectum nostrum mutuari lumen, quo veritatem assequatur, sed voluntatem etiam ardorem concipere, quo evehamur in Deum cumque Eo virtutis exercitatione iungamur.

Longe equidem absumus ut ex his asseramus, pravitatem animi corruptionemque morum non posse cum religionis scientia coniungi. Utinam non id plus nimio probarent facta ! Contendimus tamen, ubi crassae ignorantiae tenebris sit mens circumfusa, nullatenus posse aut rectam voluntatem esse aut mores bonos. Apertis namque oculis si quis incedat, poterit ille sane de recto tutoque itinere declinare: qui tamen caeçitatem laborat, huic periculum certe quidem imminet. — Adde porro: corruptionem morum, si fidei lumen penitus non sit extinctum, spem facere emendationis; quod si utrumque iungitur et morum pravitas et fidei ob ignorationem defectio, vix erit medicinae locus, patetque ad ruinam via.

Quum igitur ex ignorantia religionis tam multa tamque gravia deriventur damna; alia vero ex parte, quum tanta sit religiosae institutionis necessitas atque utilitas, frustra enim christiani hominis officia impleturus speratur qui illa ignoret: iam ulterius inquirendum venit, cuius demum sit perniciosissimam hanc ignorantiam cavere mentibus, adeoque necessaria scientia animos imbuere. — Quae res, Venerabiles Fratres, nullam habet dubitationem: gravissimum namque id munus ad omnes pertinet, quotquot sunt animarum pastores. Hi sane, ex Christi praecepto, creditas sibi oves agnoscere tenentur ac pascere ; pascere autem hoc primum est, docere ; *Dabo vobis,* sic nempe Deus per Ieremiam promittebat, *pastores iuxta cor meum, et pascent vos scientia et doctrina (i).* Unde et Apostolus Paulus aiebat: *Non... misit me Christus*

(i) Ier. III, 15.

*baptizare, sed evangelizare* (i), indicans videlicet primas eorum partes, qui regendae aliquo modo Ecclesiae sunt positi, esse in instituendis ad sacra fidelibus.

Cuius quidem institutionis laudes persequi supervacaneum ducimus, quantique ea sit apud Deum ostendere. Certe miseratio, quam pauperibus ad levandas angustias tribuimus, magnam a Deo habet laudem. At longe maiorem quis neget habere studium et laborem, quo,, non fluxas corporibus utilitates, sed aeternas animis docendo monendoque conciliamus? Nihil profecto optatius, nihil gratius queat Iesu Christo animarum servatori accidere, qui de se per Isaiam professus est: *Evangelizare pauperibus misit me* (2).

Hic tamen praestat, Venerabiles Fratres, hoc unum consectaria atque urgere, nullo sacerdotem quemlibet graviori officio teneri, nullo arctiori nexu obligari. Etenim in sacerdote ad vitae sanctimoniam debere scientiam adiici, quis neget? *Labia... sacerdotis custodient scientiam* (3). Atque illam reapse severissime Ecclesia requirit in iis qui sint sacerdotio initiandi. Quorsum id vero? Quia scilicet ab eis divinae legis notitiam christiana plebs expectat, illosque ad eam impertiendam destinat Deus: *Et legem requirent ex ore eius : quia angelus Domini exercituum est* (4). Quamobrem Episcopus, in sacra initiatione, sacerdotii candidatos alloquens: *Sit,* inquit, *doctrina vestra spiritualis medicina populo Dei ; sint providi cooperatores ordinis nostri ; ut in lege sua die ac nocte meditantes, quod legerint credant, quod crediderint doceant* (5).

Quod si nemo est sacerdos, ad quem haec non pertineant, quid porro de illis censebimus, qui, nomine ac potestate

(1) I Cor. i, 17.
(2) Luc. iv, 18.
(3) Malach. rr, 7.
(4) Ib-
(5) Pontif. Rom.

curionum aucti, animarum rectoris munere, vi dignitatis et quodam quasi pacto inito, funguntur? Hi quodammodo pastoribus et doctoribus sunt accensendi, quos dedit Christus ut fideles iam non sint parvuli fluctuantes, et circumferantur omni vento doctrinae in nequitia hominum ; veritatem autem facientes in caritate, crescant in illo per omnia, qui est caput Christus (i).

Quapropter sacrosancta Tridentina Synodus, de animarum pastoribus agens, officium eorum hoc primum et maximum esse edicit, christianam plebem docere (2). Hinc iubet illos, dominicis saltem diebus festisque sollemnioribus, de religione ad populum dicere, sacri vero Adventus tempore et Quadragesimae quotidie, vel saltem ter in hebdomada. Neque id modo : addit 'namque teneri parochos, eisdem saltem dominicis festisque diebus, per se vel per alios, in fidei veritatibus erudire pueros, eosque ad obedientiam in Deum ac parentes instituere. Quum vero sacramenta fuerint admistranda, praecipit, ut qui sunt suscepturi, de eorumdem vi, facili vulgarique sermone, doceantur.

Quas sacrosanctae Synodi praescriptiones Benedictus XIV decessor Noster, in sua Constitutione *Etsi minime,* sic brevi complexus est ac distinctius definivit: *Duo potissimum onera a Tridentina Synodo curatoribus animarum sunt imposita: alterum, ut festis diebus de rebus divinis sermonem ad populum habeant ; alterum, ut pueros et rudiores quosque divinae legis fideique rudimentis informent.* — Iure autem sapientissimis Pontifex duplex hoc officium distinguit, sermonis videlicet habendi, quem vulgo Evangelii explicationem vocitant, et christianae doctrinae tradendae. Non enim fortasse desint qui, minuendi laboris cupidi, persuadeant sibi homiliam pro catechesi esse posse. Quod quam putetur perperam, conside-

(1) **Ephes, iv,** 14, 1**5.**

(2) **Sess. v, cap.** 2 **de ref. ; Sess. xxir, cap.** 8 **; Sess xxrv, cap.** 4 **et** 7 **de ref.**

ranti patet. Qui enim sermo de sacro Evangelio habetur, ad eos instituitur, quos fidei elementis imbutos iam esse oportet. Panem díceres, qui adultis frangatur. Catechetica e contra institutio lac illud est, quod Petrus Apostolus concupisci sine dolo a fidelibus volebat, quasi a modo genitis infantibus. — Hoc scilicet catechistae munus est, veritatem aliquam tractandam suscipere vel ad fidem vel ad christianos mores pertinentem, eamque omni ex parte illustrare: quoniam vero emendatio vitae finis docendi esse debet, oportet catechistam comparationem instituere ea inter quae Deus agenda praecipit quaeque homines reapse agunt; post haec, exemplis opportune usum, quae vel e Scripturis sacris, vel ex ecclesiastica historia , vel e sanctorum virorum vita sapienter hauserit, suadere auditores eisque, intento veluti digito, commonstrare quo pacto componant mores; finem denique hortando facere, ut qui adstant horreant vitia ac declinent, virtutem sectentur.

Scimus equidem eiusmodi tradendae christianae doctrinae munus haud paucis invidiosum esse, quod minoris vulgo aestimetur nec forte ad popularem laudem captandam aptum. Nos tamen hoc esse iudicium eorum censemus, qui levitate magis quam veritate ducuntur. Oratores profecto sacros, qui, sincero divinae gloriae studio, vel vindicandae tuendaeque fidei, vel Sanctorum laudationibus dent operam, probandos esse non recusamus. Verum illorum labor laborem alium praevium desiderat, scilicet catechistarum; qui si deest, fundamenta desunt, atque in vanum laborant qui aedificant domum. Nimium saepe orationes ornatissimae, quae confertissimae concionis plausu excipiuntur, hoc unum assequuntur ut pruriant auribus ; animos nullatenus movent. E contra catechetica institutio, humilis quamvis et simplex, verbum illud est, de quo Deus ipse testatur per Isaiam: *Quomodo descendit imber, et nix de caelo, et illuc ultra non revertitur, sed inebriai terram, et infundit eam, et germinare eam facit, et dat semen*

*ser enti, ei panem comedenti: sic erit verbum meum quod egreditur de ore meo: non revertetur ad me vacuum, sed faciet quaecumque volui, et prosperabitur in his, ad quae misi illud* (i). — Similiter arbitrandum putamus de sacerdotibus iis, qui, ad religionis veritates illustrandas, libros operosos conscribunt; digni plane qui ideo commendatione multa exornentur. Quotus tamen quisque est, qui eiusmodi volumina verset, fructumque inde hauriat auctorum labori atque optatis respondentem? Traditio autem christianae doctrinae, si rite fiat, utilitatem audientibus nunquam non affert.

Etenim (quod ad inflammandum studium ministrorum Dei iterum advertisse iuverit) ingens modo eorum est numerus atque in dies augetur, qui de religione omnino ignorant, vel eam tantum de Deo christianaeque fidei notitiam habent, quae illos permittat, in media luce catholicae veritatis, idololatrarum more vivere. Quam multi eheu ! sunt, non pueros dicimus, sed adulta, quin etiam devexa aetate, qui praecipua fidei mysteria nesciant prorsus ; qui Christi nomine audito, respondeant: *Quis est,... ut credam in eum* f, (2) — Hinc odia in alios struere ac nutrire, pactiones conflare iniquissimas, inhonestas negotiorum procurationes gerere, aliena gravi foenore occupare, aliaque id genus flagitiosa haud sibi vitio ducunt. Hinc Christi legem ignorantes, quae non modo turpia damnat facinora, sed vel ea cogitare scienter atque optare; etsi forte, qualibet demum de causa, obscoenis voluntatibus fere abstinent, inquinatissimas tamen cogitationes, nulla sibi religione iniecta, suscipiunt; iniquitates super capillos capitis multiplicantes. — Haec porro, iterasse iuvat, non in agris solum vel inter miseram plebeculam occurrunt, verum etiam ac forte frequentius inter homines amplioris ordinis, atque adeo apud illos quos inflat scientia, qui vana

(1) is. LV, IO, II.

(2) Ioan. ix, 36.

freti eruditione religionem ridere pòsse autumant et *quaecumque quidem ignorant, blasphémant* (i).

Iam, si frustra seges a terra speratur quae semen non exceperit, qui demum bene moratas progenies expectes, si non tempore fuerint christiana doctrina institutae? — Ex quo colligimus iure, quum fides id aetatis usque eo languerit ut in multis pène sit intermortua, sacrae catechesis tradendae officium vel negligentius oersólvi, vel praetermitti omnino. Perperam enim ad habendam excusationem quis dixerit, esse fidem gratuito munere donatam nobis atque in sacro baptismate cuique inditam. Equidem utique quotquot in Christo baptizati sumus fidei habitu augemur; sed divinissimum hoc semen non *ascendit.... et facit ramos magnos* (2) permissum sibi ac veluti virtute insita. Est et in homine, ab exortu, intelligendi vis : ea tamen materno indiget verbo, quo quasi excitata in actum, ut aiunt, exeat. Haud aliter christiano homini accidit, qui, renascens ex aqua et Spiritu Sancto, conceptam secum affert fidem; eget tamen Ecclesiae institutione, ut ea ali augerique possit fructumque ferre. Idcirco Apostolus scrir bebat : *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi* (3); institutionis autem necessitudinem ut ostenderet, addit: *Quomodo.... audient sine praedicante?* (4)

Quod si, ex huc usque explicatis, religiosa populi eruditio quanti momenti sit ostenditur, curae Nobis quam quod maxime esse oportet, ut doctrinae sacrae praeceptio, qua, ut Benedicti XIV decessoris Nostri verbis utamur, ad Dei gloriam et ad animarum salutem nihil utilius est institutum (5) vigeat semper aut, sicubi negligitur, restituatur. —-Volentes igitur, Venerabiles Fratres, huic gravissimo supremi apostolatus offi-

(1) **Iud. io.**
(2) **Marc, iv,** 32.
(3) **Rom. x, 17.**
(4) **Ib. 14-**
(5) **Constit.** ***Etsi minime,*** **13.**

ciò satisfacere, atque unum paremque morem in re tanta ubique esse; suprema Nostra auctoritate, quae sequuntur, in dioecesibus universis, observanda et exequenda constituimus districteque mandamus.

I. Parochi universi, ac generatim quotquot animarum curam gerunt, diebus dominicis ac festis per annum, nullo excepto, per integrum horae spatium, pueros et puellas de iis, quae quisque credere agereque debeant ad salutem adipiscendam, ex catechismi libello erudiant.

II. Iidem, statis anni temporibus, pueros ac puellas ad Sacramenta Ponenitentiae et Confirmationis rite suscipienda praeparent, continenti per dies plures institutione.

III. Item, ac peculiari omnino studio, feriis omnibus Quadragesimae atque aliis, si opus erit, diebus post festa Paschalia, aptis praeceptionibus et notationibus adulescentulos et adulescentulas sic instruant, ut sancte sancta primum de altari libent.

IV. In omnibus et singulis paroeciis consociatio canonice instituatur, cui vulgo nomen Congregatio Doctrinae christianae. Eâ parochi, praesertim ubi sacerdotum numerus sit exiguus, adiutores in catechesi tradenda laicos habebunt, qui se huic dedent magisterio tum studio gloriae Dei, tum ad sacras lucrandas indulgentias, 'quas Romani Pontifices largissirne tribuerunt.

V. Maioribus in urbibus, inque iis praecipue ubi universitates studiorum, lycea, gymnasia patent, scholae religionis fundentur ad erudiendam fidei veritatibus vitaeque christianae institutis iuventam, quae publicas scholas celebrat, ubi religiosae rei mentio nulla iniicitur.

VI. Quoniam vero, hac praesertim tempestate, grandior aetas non secus ac puerilis religiosa eget institutione ; parochi universi ceterique animarum curam gerentes, praeter consuetam homiliam de Evangelio, quae festis diebus omnibus in parochiali Sacro est habenda, ea hora quam opportuniorem duxerint ad populi frequentiam, illa tantum excepta

qua pueri erudiuntur, catechesim ad fideles instituant, facili quidem sermone et ad captum accommodato. Qua in re Catechismo Tridentino utentur, eo utique ordine ut quadriennii vel quinquennii spatio totam materiam pertractent quae de Symbolo est, de Sacramentis, de Decalogo, de Oratione et de praeceptis Ecclesiae.

Haec Nos quidem, Venerabiles Fratres, auctoritate Apostolica constituimus et iubemus. Vestrum modo erit efficere ut, in vestra cuiusque dioecesi, nulla mora atque integre executioni mandentur; vigilare porro et pro auctoritate vestra cavere, ne quae praecipimus oblivioni dentur, vel, quod idem est, remisse oscitanterque impleantur. Quod ut reapse vitetur, illud assidue commendetis et urgeatis oportet, ut parochi ne imparati catechesis praeceptiones habeant, sed diligenti prius adhibita praeparatione; ut ne loquantur humanae sapientiae verba, sed, *in simplicitate cordis et sinceritate Dei* (i), Christi exemplum sectentur, qui quamvis *abscondita* eructaret *a constitutione mundi* (2), loquebatur tamen omnia *in parabolis ad turbas et sine parabolis non loquebatur eis* (3). Id ipsum et Apostolos, a Domino institutos, praestitisse novimus ; de quibus Gregorius Magnus aiebat : *Curaverunt summopere rudibus populis plana, et capabilia non summa atque ardua, praedicare* (4). Ad religionem, autem quod attinet, homines magnam partem rudibus, hac tempestate nostra, sunt accensendi.

Nolimus porro, ne ex eiusmodi simplicitatis studio persuadeat quis sibi, in hoc genere tractando, nullo labore nullaque meditatione opus esse : quin immo maiorem plane, quam quodvis genus aliud, requirit Facilius longe est reperire oratorem, qui copiose dicat ac splendide, quam catechistam qui praeceptionem habeat omni ex parte laudabilem.

(1) II Cor. I, 12.

(2) Matth. XIII, 35.

(3) Ib. 34.

(4) Moral. 1. xvir, cap. 26.

Quamcumque igitur facilitatem cogitandi et eloquendi quis a natura sit nactus, hoc probe teneat, nunquam se de christiana doctrina ad pueros vel ad populum cum animi fructu esse dicturum, nisi multa commentatione paratum atque expeditum. Falluntur sane qui plebis imperitia ac tarditate fisi, hac in re negligentius agere se posse autumant. E contrario, quo quis rudiores nactus sit auditores, eo maiore studio ac diligentia utatur oportet, ut sublimissimas veritates, adeo a vulgari intelligentia remotas, ad obtusiorem imperitorum aciem accommodent, quibus aeque ac sapientibus, ad aeternam beatitatem adipiscendam sunt necessariae.

iam igitur, Venerabiles Fratres, Mosis verbis, in hac postrema litterarum Nostrarum parte, liceat vos alioqui : *Si quis est Domini, iungatur mihi* (i). Advertite, rogamus quaesumusque, quanta animarum clades ex una divinarum rerum ignoratione veniat. Multa forte utilia planeque laudatione digna, in vestra cuiusque dioecesi, sunt a vobis instituta in commissi gregis commodum : velitis tamen, prae omnibus, quanta potestis contentione, quanto studio, quanta assiduitate hoc curare atque urgere, ut doctrinae christianae notitia cunctorum pervadat animos penitusque imbuat. *Unusquisque,* Petri Apostoli utimur verbis, *sicut accepit gratiam, in alterutrmn illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiae Dei* (2).

Diligentiam industriasque vestras, beatissima Virgine immaculata intercedente, fortunet vobis Apostolica benedictio, quam, testem caritatis Nostrae ac caelestium gratiarum auspicem, vobis et clero ac populo cuique credito amantissime impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum die xv Aprilis MDCCCCV, Pontificatus Nostri anno secundo.

PIUS PP. X

(1) Exod. XXXII, 26.

(2) I Petr. iv, io.

LITTERAE

## Quibus Pius PP. X, occasione defectionis a fide complurium adolescentium, ad eam animosius tuendam hortatur Episcopos Austriae.

PIUS PP. X

*Dilecte Fili Noster et Venerabiles Fratres, salutem et Apostolicam benedictionem* (i).

Austriam catholico caram nomini caussamque sane pernobilem, unde assidue caperet christiana respublica decus, dolemus non ita, ut antea, communem praebere in praesens laetitiam professioni catholicae. Tuendae amplificandaeque fidei a Christo Iesu praepositis, nihil est Nobis antiquius quam ut catholicae doctrinae disciplinaeque germen non modo in filiis custodiatur Nostris, sed iis etiam in mediis florescat, quos non eadem Nobiscum communio devincit. At lacrymabili nimium fortuna, quos Nostra institutio aluit, eos ipsos quandoque adspicimus abire prodige a Nobis, ac sanctissima praecepta et documenta vitae, hausta ex illibato Christi fonte, dissentiendo publice propulsare, et nova placita infenso animo amplectf. Nostra quo spectet maxime oratio, perspicuum profecto vobis est, qui Nobiscum una satis numquam censetis posse impie factum defieri, cuius adspectum, non multos ante dies, horruit Austriae relligio : quod quidem factum ideo certe molestissime tulimus, quod addicti studiis adolescentes complures, in quibus spes tanta erat suavissime posita, a catholica publice sententia recesserint. Solutos scilicet se ab imperio et potestate religiosa volunt, atque e sacris legitimis propterea sese expediunt, quia vim multam fortitudinemque animi in explendis divinae legis operibus catholica religio quaerit, dissidentium coetus non quaerit. Hac fieri de ratione

(i) Emo Cardinali Gruscha, Archiepiscopo Vindobonensi ceterisque Episcopis Austriae *(N. R.).*

comperimus non paucis in Austria fidelibus funestissimam illam perniciem animi inferri, catholicum ut deponant nomen atque haereticae sese pravitati dedant. Calamitatem nostis, dilecte Fili et Venerabiles Fratres, omnium hanc aestimari iure tristissimam, animas interire misere, quae tanti valent, quanti perfusus a Christo sanguis. Vos quidem Praesules, quos in excelso ecclesiarum munere ad curam populi divina mens posuit, scimus non immemores officii esse, sollicitaque sollertia discrimini obsistere creditarum ovium. Verum quo instant praesentiora pericula, eo debent Episcopi maiora adhibere ad praecavendum studia tantoque debent alacrius in pastoralibus curis eniti. Hanc vero ad rem industriam vestram contendere exploratum est iamdiu, habemusque non sine voluptate compertum vobis esse vertendum laudi, si maiora christianus grex detrimenta non cepit. Hortamur tamen in Christo vos, dilecte Fili et Venerabiles Fratres, animosiores ut bello repugnetis in dies, nullumque patiamini abesse a vobis, sive privatim sive publice, studium, unde sarta tecta filiorum fides permaneat, habeatque in vobis communio Nostra ab infestis armis praesidium. Perillustris ista natio, cuius nobilissimae sunt in catholica historia laudes, catholica, Deo opitulante, persistet, vestra si sedulitas navabit divinae Providentiae operam : clara etiam et opibus et concordia et quiete manebit, si de religione patrum, in qua salus potissimum Imperii et fortitudo consistunt, invidia aut dissensio aut omnis religiosarum simultatum causa prohibeantur. Ceterum vestrae ultro navitati, divinaeque desiderio gloriae, quo praecellitis, fidimus, coelestiumque gratiarum auspicium ac Nostrae benevolentiae pignus Apostolicam benedictionem vobis populisque vestris peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die vi Martii anno MCMV, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. X

MOTU PROPRIO

## De clericis Apuliae in Seminarium Vaticanum cooptandos.

PIUS PP. X

Seminarium Vaticanum, cuius incremento sa. me. Decessor Noster Leo XIII contulit operam felicissime, haud minori Nos benevolentia prosequentes, sarta tectaque iura eius ac privilegia esse oportere ducimus, ita ut, si quid in his desideretur firmitatis ac roboris, id, e periculo quovis ereptum, auctoritatis Nostrae praesidio, legitimum, stabile certumque reddatur.

Haud ita multis ante annis, Marcellus Aloisius Pellegrini, Troadensis Episcopus, Aquavivae et Altamurae Praepositus, memorato Decessori Nostro argénteos dedit itálicos nummos, seu libellas, ad centum octoginta novem millia, cuius pecuniae reditibus Apuli aliquot adolescentes, Romae, in spem Ecclesiae alerentur. Huius autem consilii in rem deducendi cum Pontificis arbitrio reliquisset modum, Leo XIII optimum factum censuit tot in Seminario Vaticano locos Apulis clericis constituere, quot pecuniae quam diximus reditus paterentur.

Haec ab illustri Antecessore Nostro sic provisa, Apostolicis hisce Litteris Motu Pròprio confirmantes, locos, uti diximus, in Seminario Vaticano constituimus, gratis alendis, instituendis totidem ex Apulia clericis. Idcirco Cardinali Archipresbytero Vaticanae Basilicae argénteos itálicos nummos, seu libellas, ad centum octoginta novem millia collocandas tradimus, eidemque mandamus ut huius pecuniae reditum ad Consilium administrationis Seminarii deferat, a quo deinde in trimestres partes aeque distributum ad Seminarii rectorem pro tempore transmittetur.

Volumus autem in cooptandis instituendisque his Apulis clericis servari leges quae infra scriptae sunt:

I. Quaterni ex Aquaviva et Altamura alumni adsciscantur; ex Bario, Brundusio, Manfredonia, Hydrunto, Tarento, Tranio-Baroio singuli ; qui ex reliqua pecunia poterunt constitui loci, Pontificis arbitrio assignentur.

II. Apuliae Episcopi quos ipsi legerint iuvenes mittant. Iisdem potestas esto, si opportunum duxerint, et communicato cum Apostolica Sede consilio, locos dimidiata impensa conferre, alumnis pro dimidio solventibus.

III. Electi iuvenes ad Cardinalem Seminario praepositum, aut ad alium ab eo designatum virum, deducantur, de ipsisque plane referatur, opportuna documenta exhibendo. Seminarii vero moderatores cum Ordinario communicent circa ea quae alumni institutionem spectant.

IV. In Seminarium ne admittantur qui aetatis suae annum decimum quartum fuerint praetergressi ; nisi cui forte Ordinario visum fuerit provectiorem aliquem ad maiora studia plenius persequenda proponere.

V. Item aditus ne cui patefiat, nisi, emenso quinquenni primordiorum cursu, habeatur idoneus ad aliquam gymnasii aliorumve studiorum scholam frequentandam.

VI. In Seminario cooptati, statim peculiari doctorum decurialium coetui probandi se sistant, quo iudicio constet, cuinam scholae adeundae sint pares.

VII. Candidati ex honesta familia sunto bonaeque indolis indicia praebente. Etsi vero de iis, qui immaturam adhuc aetatem agunt, difficilis coniectura sit, quodnam vitae genus sint suscepturi, nihilominus curent Ordinarii iuvenes nominare, « quorum indoles et voluntas spem afferat eos ecclesiasticis ministeriis perpetuo inservituros » (i).

VIII. Ubi alumnus aperiat se nolle sacro ministerio mancipan, aut ubi necessariis ad id conditionibus carere, studiisve

(i) **Conc. Trid.**

rite absolvendis impar esse videatur, re ad Ordinarium delata, dimittatur.

IX. Commorationis in Seminario diuturnitas ne intermittatur; nec quisquam ante discedat, quam legitimum tempus suae institutionis expleverit.

X. Extremo quoque anno alumni periculum facient, sive ad honestam emenso gymnasio aut lyceo missionem, sive ad gradus academicos in Sacra Theologia consequendos.

Cetera serventur iuxta normas iam constitutas super admittendis in Seminarium Vaticanum adolescentibus.

Omnia igitur quae hisce Litteris Motu Proprio statuimus, decrevimus, confirmavimus, rata et firma uti sunt, ita in posterum esse volumus ac iubemus, irritum et inane futurum decernentes; si quid super his a quoquam contigerit attentari. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum die xn Maii anno millesimo nongentesimo quarto, Pontificatus Nostri anno primo.

PIUS PP. X

# EX SECRETARIA BREVIUM

## Templum S. Stephani Protomartyris Hierosolymis nuper extructum in Basilicam minorem evehitur.

PIUS PP. x

AD FUTURAM REI MEMORIAM

Divino sane accidit consilio, ut nostris hisce temporibus, extructo Hierosolymis a Fratribus Ordinis Praedicatorum Coenobio (in quo Decessoris Nostri Leonis PP. XIII recolendae memoriae auctoritate Studiorum Biblicorum publica schola constituta est) continens eidem templum construere molientibus, ipsa pervetusta eo loco in lucem prodierint fundamenta cele-

berrimae olim Basilicae, ab Eudoxia Imperatrice S. Stephani Protomartyris cultui et reliquiis munifice condendis, aedificatae. Eo enim loco, qui creditur esse locus martyrii S. Stephani, sacrum Stephani corpus diu requievit; sed labentibus annis, et praedives illa Basilica a Chosroe Persarum Rege vastata fuit ignique tradita, et Oratorium a Crucesignatis ibidem erectum, paulo post a Saracenis eversum ac solo aequatum est. Quamobrem impensius nova aedes sacra super eiusmodi fundamenta consurgens, tum molis amplitudine, cum pulchris architecturae operibus praecellens extructa est, Deoque in honorem Sancti ipsius Protomartyris anno sacri Iubilaei millesimo nongentesimo solemni ritu consecrata ac dicata feliciter. Haec animo reputans dilectus filius hodiernus Hierosolymitani ipsius Coenobii prior, una cum suis religiosis sodalibus, Nos enixis precibus rogavit, ut novum templum S. Stephani Protomartyris ad Basilicae minoris dignitatem evehere dignaremur; Nosque quo pristinae celebritatis loci, novae sacrae aedi aliquid reddatur, his votis annuendum libenti quidem animo existimavimus. Quae cum ita sint, amplissimis quoque suffragiis permoti et Venerabilis Fratris Patriarchae Hierosolymitani, et dilecti filii Procuratoris Ordinis Praedicatorum Generalis, omnes et singulos quibus hae Nostrae Litterae favent a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis, si qua forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, Apostolica Nostra auctoritate praesentium vi novam Hierosolymitanam ecclesiam S. Stephani Protomartyris, titulo ac dignitate Basilicae cohonestamus; cunctis privilegiis atque honorificentiis eidem attributis, quae minoribus Almae huius Urbis Basilicis de iure competunt (i). Decernentes prae-

(i) **Quibus verbis tria privilegia generatim indicantur, veluti liquet ex decreto S. C. Rituum in *Lucerina,* 27 Aug. 1836, n. 2744, ubi declaratum fuit: « Nomine privilegiorum, gratiarum, praeeminentiarum, exemptionum, indultorum ceterorumque similium, quae continentur in Litteris Apostolicis in forma Brevis**

sentes Litteras firmas, validas, et efficaces semper existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum esse et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus contrariis quibuscumque. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo piscatoris die x Iunii MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.

L. ✠ S. ALOISIUS Card. MACCHI

## Indulgentiae largiuntur pio Operi Mariae Immaculatae.

PIUS PP. X

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Cum, sicut ad Nos relatum', Parisiis canonice erectum extet pium Opus a Maria Immaculata nuncupatum, cuius so-

**expeditis favore alicuius ecclesiae ad gradum Basilicae minoris elevatae, venire: *Conopaeum, omni tamen auri et argenti ornato ab eo excluso, tintinnabulum et usum cappae magnae* ». Quae Basilicae minoris privilegia modo augentur, modo etiam coarctantur sive quoad numerum sive quoad usum. Hinc alicui ecclesiae v. gr. Basilicis S. Laurentii in Damaso et S. Mariae in Transtyberim singulariter concessa fuit etiam palmatoria, adhibenda vel in Missis solemnibus tantum aut in Missis quoque lectis. E contra usus cappae magnae conceditur dumtaxat canonicis, non aurem aliis clericis et regularibus. Item ecclesiae Collegiatae S. Iacobi in civitate Calataierónensi, quemadmodum constat ex decreto S. R. C. in *Calataieronen.,*** 25 **Martii** 1817, **n.** 2575, **ad Basilicae minoris dignitatem evectae sed in concursu cum ecclesia Cathedrali, tintinnabulum et conopaeum tantum gestandi facultas facta fuit, quorum praeterea usus intra sequentes limites coarctatus est, nempe : « in iis' tantum solitis et consuetis ecclesiasticis functionibus, in quibus non concurrit cum altero Cathedralis ecclesiae Capitulo, idque in ecclesiae ambitu ' vel intra limites tantum eiusdem paroeciae, excepta dumtaxat ab hac limitatione solemni supplicatione ab eadem Collegiata fieri quotannis solita per vias civitatis in die S. Iacobi eiusdem ecclesiae Titularis ». Cfr. etiam Suffragium magistri Caeremoniarum super decreto *Lucerina (Decreta authentica S: R. C, vol.*** *4,* ***pag.*** *35y)* ***(N. R.).***

dales èx utroque sexu iam per universum fere terrarum orbem diffusi, piis precibus mulierum ethnicarum, haereticarum vel schismaticarum ad veram fidem conversionem procurare student; Nos, ut tam frugiferum Opus sacro indulgentiarum praesidio potiora capiat, Deo favente, incrementa, de omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis fidelibus ex utroque sexu in dictam Societatem nunc et in posterum ubique terrarum adlectis, qui vere poenitentes ac confessi ac S. Communione refecti, festivitate Immaculatae Conceptionis Beatae Mariae Virginis aut uno. quo cuique eorum libeat e septem diebus continuis immediate sequentibus, unoque alio per annum die similiter pro uniuscuiusque sodalis arbitrio eligendo, singulis annis devote ecclesiam quamlibet sive publicum Oratorium visitaverint, ibique pro Christianorum Principum concordia , haeresum extirpatione, peccatorum conversione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo praefatorum die id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Insuper dictis memorati pii Operis sodalibus nunc et in posterum pariter ubique terrarum existentibus, quoties lingua latina, vel alio quocumque idiomate, dummodo versio sit fidelis, corde saltem contrito recitent antiphonam quae incipit *Salve Regina,* toties trecentos dies de iniunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Quas omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones et poenitèntiarum relaxationem etiam animabus fidelium in Purgatorio detentis per modum suffragii applicari posse indulgemus. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae praemunitis, eadem prorsus

adhibeatur fides, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae ; utque derogatae sint aliae quaevis indulgentiae dicto pio Operi alias forte concessae, prout per praesentes Apostolica auctoritate derogamus.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris diei XXI Iunii MCMIV, Pontificatus Nostri anno primo.

Pro Dno Card. MACCHI

L. *J* S. Nicolaus Marini, *Substitutus.*

**Breve solemnis Beatificationis Ven. Servi Dei Gasparis dei Bufalo, Institutoris Congregationis Missionariorum Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C.**

PIUS PP. X

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Salutare illud praeceptum, quod Redemptor humani generis Christus dedit discipulis suis « euntes docete omnes gentes » constanti divinae providentiae consilio ita omni aetate in Ecclesia Dei viguit ut ipsa nunquam strenuis ac sollertibus caruit .administris, qui catholicae fidei provehendae studio adducti divinam sapientiam late populis traderent. Et sane coelestis paterfamilias, qui a prima ad postremam diei horam nunquam cessat conducere operarios in vineam suam ad eam excolendam, novissimis temporibus cum ob graves civiles perturbationes sacrorum operariorum praesidio indigeret Ecclesia inter caeteros misit Venerabilem Dei Famulum Gasparem del Bufalo qui omni christianarum virtutum laude excellens in assidua Apostolici ministerii exercitatione, vitam ita exegit, ut supernae veritatis praeco strenuissimus iure meritoque usurpare potuerit dicta Pauli ad Corinthios « pro Christo legatione fungimur tamquam Deo exhortante per nos». Roma tot sanctorum virorum inclyta mater et altrix hoc etiam gaudet alumno, in hac enim alma Urbe die vi la-

nuarii MDCCLXXXVI piis parentibus ortus a teneris unguiculis « sicut lux oriente sole mane absque nubibus rutilât » praeclara fidei, innocentiae ac pietatis specimina praebuit. Puer adhuc procul a hugis primae illius aetatis propriis, in his unice delectabatur quae ad Dei cultum instituta videret, altariola industriose componens, sacrasque referens caeremonias inter caeteros pueros quos suo praesertim exemplo timorem Domini et erga parentes reverentiam edocere studebat. Etenim primis illis ab annis tanto erga Deum et proximum amore ferebatur ut clericali militiae nomen dare constituerit, quo ad gentes infideles evangelizandas pergeret, ibique vitam pro Deo cum sanguine hinderet. Quod consilium cum per aetatem exequi non posset, totus incubuit ut sapientia cresceret et gratia coram Deo et hominibus: siquidem in Lyceo Gregoriano praeceptorum laudes promeruit atque omnibus exemplo fuit, praesertim quod piis sibi adiunctis sociis religionis et charitatis officia cum ipsis exerceret, verboque et opere condiscipulos hortaretur ut « custodiendo sermones Dei corrigèrent vias suas et immaculati Domino in directione cordis conficerentur ». Canonicatu auctus in insigni Marciana Basilica et sacerdotio initiatus pridie Kalendas Augusti anno MDCccvin veluti lucerna super candelabrum posita refulsit in templo Dei in omnimodis sacri ministerii muneribus obeundis.

Ad pauperum levamen piae Societatis a Sancta Galla incrementa curavit; nocturnum ad Sanctae Mariae in Vincis coetum pietatis palaestram esse voluit; piae Congregationi Sancti Pauli Apostoli pro Clero instituendo multum opere impendit; ac perpetuo studio adductus provehendi cultus Pretiosissimi Sanguinis Redemptoris Nostri Iesu Christi eo tamquam vexillo munitus vim omnem suae charitatis exercuit, animum adiiciens omni prope vitae conditioni ad sanctitatem revocandae. Sed cum iam spectata apostolicorum laborum laude floreret subito tempestas in Galliis oborta totam concussit Europam ac tum Supremum Pontificem rec. mem.

Pium PP. VII Praedecessorem Nostrum tum optimum quemque ex hac alma Urbe sanctimoniae ac virtutis domicilio eiecit. Tum Venerabilis Dei Servus mirum christianae fortitudinis exemplum edidit; oblata enim illi conditione ut vel iuxta verba Gallici Praefecti iuraret fidemque et obedientiam sponderet Imperatori, vel, si detrectasset, custodiam et deportationem subiret, tribus sese verbis expedivit gravibus profecto et magnanimis « nec possum, nec debeo, nec volo» et continuo Placentiam, Bononiam, Forum Cornelii, dein in arcem Luci devectus ne Sanctae Ecclesiae iura nefario iureiurando vel minimum laederet, exilii et carceris aerumnas invicto quidem animo toto quadriennio toleravit. In libertatem restitutus ac Romam reversus, Deo ad maiora vocante, canonicatu se abdicavit ut animarum saluti vacaret impensius, et aliquot piis sacerdotibus sibi adsociatis ad sacras expeditiones et spirituales exercitationes anno Domini MDCCCXIV prima fundamenta iecit Congregationis presbyterorum saecularium quam a Pretioso Sanguine appellandam esse duxit. Tum Venerabili Dei Famulo perampla ac maxime laboriosa adsignata Provincia. Nam quemadmodum Christus Deus intuitus Petrum optimum illum Piscatorem hominum fore praevidit, ita redux a captivitate clar. me. Pius PP. VII Praedecessor Noster ubi primum convertit oculos in Venerabilem Dei Servum Gasparem percepisse videtur animo quae et quanta Deus per eum facturus esset, ideoque voluit ut directionem ac regimen Sacrarum Missionum, tristissima illa tempestate, ad innovandos mores atque excitandam pietatem in Pontificia Ditione habendarum ipse susciperet. Ingens erat messis, pauci pro illius amplitudine operarii, sed dicta audiens Gaspar exordiendis suae Congregationis alumnos sibi adiungit, Missiones ipsas quasi Congregationis fundamentum constituit, socios alteros quaerit et repperit, et Summi Pontificis mandatum promptus atque alacer implet. Seipsum praebens exemplum bonorum operum praecipue in pietate, humilitate

ac mortificationis et poenitentiae spiritu tamquam bonus Christi adiutor multorum operariorum animos gerens in Dei-gloriam et proximorum utilitatem viginti duos annos constantissime desudavit. Umbriam, Aemiliam, Picenum, Tusciam, Campaniam, Samnium, universas fere. Mediae Italiae regiones sacris expeditionibus lustravit nullis laboribus . parcens ; in habendis enim Missionibus illud sibi proposuerat nunquam sibi esse quiescendum, nullam valetudinis curam habendam, nullum otium, nullam neque corporis neque animi relaxationem sibi concedendam ubi de proximorum sempiterna salute ageretur,. Quare non difficultate itineris, non coeli inclementia, non periculis deterritus oppida, pagos, vicos pede adibat, apostolicae charitatis vestigiis ubique relictis. Nulla unquam laboris cessatio; modo conciones ad populum habet, modo pueris ac puellis christianam doctrinam tradit, modo coetus virorum ac mulierum separatim alloquitur, modo animum agentibus adsidet, modo aegrotos invisit, solatur animum, morbi molestiam humanissimis officiis lenit. Vere missus a Deo in Apostolatu apparuit, mira eius charitas in simultatibus et inimicitiis dirimendis eftulsit, concordiam et tranquillitatem ubique reduxit. Ipsi latrones ac nefarii sceleris sontes e nemorosis latibulis educti divini verbi praeçonis eloquentia tacti sese admissorum confessione expiabant ad bonam *fru*gem ultro redeuntes. Quocumque iter faceret pacem habebat comitem, ita ut merito angelus pacis appellatus sit et christianae pietatis in omni coetu excitator, vere salus populis extiterit. Et nostra haec ipsa Roma testis est flagrantissimae charitatis eius. Canonicus enim, ut supra diximus, ad Sancti Marci perinsignis illius Basilicae decori atque utilitati prospexit, tum adolescentium in gymnasiis atque orphanotrophiis degentium, tum pauperum in nocturnis hospitiis receptorum, tum etiam miserorum in custodiis publicis vinctorum spirituali emolumento ac solamini industrio studio consuluit. Haec inter quod sibi proposuerat, perfecit, sub titulo enim Pretio-

sissimi Sanguinis Christi Domini inchoatam a se Congregationem divina gratia repletas sapientibus regulis ita communivit, ut in praesens Ecclesia Sponsa Dei etiam hac nova familia ad uberrimum animarum fructum decorata effulgeat. Aliam institutionem valde perutilem sibi proposuit cum Mariae De Matthias consilium eidem petenti de divina vocatione eligenda Institutum Sororum sub eodem titulo Pretiosissimi Sanguinis erigendum clare praedixit et iniiinxit ad puellas in mysteriis fidei erudiendas et Societatis bonum instituendas. Habitum induendum descripsit, et quod pro regulari regimine oportebat praecepit, ideoque iure ac merito Instituti Pater ab ipsis reputatur. Talis cum esset Servus Dei longe lateque de ipso fama sanctitatis percrebuit quam coelestibus charismatibus splendidiorem Deus ipse reddidit. Et sane ubicumque vestigium posuit Venerabilis idem Dei Servus rerum faciem immutavit. Morum licentiam coercet, scandala etiam inveterata penitus extirpât, blasphemos homines ab impia consuetudine deterret, vitiorum invitamenta prohibet. Contra inducuntur boni mores: sacramentorum commendatur frequentia, piae sodalitates instituuntur: pietatis charitatisque christianae opera efflorescunt; denique demptis et evulsis in agro Dominico, cuiuscumque modi zizzaniis, fruges uberes effunduntur. Quare non plebi solum sed viris etiam dignitate ac virtute amplissimis carus aeque ac venerabilis fuit quos inter pluribus Romanae Ecclesiae Cardinalibus, et Summis quoque Pontificibus Pio VII ac Leoni XII rec. me. Praedecessoribus Nostris. Tandem Apostolatus sui nunquam intermissis laboribus fractus ad vitae exitum non imprudens pervenit, sed toleratis patienter morbi ingravescentis doloribus coelesti dape refectus, ceterisque Ecclesiae spiritualibus subsidiis munitus veluti dulci indulgens somno placidissimo exitu mortalem vitam cum coelesti gloria feliciter commutavit anno MDCCCXXXVII, aetatis suae quinquagesimo secundo, die xxvm decembris mensis quo sanctorum Martyrum Innocentium triumpho gau-

<±et Ecclesia. Cum pretiosa Sanctorum morte quievit tredecim extabant Congregationis quam condideràt Domus, et fama undique diffusa legiferi Paíaás ac isiaeerdötis sanctissimi post obitum illius vividior floruit. Funus quo Romae elatus est atque illa in Albanensi Civitate iterata curantibus Missionariorum Pretiosissimi Sanguinis familia, clero et populo iure gloriosum coelestibus etiam signis dici potuit. Biennio vix elapso de fama Sanctitatis Servi Dei inquiri coeptum est, atque peracto processu ordinario riteque exhibito penes Congregationem Sacris tuendis Ritibus praepositam causa introducta est. Probationibus autem iuridice sumptis ac perpensis rec. me. Decessor Noster Leo PP. XIII, xiv Kalendas Apriles anno MDCCCXC Venerabilis Dei Servi Gasparis del Bufalo virtutes heroicum attigisse fastigium solemni sanxit decreto. Inita est dein actio de- miraculis quae eo deprecante divinitus patrata ferebantur. Nosque per decretum editum quarto Kalendas Iunii volventis anni de duobus miraculis intercessione ipsius Venerabilis Dei Famuli a Deo patratis constare similiter suprema Nostra auctoritate declaravimus. Quum igitur de virtutibus et de duplici miraculo iam esset prolatum iudicium, illud supererat discutiendum num idem Venerabilis Dei Famulus inter Beatos Coelites tuto foret recensendus. Quod praestitit Dilectus Filius Noster Dominicus S. R. E. Presbyter Cardinalis Ferrata Causae Relator in generali Conventu coram Nobis in Vaticanis Aedibus decimoctavo Kalendas quintiles huius anni habito, omnesque tum Cardinales Sacris tuendis Ritibus praepositi tum qui aderant Patres Consultores unanimi suffragio affirmative responderunt. Nos vero iterandas esse Deo preces censuimus ut ad sententiam in tam gravi negotio ferendam coeleste auxilium Nobis cömpararemus. Octavo vero Kalendas Iulias vertentis anni die qui Natali faustissimo Ioannis Praecursoris festus elucet Nos Eucharistico prius litato Sacro adstantibus Cardinalibus Aloisio Tripepi Sacrorum Rituum Congregationi Pro-Praefecto et

praefato Dominico Ferrata Relatore, nec non Venerabili Fratre Diomede Panici Archiepiscopo Laodicensi eiusdem Congregationis Secretario, et Rev, P. Alexandro Verde S. Fidei Promotore Suprema Nostra auctoritate decrevimus tuto procedi posse ad sollemnem Venerabilis Dei Famuli Gasparis del Bufalo Beatificationem. Quae cum ita sint Nos moti precibus universae Congregationis Missionariorum et Sororum Pretiosissimi Sanguinis harum literarum vi facultatem facimus ut Venerabilis Dei Famulus Gaspar del Bufalo, Canonicus Basilicae S. Marci de Urbe et Institutor Congregationis Missionariorum Pretiosissimi Sanguinis, Beati nomine in posterum nuncupetur eiusque corpus et lipsana seu reliquiae, non tamen in solemnibus supplicationibus deferendae, publicae venerationi proponantur, atque imagines radiis decorentur. Praeterea eadem Apostolica Nostra auctoritate concedimus ut de illo recitetur Officium et Missa singulis annis de Communi Confessoris non Pontificis cum orationibus propriis a Nobis approbatis iuxta Rubricas Missalis et Breviarii Romani. Hanc vero Officii recitationem Missaeque celebrationem fieri dumtaxat concedimus in hac alma Urbe Nostra eiusque districtu atque in templis omnibus atque oratoriis quibus ubique terrarum utitur Congregatio Sacerdotum Missionariorum et praefatarum Sororum sub eodem titulo Pretiosissimi Sanguinis Domini Nostri Iesu Christi ab omnibus Christi fidelibus qui horas canonicas recitare teneantur et quod ad Missam attinet ab omnibus sacerdotibus tum saecularibus tum regularibus ad ecclesias in quibus festum agitur confitentibus servato decreto Sacrae Rituum Congregationis n. 3862 *Urbis et Orbis* die ix Decembris MDGCGXCV. Denique concedimus ut sollemnia Beatificationis Venerabilis Dei Famuli Gasparis del Bufalo in Urbe Nostra districtu eius ac supradictis templis celebrentur ad normam decreti seu instructionis Sacrae Rituum Congregationis die xvi Decembris MDCCCCII de triduo intra annum a Beatificatione sollemniter celebrando, quod quidem statis legitima auctoritate

diebus fieri, praecipimus intra annum postquam eadem sollemnia in Basilica Vaticana fuerint celebrata. Non obstantibus Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ac decretis de non cultu editis ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut harum litterarum exemplis etiam impressis, dummodo manu "Secretarii dictae Rituum Congregationis subscripta sint et sigillo Praefecti munita, eadem prorsus in disceptationibus etiam iudicialibus fides habeatur, quae Nostrae Voluntatis significationi hisce Uteris extensis haberetur.

Datum Romae apud S. Petrum sdb annulo Piscatoris die xxix Augusti MGMiv, Pontificatus Nostri anno secundo.

L. S. ALOIS. Card. MACCHI

# ACTA ROM. CONGREGATIONUM

## EX S. CONGR. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

### SAVONEN.

#### FUNERUM

**An designatio ecclesiae pro cadaveris absolutione importet electionem sepulturae.**

**Species facti.** Anno 1904 in propria paroecia Cathedrali Savönensi decessit Antonius Oxilla, qui testamento disposuit ut suum corpus ad ecclesiam N. D. de Consolatione pro sacerdotis absolutione et dein immediate äd coemeterium deferatur, hisce verbis: « *Ordino^ la più modesta forma di funerali alla mia salma e che la stessa, chiusa in semplice cassa di abete, venga trasportata in carro di infima classe, senza fiori di sorta, nella chiesa di N. S. della Consolazione per avere l'assoluzione del sacerdote e di là immediatamente al camposanto* ».

Haeredes defuncti praescripserunt ut in dicta ecclesia, a Patribus S. Augustini custodita, funeralia celebrarentur. Et ipsi Augustiniani, censentes testatorem ibidem propriam elegisse sepulturam, absque parochi Cathedralis interventu funus et exequias peregerunt, et ad coemeterium cadaver associarunt. Deinde parocho quartam funerariam obtulerunt, quam ipse, ne suis iuribus praeiudicaret, recusavit. Capitulum autem Cathedrale postquam votum Religiosis contrarium emiserit, ad H. S. C. recursum interposuit.

**Rationes Capituli.** Canonici sustinent demortuurn in ecclesia Cathedrali, tamquam in propria paroecia, sepeliendum esse, quum non constet de eiusdem sepultura gentilitia aut electiva in ecclesia de Consolatione. Testamentum enim loquitur dumtaxat de cadaveris absolutione, non autem de sepultura in dicta ecclesia peragenda. Quod confirmant tum ex iurata depositione cuiusdam defuncti famulae, tum ex consuetudine Savonen. inducta deferendi corpora eorum, pro quibus non persolvuntur funerälia, ad ecclesiam de Consolatione, loco dissitae Cathedralis, pro absolutione et deinde ad coemeterium.

Parentes vero aut haeredes eligere nequeunt sepulturam defuncti, uti decrevit S. C. Concilii, quae proposito dubio : « An parentibus et haeredibus ius sit eligendi proprio arbitrio ecclesiam pro funere suorum defunctorum », respondit: « Negative » (i). Caeterum, concludunt ipsi, titulum ex quo oritur ius funerandi et percipiendi emolumenta iuridice constare debet; quod non verificatur in casu> ac proinde laedi nequit ius parochiale, quia iuxta regulam iuris 65 in 6°: *potior est conditio possidentis.*

**Rationes Augustinianorum.** Hi contendunt testatorem, quum eorum ecclesiam pro absolutione designasset, eo ipso eam pro sepultura eligere intendit; ideoque ad ipsos pertinet

(i) Haec decisio est in una *Fanen.* seu *Minorum Conventualium* mense Ianuario 1870, prout refertur in *Actis S. Sedis,* vol. 11, p. 35o *(N. R.).*

ius funera celebrandi. Hoc probare nituntur, sive quia testator vir religiosus erat et Augustinianis optime affectus, sive quia haeredes, edocti de voluntate defuncti, praesente cadavere funeralia disposuerunt, sive quia congruit depositio novem testium, sive demum quia ex iure canonico ecclesia, quae associationem et absolutionem peragit, etiam ad funera, tamquam ad accessorium, ius habet. Cfr. BargiHiat *(Prael. iuris can., tom. 2, tract.* 7, *cap.* **5,** *art. j).* Consuetudo praeterea a Capitulo allata, quamvis uti talis non admittatur a Religiosis, respicit tantum pauperes, qui funera in Cathedrali habere nequeunt; in themate autem defunctus est dives.

**Dubia.** I. *Se consta della elezione della sepultura nel caso.*

II. *Se il Rev. Padre Priore ha violati i diritti parocchiali nel caso* **(1).**

**Resolutio.** S. C. Episcoporum et Regularium, re mature perpensa, die 29 Iulii 1904 rescripsit: *Ad I. Affirmative. Ad II. Negative.*

## Colliges

i°. Electio sepulturae ita exclusive respicit defuncti personam, ut proprio arbitrio a parentibus vel haeredibus fieri nequeat.

2°. Electio tamen sepulturae, utpote factum, rigorosam exigit probationem, eo vel magis quod vergat in praeiudicium sepulturae parochialis aut gentilitiae.

3°. Inter praecipuas probationes recensentur testamentum vel duorum saltem testium depositio (2).

4°. In casu testamentum defuncti a pluribus testibus aliisque adminiculis eo sensu interpretatur, ut designatio ecclesiae pro absolutione importet etiam sepulturae electionem.

**(1) Latine: I.** ***An constet de electione sepulturae in casu.*** **II.** ***An Rev. P. Prior iura parochialia violaverit in casu (N. R.).***

(2) **Cfr. Resolutiones S. C. C. diei i** 3 **Febr.** 1666, **et in** ***Tudertina-electionis sepulturae*** 28 **Maii** 1721, **relatae a Ferraris** ***(Bibl. can.,*** **v. Sepultura,** ***nn.*** *110, 114* ***et*** *2Ô3),* **necnon Bulla** ***Pretiosus*** **Benedicti XIII, §** ***4S,*** **a.** 1727 ***(N. R.).***

# EX S. CONGREGATIONE CONCILII

## MEDIOLANEN.

### QUOAD CONCURSUS PAROECIALES

**Conceditur ad triennium gratia conferendi, absque novo concursu, paroecias iis sacerdotibus, qui idonei habiti sunt in concursu generali aut in examine privato.**

**Species facti.** Emus Archiepiscopus H. S. C. exposuit:

« In Archidioecesi Mediolanen, concursus ad beneficia curata vacantia ter quaterve in anno habentur, valde frequentes sive propter numerum beneficiorum quae in concursum inscribuntur, sive propter numerum sacerdotum qui periculum subire intendunt. Attamen in singulis fere concursibus aliquot beneficiorum curatorum provisio fieri nequit, sive quod sacerdotes concurrentes nomen non dederunt ad dicta beneficia, sive quod, ut aliquando accidit, illi qui idonei in concursu habiti et ad beneficia nominati sunt, ob diversas rationes canonicam institutionem non acceptant. E contra nonnulli e sacerdotibus concurrentibus, licet idonei ad curam animarum in concursu probati sint, nullum tamen beneficium consequuntur, sive quod numerus concurrentium numerum excedit beneficiorum, sive quod singuli concurrentes non ad omnia beneficia vacantia, sed ad aliqua determinata eorum nomen dant.

« Quapropter praefatus Orator, ut nimis diuturnae vacationi beneficiorum curatorum, e qua fere semper paroeciae spirituale detrimentum capiunt, occurrere queat, humillime petit facultatem: 1°. Providendi beneficiis curatis, quae post concursum vacantia manent, sive sine novo examine per illos sacerdotes, qui in ipso concursu idonei habiti sunt ad curam animarum quin beneficia, quae appetiverant, sint consecuti; sive per alios sacerdotes, qui extra concursum idonei ad curam animarum probentur per periculum oretenus subeundum coram tribus examinatoribus synodalibus; 2°. Conferendi item

sine novo concursu et examine iis sacerdotibus, qui in ultimo concursu habiti sunt idonei ad curam animarum, quin tamen ullum beneficium sint consecuti, beneficia curata, quae per ipsum concursum vacant, id est propter nominationem et promotionem titularium dictorum beneficiorum ad alia beneficia curata ».

Uti per se patet petitio Emi Archiepiscopi triplicem casum complectitur: i°. Est de conferendo absque novo concursu paroecias post concursum generalem adhuc vacantes iis sacerdotibus qui in eodem concursu renunciati quidem fuerunt habiles, sed forte paroeciam pro qua nomen dederunt, consequi non potuerint; **2°.** De conferendo istas paroecias sacerdotibus, quorum habilitas tantum per praevium orale examen coram tribus examinatoribus synodalibus constet; 3°. Tandem de collatione absque novo concursu paroeciarum vacatarum per promotionem suorum titularium ad alia beneficia curata, iis presbyteris, qui in ultimo concursu idonei declarati fuerunt, sed beneficia obtinere non potuerunt.

**Animadversiones.** Enarrata praxis videtur contraria dispositioni Concilii Trid. *(Sess. 24, cap. 18 de Reform.) ;* iuxta quam, eveniente vacatione paroeciae, quamprimum Episcopus debet indicere per publica edicta concursum adprovidendam ecclesiam viduatam de novo rectore. At concursus in themate non fit singulis vacationis casibus, sed conglobatio et determinatis anni temporibus. Hoc profecto videtur redundare in spirituale damnum animarum. Hinc est quod non solum Conc. Trid., sed etiam Pius V in Const. *In conferendis,* Clemens XI per literas circulares *Quo parochiales* editas die io Ian. **1721** per organum H. S. Ci, et Benedictus XIV in Const. *Cum illud,* normas practicas et tutas statuerunt in concursibus habendis pro unaquaque vacante paroecia.

Quae ratio providendi paroecias per huiusmodi formas concursus eo etiam magis reprobanda videtur, quia concurrentes inhiant semper ad meliores paroecias, ita ut aliae te-

nuioris reditus diuturnam patiantur vacationem cum non parvo animarum dispendio. Insuper haec ratio habendi concursus tantum quoad doctrinam, pugnat cum citata Const. *Cum illud,* quae vult fieri cumulativum iudicium super doctrina et requisitis candidatorum ad paroecias.

At ex adverso observari potest quod, quamvis lex Tridentina de paroeciarum provisione per concursus fere ubique sit in viridi observantia, tamen quoad formam practicam hos habendi quaedam immutatio praesertim in Germania, in Hispania et in Austria inolere coepit ex dispensatione Apostolica, uti testantur De Angelis *(Prael. can., lib. ß, tit. j)* et Vecchiotti *(Inst. can., vol. i, lib. 2, § 8j),* qui ita refert: « Cum praescripta forma in quibusdam dioecesibus servari facile nequeat, ex Sedis Apostolicae indulto factum .est, ut examini scientiae, statis anni temporibus, omnes clerici subiiciantur ita ut qui ingenio praestant, animarum curae praeficiantur; quin imo a nonnullis valde exoptare audivi, ut concursus lex aliquantulum immutetur, vel saltem ut facultas detur Synodis provincialibus eam locorum ac temporum necessitatibus accommodandi ». Qui modus obtemperandi legi concursus, praeterquamquod est valde antiquus, ut testatur De Angelis *(I. c),* et exigitur a multiplicitate beneficiorum parochialium, videtur fundamentum habere in ultimis verbis citati capitis Conc. Trid.: « Licebit etiam in Synodo provinciali, si qua in supradictis circa examinationis formam addenda remittendave esse censuerit, providere ».

In themate autem circa generales concursus paroeciales in dioecesi Mediolanensi haberi solitos, forte dici posset non apparere, utrum hi concursus sint tantum quoad scientiam vel etiam cumulative quoad alia requisita, uti fieri praescribit Const. Benedictina. At etiam posito primo casu ista praxis ex Apostolico indulto ad tempus limitatum solet approbari, uti refertur in Instructione S. C. de Propaganda Fide diei io Oct. 1884: «Viget nihilominus in aliquibus dioecesibus

consuetudo examen de doctrina separandi ab examine de reliquis canonicis requisitis, et hoc ad ipsum pro vacante paroecia concursum remisso, examen de scientia alio magis opportuno tempore instituendi. Quamobrem generatim bis in anno examen habetur de scientia, in quo qui adprobati fuerint, ad quodcumque parochiale beneficium intra sex proximos sequentes annos vacaturum concurrendi ius habent, sed exeunte sexennio, examini se denuo sistere tenentur si beneficium parochiale obtinere velint. A lege autem subeundi hoc novum, exacto sexennio, examen ab Episcopo, audita Examinatorum sententia, dispensan possunt qui inter synodales vel pro-synodales Examinatores sunt assumpti, aut qui propter muneris vel beneficii quo fruuntur dignitatem, vel propter diuturnam operam qua Ecclesiae cum laude servierunt, scientiae testimonium abunde praestant... Haec porro praxis ab Apostolica Sede approbari solet ad tempus ». Et revera S. C. super Neg. Eccl. Extraordinariis hoc indultum a. 1857 concessit ad decennium pro dioecesi Vindobonensi; item H. S. C. similia indulta concessit aut prorogavit, uti constat ex *Tergestina* a: 1898, et ex *Labacen.*, *Moguntina* et *Viennen,* a. 1901, etc.

Quo stante nihil profecto obstare videtur quominus E ini Archiepiscopi petitio exaudiatur. Qui enim proponuntur presbyteri ad regendas paroecias in primo et tertio casu iam uti habiles ex facto experimento comprobantur. Qui vero in secundo casu, idoneitatis specimen dabunt per examen coram Examinatoribus synodalibus* antequam paroeciam obtineant. Difficultas in eo tantum esset, quod novo concursui beneficium non exponeretur; dum ex resolutione S. H. C. in *Vicentina* 4 Martii 1592, Episcopus libere providere potest paroecias quae semel et iterum, non autem quae semel tantum, concursui subiecit (i). Verum dispensationes in huiusmodi

(i) Praxis S. C. Goncilii est ut, si in primo concursu nullus concurrens vel nullus idoneus comparuerit, novus indicatur concursus; quo iterum frustra ten-

casibus non sunt valde infrequentes apud H. S. C, praesertim quando reditus paroeciae providendae sunt tenues. Quod etiam respondet dispositioni dicti capitis Trid. in finem, quod ita se habet: « Si tamen adeo exigui reditus dictae parochialis fuerint, ut totius huius examinationis operam non ferant, aut

tato, Episcopus utatur iure suo, libere nempe conferendo paroeciam sacerdoti sibi beneviso, praevio tamen privato examine. Quae praxis innititur declarationibus eiusdem* S. C, quae ita referuntur a Garcia *(De benef., part. /), cap. 2, nn. 218-220)* : « Si Episcopus semel edictum proposuit per concursum, et ex multis examinatis nullus repertus sit idoneus, licet Concilium *(Tridentinum)* non videatur necessario requirere edictum per concursum *(sicut nec Const. Benedictina* Cum illud), fuit tamen *tutius iudicatum aliud edictum proponi,* ut supra, et si nemo comparuerit idoneus, tunc alicui praevio examine sine concursu beneficium conferetur ». Et congruenter eadem S. C. in supra citata *Vicentina* rescripsit: « Vacante aliqua parochiali ecclesia, si intra terminum edicti unus solum comparuerit, et nolit se examini subiicere, nec parochialem curet obtinere, censuerunt Illmi Patres, qui Tridentini Concilii decretis interpretandis SSmi D. N. auctoritate praefecti sunt, ab Amplitudine tua *assignandum esse aliud edictum, rursusque vocandos oppositores* ». Unde nonnisi quum beneficii reditus sunt tenues, cuius fructus 24 ducatos auri dé Camera nempe libellas 250 circiter non excedunt, si proposito primo edicto examinis per concursum nemo comparuerit, eadem S. C. in *Vercellen,* mandavit ut: « fiat secundum edictum examinis sed sine concursu, si Episcopus pro sua conscientia cum deputatorum consilio ita expedire arbitrabitur ». Quinimo ex Conc. Trid. nec primus concursus est necessarius, « si reditus paroeciae *adeo* tenues fuerint, ut totius huius examinis operam non terant, aut nemo sit, qui se examini quaerat subiicere ».

Ex hucusque dictis apparet necessitas in genere secundi concursus, qui proinde de consilio tantum, uti aliqui contendunt, dici nequit. Nec in contrarium obiici potest, sicut revera obiicitur, decisio H. S. C. in *Ripana* diei 7 Martii 1885 (Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 17, pag. 590-597), in qua duas ob àlias causas sacerdos appellans in suis precibus exauditus non fuit; tum quia erat indignus, ideoque ab Episcopo etiam ante concursus periculum refici poterat, tum quia praeterlapsis decem dierum fatalibus appellavit. Demum auctores omnes, quos consulere potuimus, nostrae thesi favent; ita e. g. citatus Garcías, Massobrius *(Praxis can., requis. 3, dub. g),* Barbosa *(De Episcopo, part. 3, alleg. 60, n. 3g; De parocho, part. i, cap. 2, n. 5l ; et ad Conc. Trid., sess. 24, cap. 18, nn. 74 et j5),* Leurenius *(Forum benef., part. i, quaest. i85, ad 4 et 5),* Ferraris *(Bibl. can., v.* Concursus, *art. 3, n. 22),* Scavini *(Theol. mor. univ., vol. 3, pag. 6i5),* Aichner *(Comp, iuris eccl., ed. g, pag. 3o2)* Ojetti *(Synopsis, v.* Concursus, *pag. 416),* etc. *(N. R.).*

nemo sit qui se examini quaerat subiicere... poterit Ordinarius si pro sua conscientia cum deputatorum consilio ita expedire arbitrabitur, hac forma omissa, privatum aliud examen.... adhibere ». Caeterum recolere oportet quod huius et aliorum consimilium casuum ratio potissima et unica pro elargienda dispensatione a lege Tridentina debet esse utilitas et necessitas ecclesiae providendae.

**Resolutio.** Quare S. C. Concilii, dictis petitionibus sedulo perpensis, die 17 Decembris 1904 respondit: *Pro gratia ad triennium, facto verbo cum SSmo.*

## Colliges

i°. Iuxta praescriptum Conc. Trid. ac Const. Benedictinae examen per concursum tam super doctrina quam super ceteris recurrentium requisitis habendum est cum vacatio cuiusvis paroeciae contigerit.

2°. Tamen huic legi Tridentinae ob temperatur etiam per concursus generales, in quibus idonei sacerdotes ad curam animarum renilntiantur (i).

3°. At huiusmodi generales concursus, absque speciali S. Sedis indulto, indici nequeunt pro paroeciis nondum vacantibus tempore concursus.

4°. Sedes Apostolica indultum concedere etiam solet examen generale de scientia separandi ab examine de aliis canonicis requisitis in effectiva paroeciae provisione peragendo.

5°. In casu triplex facultas conceditur Archiepiscopo Mediolanensi, providendi nempe, absque novo concursu, ecclesias parochiales tempore concursus generalis vacantes, tum

(1) Hoc declaravit S. C. C. in *Caietana,* 20 Iulii 1889, ubi proposito dubio: « An possit Episcopus ad'providendum pluribus paroeciis unicum concursum collective indicere et servatis servandis celebrare, sibi vel cui de iure reservans eas distribuere et conferre inter concurrentes ab examinatoribus in concursu adprobatos, qui magis idonei pro unaquaque paroecia iudicentur », respondit: « Nihil obstare » *(N. R.).*

per sacerdotes in eodem concursu idoneos renuntiatus, tum per alios extra concursum habiles repertas, necnon providendi paroecias nondum vacantes tempore dicti concursus per sacerdotes, quorum habilitas in concursu apparuit

## THERMULARUM

### PROVENTUUM

**Episcopus in canonica visitatione ecclesiam receptitiam ad ius commune revocare valet.**

**Species facti.** In oppido *Castelmauro,* dioeceseos Thermularum, extat ecclesia Collegiata receptitia sub titulo S. Leonardi, archipresbytero et nonnullis participantibus constans. Statuta Capitularia a. 1715 confecta et ab Episcopo tunc temporis approbata firmant officium participantium coadiuvandi parochum in exercitio curae animarum, ac statuunt archipresbyterum portionem cum ipsis aequalem in oblationibus aliisque incertis proventibus ferre, exceptis dumtaxat funeribus praesente cadavere, in quibus ipse augmentum unius fere libellae perciperet. Res pacifice processerunt usque ad a. 1900, quo vertente actualis Episcopus hanc Collegiatae praxim revocare ad ius commune in ecclesiis receptitiis Italiae meridionalis vigens decrevit, et in S. Visitatione decretum emisit, in quo obligationes participantium confirmavit et insuper statuit: 1°. Archipresbytero spectare duplam portionem tum in funeribus praesente cadavere tum in Processionibus Sanctorum; 2°. Responsorium *Libera* et psalmum *De profundis* a participantibus requisitis extra ecclesiam et coemeterium canenda esse. Quae Episcopi dispositio non arrisit eiusdem ecclesiae participant Aloisio Lalli, qui privata ratione, utpote Capituli mandato destitutus, recursum exhibuit ad H. S. C. petens praefatos articulos ut irritos et suorum iurium laesivos declarari.

**Deductiones participantis.** Patronus sacerdotis Lalli duplam portionem archipresbytero statutam nullimode admittendam esse censet Id primo evincere satagit ex eo quod participantes sunt veri concurati seu exercentes cumulative cum archipresbytero curam animarum, quum ipsis cohaereant iura ac officia parochorum propria, uti ea recenset Sebastianelli *(De personis, pag. ß20).* Tenentur enim ex Statutis Capitularibus Missam pro populo quotidie per turnum celebrare, coadiuvare archipresbyterum in sacramentorum administratione, in adsistentia infirmorum, in praedicatione verbi Dei et in catechetica instructione; necnon ius habent una simul cum archipresbytero ad dimidiam decimarum partem, et ad omnes oblationes in solemnitatibus fieri solitas. Eo vel magis quod antiquitus cura animarum a participantibus per hebdomadam turnatim gerebatur ; progressu vero temporis ea principaliter archipresbytero concredita quidem fuit, sed tantum pro expeditiore paroeciae regimine; Hinc, arguit advocatus, merito in Statutis sancitum est archipresbyterum ferre debere aequalem portionem in proventibus incertis una cum participantibus. Quod si Statuta in funeribus ei addunt augmentum unius libellae, id fieri dicit tantum in signum honoris et obsequii.

Praeterea in casu invocari nequeunt, iuxta patronum, regulae generales editae pro aliis ecclesiis receptitiis regni Neapolitani, quia ecclesia S. Leonardi regitur particularibus Statutis et consuetudinibus episcopali sanctione munitis, quae proinde constituunt ius particulare nec per legem Concordati a. r818 abrogata fuerunt.

Gradum deinde facit orator ad consuetudinem, cuius existentiam ipse probare nititur, sive a priori, nempe ex ipso decreto Episcòpi a. 1900, quod certe necessarium non fuisset, si usque id temporis consuetudo non extitisset; sive a posteriori videlicet ex quodam punctaturârum schemate, ex quo scatet archipresbytero in proventibus incertis eamdem

portionem ac aliis participantibus fuisse assignatam. Neque notare omittit hodiernum archipresbyterum, iam a 14 annis parochum in ecclesia S. Leonardi, huic vetustae consuetudini usque ad a. 1900 acquievisse. Accedit quod archipresbyter congrua fruitur libell. 1000 non computatis incertis utriusque stolae, dum participantes tenues reditus habent.

Demum advocatus impugnat dispositionem Episcopi circa cantum *De profundis* et *Libera;* sive quia cum participantes sint veri concurati, iisdem iuribus ac privilegiis frui debent ac archipresbyter; sive quia praefata dispositio sese opponit Statutis Capitularibus et consuetudini; sive quia loci determinatio et restrictio non nititur plausibili ratione.

**Deductiones archipresbyteri.** Hic prae primis refellere conatur argumenta ex adverso allata. Sane neque ipsa pars adversa denegat quod animarum cura principaliter in ipso archipresbytero resideat, ac proinde ad tramitem Statutorum Capitularium dicendum est participantes esse potius coadiutores parochi. Missa quotidiana pro populo a Statutis Capitulo imposita forsan est illa, quam singula Capitula tenentur quotidie offerre pro benefactoribus in genere, non autem Missa parochialis, quae non egreditur dominicos et festos dies.

Praeterea Statuta Capitularia non huiusmodi sunt naturae, ut numquam ab Ordinario ex iustis rationibus immutari possint praesertim in sacra perlustratone dioecesis, in qua a Conc. Trid. *(Sess. 24, cap. j de Reform.)* Ordinariis tamquam Sedis Apostolicae delegatis in spirituale bonum animarum dantur speciales facultates. Unde est quod Crispinus *(Visita Pastorale, part. 2, § 29, n. i)* postquam docuit quod Episcopus possit corrigere quod est contra ius commune, loquens de Statutis ecclesiarum ait: «Se poi negli Statuti si debba alcuna cosa riformare ciò si rimette alla dottrina ed alla prudenza del buon Vescovo e dei suoi Visitatori o di altri suoi consultori » ; et rem firmat decisione H. S. C. in *Oseen.* 27

Febr. 1607 in qua, Capitulo dictam facultatem refragranti in Episcopo, S. C. respondit: «Posse Amplitudinem tuam cogere Capitulum ad exhibenda Statuta ecclesiae, quorum inspiciendorum conqueritur numquam tibi factam esse potestatem ». Neque in hisce Statutis reformandis tempore S. Visitationis requiri videtur, ut in aliis negotiis gravioris momenti, consensus Capituli Cathedralis, quia ut habet Barbosa *(De can. et dignit., cap, ult., n. 14) :* « in his, in quibus Episcopus procedit vigore Conc. Trid., uti Sedis Apostolicae delegatus, nullam habet communionem cum Capitulo... ».

Neque tertio videtur posse admitti consuetudo ex adverso allegata. Consuetudo enim ut tenent omnes doctores una cum Card. De Luca *(Disc, ßß de feudis, n. 4)* ab allegante est probanda. Atqui in themate non potest dici sufficienter probata. Nam ex regio decreto diei 3 Dec. 1.81.2. Gubernii Neapolitani, occasione- suppressionis 8 canonicatuum in ecclesia S. Leonardi, eiusdem archipresbytero assignata fuit dupla portio; hinc consuetudo dici potest interrupta. Folium punctaturarum a. 1848 et factum acquiescentiae hodierni archipresbyteri explicari possunt conniventia archipresbyterorum, quae obesse non potest successoribus, utpote iure proprio venientibus ad regimen parochiale.

Hisce remotis difficultatibus, archipresbyter demonstrandum aggreditur, quod controversa dupla portio in funereis associationibus ei assignata fuit ex iure communi moderante ecclesias receptitias post Concordatum a. 1818, uti facile patet legenti decreta ministeralia a. 1822, 1827 et 1830. Itaque episcopale decretum nullius ius violavit sed paruit enunciatis dispositionibus. Quod si haec dupla portio archipresbytero concessa fuit etiam in sacris Processionibus, non ideo increpandus videtur Episcopus, cum hic duplae portionis mos in functionibus non funerariis vigeat in pluribus ecclesiis receptitiis, uti recenter visum est in una *Baren.-Iurium* 23

Ian. 1904 ab H. S. C. diiudicata (i); necnon fulciatur iure particulari ecclesiae S. Leonardi iuxta citatum decretum ministeriale 3 Dec. 1812.

Aliquid addendum foret circa praescriptionem in cantu *Dè profundis* et *Libera;* sed quia haec res tota pendet a variis locorum et temporum circumstantiis, est materia prudenti Ordinarii arbitrio commissa. Demum archipresbyter, observât propriam congruam curatam non attingere summam a Concordato statutam.

**Resolutio.** S. C. Concilii, omnibus perpensis, die 16 Iulii 1904 rescripsit: *Decretum sustineri, et ad mentem.*

Mens autem, Episcopo communicata, ita erat expressa: «Sebbene la S. C. abbia con risoluzione di questo giorno confermato il decreto della S. V. Riha a favore del parroco di Castelmauro, é tuttavia mente degli Emi Padri che Ella moderi l'applicazione quanto alla prima parte, nel punto che tocca la doppia del parroco, esortando questi ad accontentarsi di ciò che percepisce attualmente, finché vive il sac. Lalli, soddisfatto di aver salvaguardato in massima e per l'avvenire il suo buon diritto. La ragione di questa raccomandazione sta principalmente in ciò che il sac. Lalli è da molto tempo in possesso del piccolo emolumento che gliene viene dal non concedere la doppia all'arciprete, e vi è entrato con queste condizioni. Sembra quindi equo ed espediente, anche per non suscitare lamenti da parte di questo sacerdote, che il parroco sia* con lui condiscendente ».

At haec mens non arrisit archipresbytero, qui postulavit ut H. S. C. quaestionem iterum ad trutinam revocaret.

**Novae deductiones archipresbyteri.** Mens enim S. C, ait ipse, eo nititur supposito, quod sacerdos Lálli aetate antecedat oratorem et quod sit a pluribus annis in quasi possessione percipiendi suae participationis proventum, quinimo

(i) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 36, p. 680-689.

sub tali conditione inter participantes fuerit - adscriptus. Sed archipresbyter praemittit schema aetatis, ex quo apparet ipsum inter suos confratres praecellere sive tempore adscriptionis, sive aetate, quae in sac. Lalli 26 annorum minor est. Nec adversario suffragari valet quod ipse ad participationem fuit admissus absque onere concurrendi ad = duplae solutionem ; haec enim obligatio participationibus adhaeret, sicuti- onera affixa proprietatem vel haereditatem gravant, etiamsi qui illas consequantur, onera ignorent. Neque item ipse perfugium quaerere potest in longa quasi possessione participationem percipiendi absque- imminutione ; quia semper in mala fide exstitit.

Demum archipresbyter demonstrat, Episcopo comprobante, participantem Lalli percipere libell. 1000, et e contra ipsum, uti parochum, habere congruam nitidam libell. 311,60 cum adnexa cura 5200 animarum.

**Resolutio.** S. C. Concilii, instante procuratore sacerdotis Lalli pro causae comperendinatione, die 19 Nov. 1904 benigne annuit rescribendo: *Dilata.*

Cum autem idem procurator, quamvis admonitus, ulteriores rationes non adduxisset, perpensis iam allatis argumentis, eadem S. C. die 27 Dec', dicti anni rescripsit: *In **decisis quoad omnia et ampliuSi***

## Colliges

i °. Quando Episcopus procedit iure ordinario in Statutis Capitularibus reformandis, uti in aliis negotiis gravioris momenti, requirere tenetur consilium vel consensum Capituli.

2°. At quum agit tamquam Sedis Apostolicae delegatus, quemadmodum in pastorali dioecesis visitatione, peculiaribus gaudet facultatibus a Conc. Trid. concessis.

3°. Tunc enim, absque Capituli interventu, corrigere valet etiam Statuta Capitularia contra ius commune pugnantia,

aliaque statuere quae ad spirituale animarum bonum et ad rectam cleri disciplinam conferunt.

4°. Ecclesiae receptitiae regni Neapolitani moderantur a Concordato a. 1818 et a Bulla *Impensa* Pii VII, necnon a subsequentibus ordinationibus.

5°. Huiusmodi commune ius assignat parocho duplam portionem in funereis associationibus praesente cadavere ; quae tamen vi existentis consuetudinis ad alias quoque functiones non funerarias extendi valet.

6°. Demum mens S. Congregationis, attentis peculiaribus circumstantiis, sententiae applicationem ex parte et ad tempus moderatur.

## FANEN.

### IURIUM

**Ecclesia antea parochialis et dein Regularibus conditionate concessa, durante ipsorum coacta absentia, a parocho in omnibus pendet.**

Extra muros oppidi *Cartoceto,* dioecesis Fanen., extat ecclesia SS. AA. Petri et Pauli, quae antiquitus erat parochialis; sed initio saeculi xvii, pro maiori fidelium commodo, paroecia translata fuit, de Ordinarii licentia, in alteram intra oppidum ecclesiam sub titulo B. M. V. de Misericordia, quae postea in Collegiatam erecta est. Interim praefata ecclesia SS. Petri et Pauli, praevio Apostolico indulto, a parocho pro tempore cessa fuit Ordini Fratrum Minorum: « ad effectum inibi erigendi Conventum pro iisdem Fratribus, reservato tamen sibi *(parocho)* eiusque successoribus in perpetuum titulo parochialis ecclesiae, cum omnibus eius possessionibus, terris, bonis ac fructibus, decimis et emolumentis universis ; ac cum hoc etiam quod semper retento usu sacramentorum et exercitio curae animarum in praedicta ecclesia S. M. de Misericordia nuncupata, praedicta parochialis ecclesia SS. Petri et Pauli AA. dictis Fratribus ut praefertur concessa, in

qua possessio primo loco et deinde in ipsa ecclesia S. M. de Misericordia a pro tempore existente rectore semper hucusque fuit capta, cum titulo Plebis seu Plebaniae remanere deberet, et in ea quoque Plebanus pro tempore existens absque alicuius impedimento semper quatuor actiones exercere valeret: primo scilicet quod Communio saecularium utriusque sexus in die Resurrectionis Dominicae et in Feria V in Coena Domini inibi fieri deberet; secundo distributio et sumptus candelarum in festo Purificationis B. M. V.; tertio celebratio Missae cantatae et Processio in die festivitatis Sancti Marci E.; quarto quod exequiae et quarta funeralis omnium Christifidelium defunctorum, qui in dicta parochiali ecclesia SS. Petri et Pauli AA. sepelirentur per dictos Fratres absque ulla contradictione eidem Plebano consignan deberent ». Insuper, ne veteris paroeciae memoria obliteretur et etiam grati animi ergo, dictis Religiosis impositum fuit onus annuae solutionis unius librae cerae elaboratae favore parochi et Ordinarii.

Hae conditiones integre servatae fuerunt a Regularibus usque ad **a.** 1871, in quo ipsi ob leges italicas Ordinum religiosorum eversivas relinquere coacti sunt ecclesiam et coenobium, quod a Gubernio concessum fuit Municipio pro coemeterii constructione. Ex eo tempore in ecclesia SS. Petri et Pauli deputari coepit rectorem seu custodem, qui etiam munere capellani coemeterii fungebatur. Non constat num archidiaconus parochus Collegiatae vel Curia dioecesana hos capellanos nominaverit; tamen duo ultimi a Curia designati fuerunt. Res pacifice processerunt usque ad a. 1889, in quo ad praecidenda exorta dissidia inter parochum et capellanum quaedam temporanea transactio inita fuit, quae a. 1898 per aliam moderata fuit ab actuali parocho Paganucci et capellano Della Santa peractam. Sed cum a. 1902 hic declarasset novam hanc conventionem non amplius servare velle, parochus etiam alterae concordiae nuntium misit, et ad H. S. C. recursum habuit.

**Allegationes parochi.** Ipse sua iura deducit ex tenore cessionis a parocho tunc temporis factae Fratribus Minoribus, ex quo comperitur, quod cessio usus ecclesiae fuit exclusive in favorem Religiosorum, « ad effectum inibi erigendi Conventum pro iisdem Fratribus »: atqui ipsi licet vi maiori compulsi unam et alterum reliquerunt; hinc eius usus sponte sua ad parochum rediit. Praeterea, fatente ipso Episcopo, per factam paroeciae translationem parochus tunc temporis non intendit nuncium mittere omnibus iuribus super relicta ecclesia; voluit enim hanc sibi reservatam uti comparochialem cum eodem titulo plebanali, et cum facultate in ea sumendi primam possessionem, necnon nonnullas parochiales functiones libere exercendi, etc. Neque urgeatur haec iura reservata non constituere proprie parochialitatem, sed esse tantum mera privilegia: quandoquidem in *Fanen.-Visitationis,* 24 Augusti 1660, Religiosis contendentibus Ordinarium dictam ecclesiam visitare non posse, ab H. S. C. rescriptum fuit, Episcopum manutenendum esse in quasi possesione eam visitandi in concernentibus curam animarum.

Hinc, cum ecclesia totaliter a parocho dependeat, ipse solus valet in ea capellanum statuere, praevia Ordinarii approbatione super eius idoneitate. Hic autem capellanus, cum a Municipio stipendium assignatum habeat sive uti ecclesiae rector sive uti coemeterii custos, eo contentus manere debet, neque praetendere valet emolumenta funeraria nec ius habet ad statuendas functiones. Quinimo, si incerta funeraria capellano tribuantur, maximum parocho damnum infertur, quum in ecclesia SS. Petri et Pauli, utpote adiacenti coemeterio et commodiori pro cadaverum delatione, plura funera a fidelibus persolvantur. Eo vel magis quod, dum Religiosi parochum coadiuvabant, actualis capellanus hoc munus semper declinavit, quamvis sibi a Municipio impositum fuerit.

Verum quia ex adverso sacerdos Della Santa opponit capellanorum nominationem factam semper ab Ordinario fuisse,

parochus reponit quod, contra has nominationes et praesertim postremi capellani, suus praedecessor protestationem emisit. Accedit testimonium Archiepiscopi Urbinatensis Vampa, qui fuit parochus in oppido *Cartoceto,* necnon duorum canonicorum Collegiatae, qui non solum fidem faciunt de praestita opera in exercitio curae animarum a Religiosis et a praecedenti capellano, sed etiam edicunt dictam ecclesiam semper uti- comparochialem Collegiatae habitam fuisse.

**Allegationes capellani.** In primis negat usum ecclesiae SS. Petri et Pauli exclusive fuisse Religiosis concessum ; quia in precibus S. Sedi porrectis a parocho occasione dictae cessionis admittitur casus, in quo, abeuntibus Religiosis, alii in ecclesiae possessionem succedere possint, uti de facto successerunt capellani ab Episcopo deputati. Eodem calculo capellanus censet habendum esse alterum argumentum comparochialitatis ; parochiálitas enim non praesumitur, uti tenuit Rota *(Pee, 2j8, n. j, p. i in recent.).* Ex facto autem quod in dicta ecclesia nonnullae functiones parochiales exercitae sunt vel sacramenta sunt administrata deduci non potest, quod remanserit parochiálitas: probari enim etiam deberet quod ei ecclesiae certus populus fuit assignatus et quod sacramenta a Religiosis uti comparochis essent dispensata iuxta Rotam *(Dec. jSo, p. f, in recent.),* et quod populus ab ipsis ea recipere teneretur. Ë contra in casu habetur quod pro usu sacramentorum et exercitio curae fuit designata Collegiata S. M. de Misericordia. Neque item parochiálitas ab eo argui valet, prosequitur capellanus, quod parochus in dicta ecclesia primo capit possessionem,, et remansit cum titulo parochialis: possessio enim capitur ratione redituum ecclesiae adhuc extantium, et titulus servatus fuit ne memoria periret, quod haec ecclesia aliquando paroecialis extiterat Eo magis quod in funeribus ibidem peractis Religiosi quartam dumtaxat partem parocho persolvebant ; at, si ecclesia fuisset comparoeciaKs, parochus omnia emolumenta expetere poterat.

Sed capellanías potius argumentum ad sua iura protuenda haurit ex conventione diei 4 Martii 1899, iuxta quam parocho tantum servantur incerta funerum in die obitus, capellanus nullam dependentiam ab eo habet, cui praeterea imponitur onus annuae solutionis 20 librarum cerae favore capellani, etc. Sub hac concordia sicut duo capellani praedecessores, ita et ipse a. 1896 renuntiatus fuit ecclesiae rector. Hinc deducit quod huiusmodi conventio etiam ab actuali parocho sit servanda, tum quia ei iam aderat ius acquisitum vi Bullae nominationis in ecclesiae rectoratum quando novus successit parochus, tum quia ea conventio initio a parocho fuit saltem tacite acceptata, et eius denuntiatio tantum locum habuit post cessatam inductam variationem ad annum duraturam.

Demum quoad capellani nominationes advertit, has semper ab Episcopo factas fuisse; nec aliter evenire potuisse, quia Religiosi, quum vi maiori ecclesiam relinquere coacti essent, non ideo in casu ius amiserunt, quod tamen durante eorum absentia, sponte sua devolutum fuit ad Episcopum, cui onus incumbit tuendi divinum cultum in ecclesiis suae dioecesis.

**Dubia. I.** *An nominatio rectoris ecclesiae SS. AA. Petri et Pauli facienda sit a parocho archidiacono Collegiatae loci* Cartoceto, *seu potius ab Ordinario Fanensi in casu.*

II. *An et quomodo eidem parocho spectent emolumenta funeraria etiam in diebus septima, trigesima et anniversaria in casu.*

III. *An et quas functiones rector praefatae ecclesiae peragere valeat absque licentia parochi archidiaconi in casu.*

**Resolutio.** Et S. C. Concilii, omnibus hinc inde perpensis, die 17 Decembris 1904 respondendum putavit:

Ad I. *Affirmative a parocho cum approbatione Ordinarii. Et rectorem in omnibus pendere ab eodem parocho ad quem ecclesia, ut sua parochialis, plene spectat, stante et durante Religiosorum discessu.*

Ad II. et III. *Provisum in I.*

## Colliges

i°. Cessio ecclesiae SS. Petri et Pauli a parocho Collegiatae B. M. V. de Misericordia Fratribus Minoribus facta fuit nonnullis sub conditionibus et cum reservatione iurium, quae veram parochialitatem constituunt.

**2°.** Hinc, quocumque modo deficerent Religiosi, ecclesia etiam quoad iura cessa ad parochum pertinere debet.

3°. Ad eumdem parochum proinde devolutum est ius nominandi rectorem ecclesiae, tamquam proprium coadiutorem, qui ab eo in omnibus dependere tenetur.

# EX S. CONGREGATIONE RITUUM

## DIOECESIUM GALLIAE

**Beatus Ioannes Baptista Vianney constituitur Patronus parochorum Galliae.**

Ex quo Beatorum Caelitum honores Venerabili Ioanni Baptistae Vianney solemniter sunt delati, complures e Gallia sacrorum Antistites, ad vota potissimum curionum rite complenda, supplicibus iteratisque litteris a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa X ad unum expostularunt, ut Eum, quamvis supremo in terris gloriae fastigio, quo Sancti praelucent, nondum adauctum, de Apostolica tamen benignitate et dispensatione, speciatim apud Deum patronum sacerdotibus, inter suos cives, curae animarum addictis attribuere et declarare dignaretur. Permulta enimvero, iure veluti peculiari, requirere videbantur, ut talem opportune defensorem, in quem fidentius intuerentur, parochi sibi adsignandum crebris obtestationibus implorarent. Nam ita, dum aetas haec nostra eximiis praesertim invictisque pastoribus indiget, perfectum sacri ministerii exemplar cunctis ad imitandum praesto esset; unde

alacrius B. Vianney vestigia prosequi, et maiori curiones industria et prosperitate populos virtuti et Ecclesiae revocare possent; atque idcirco, opera etfiam propria, iuxta propositam praeclari Confessoris normam, omnia in Christo instaurare coniunctis viribus satius contenderent. Nec exemplar solummodo, sed, patrocinio de caelis colmato, daretur quoque auxilium in arduo sane parochorum munere, pro ovibus sibi concreditis, naviter pieque obeundo, et, acerba temporum vicissitudine, magnum in aerumnis solatium, idque praesentissimum, adhiberetur. — Quapropter Sanctissimus Dominus Noster, similia Pontificum antecessorum exempla, nec semel quidem edita, nuperrime aemulatus, enixas sibi preces hac de re porrectas benigne fausteque excipiendas, sponte sua, existimavit. Pro impensa quippe sollicitudine et vigilantia, qua Ecclesiae bono adsidue prospicit, ac pro dilectione speciali, qua nullo non tempore erga coetum parochorum insignem paterne fertur, nihil magis in votis habet; quam ut recens laboribus favor et tutela de superis accedat ; et lux *supra candelabrum posita* presbyteris, quotquot patriae et pastoralis muneris participes in Gallia sunt, ad exemplum, praesidium et solameh, vividior in dies adfulgeat. Novensilem igitur Beatum, Ioannem Baptistam Vianney, in pervigili et diuturno curionis officio, quod et *officium amoris* a S. Augustino merito nuncupatur, sic *formam gregis ex animo et omnibus omnia factum,* ut non tantum apud Bellicenses Francosque cunctos pagum natalem, sed totam profecto Galliam virtutibus et prodigiis alias apud gentes potiorem in modum illustfavérit, sacerdotibus animarum curam gerentibus in Gallia ceterisque iri locis nationi eidem subiectis, caelestem Patronum eligere et constituere decrevit. Insuper idem Pater Beatissimus firma spe fretus, pastores et fideles, Ioanne Baptista Vianney deprecatore, ex cultu et imitatione ipsius, uberes pietatis fructus fore perçepturos, indulsit perlibenter, ut, in praedictis locis, Eius imagines atque reliquiae, de consensu.

respectivi Ordinarii, publicae venerationi exponi possint; diesque festus sub ritu duplici minori, sed in Bellicensi dioecesi sub ritu duplici maiori, tum pro clero saeculari, tum pro regularibus, cum Officio et .Missa propriis ab auctoritate Apostolica approbatis, recoli valeat: servatis tamen rubricis atque decretis, etiam cultum Beatorum respicientibus. Contrariis non obstantibus quibuscunque. Die 12 Aprilis an. 1905.

A; Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. ✠ S. f D; Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

## COMPOSTELLANA

De usu musicorum instrumentorum in sacris functionibus.

Emus et Rmus Dnus Cardinalis Iosephus M. de Herrera y de la Iglesia, Archiepiscopus Compostellanus, ad Sacram Rituum Congregationem; mittens elenchum tum festorum quae in sua ecclesia Cathedrali solemniter celebrantur cum musica vocali et instrumentali, vulgo *orquesta;* tum instrumentorum quibus musici utuntur in iisdem solemnitatibus: atque insuper interpretationem authenticam habere desiderans super iis quae Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X in *Motu proprio* super musica sacra statuit, nempe: « Aliquoties, servatis: servandis, admitti possent alia musica instrumenta, sed annuente Episcopo, qt Caeremoniale Episcoporum praecipit» (i), eidem Sacrae Congregationi sequentia dubia enodanda reverenter proposuit, ; videlicet:

I. An, et in quibus festis permitti possit usus instrumentorum,, quae (vulgo *violines, violas, violoncello, contrabajo, flauta, clarinetes, fagots, trompas)* in elencho recensentur ?

II. An permitti possit usus instrumentorum in Officio et Missa defunctorum?

(i) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 36, p. 3Q3, n. 15.

III. An proscribendus sit in ecclesiis parochialibus et conventualibus usus organi dicti *harmonium* in Officio et Missa defunctorum ?

Sacra porro Rituum Congregatio ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis super Musica et Cantu sacro, rescribendum censuit:

Ad I. Ad primam partem *Affirmative;* ad secundam partem, in illis functionibus et temporibus, in quibus sonus organi aliorumque instrumentorum non prohibetur a Caeremoniali Episcoporum, a praedicto *Motu proprio* et a Decretis S. R. C. uti in *Pisana* 20 Martii 1903, et in *Compostellana* 8 Ianuarii 1904 super Triduo Maioris Hebdomadae (1); verum iuxta prudens Ordinarii arbitrium in singulis casibus cum dispensatione a lege et praxi communi adhibendi in sacris functionibus cantum gregorianum vel musicam poliphonicam aut aliam probatam.

Ad II. In Officio *Negative;* in Missa et Absolutione post Missam, prouti in responso ad I et servatis servandis, ita ut sonus organi aliorumque instrumentorum tantum ad sustinendas voces adhibeatur et sileant instrumenta cum silet cantus iuxta Caeremoniale Episcoporum, lib. I, cap. 28, n. 13.

Ad III. Provisum in praecedenti.

Atque ita rescripsit, die 15 Aprilis 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. ✠ S. † D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

# EX S. C. INDULGENTIARUM ET SS. RELIQUIARUM

## Indulgentia largitur recitantibus quamdam precem pro bona electione status obtinenda.

*Beatissimo Padre,*

Enrico Radaeli S. J., Direttore spirituale dei Pontificio Collegio Leonino di Anagni, prostrato ai piedi della S V.,

(1) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 35, p. 625; et vol. 36, p. 428.

umilmente implora a favore di tutti coloro, che reciteranno la infrascritta preghiera del P. Doss, per la buona scelta dello stato, l'indulgenza di trecento giorni una volta al giorno, e la plenaria se dopo averla recitata per lo spazio d' una novena, in uno dei nove giorni si accosteranno ai SS. Sacramenti della confessione e della comunione ; supplica inoltre che le predette indulgenze siano applicabili alle anime purgante

PREGHIERA PER OTTENERE UNA BUONA SCELTA DELLO STATO

O mio Dio, Tu che sei il Dio della sapienza e del consiglio, Tu che leggi nel mio cuore la retta volontà di piacere a Te solo, ed anche di regolarmi, riguardo alla mia scelta dello stato, conforme in tutto ai tuoi santissimi desiderii ; concedimi, per *Y* intercessione della SSma Vergine, Madre mia, e de' miei Santi protettori, specialmente di S. Giuseppe e di S. Luigi Gonzaga, la grazia di conoscere quale stato io devo prendere, e di abbracciarlo, conosciuto, affinchè io possa cercare ed accrescere in esso la tua gloria, operare la mia salute e meritarmi quel premio celeste, che Tu hai promesso agli esecutori del tuo divino volere. Amen.

Devote recitantibus hanc precem 300 dierum indulgentiam concedimus semel in die lucrandam.

Die 2 mensis Marialis an. 1905.

PIUS PP. X

Praesens Rescriptum exhibitum fuit huic S. Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae.

In quorum fidem etc.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. C, die 6 Maii 1905.

L. ✠ S. † D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

# EX COMMISSIONE BIBLICA

**Circa citationes implícitas in S. Scriptura contentas.**

Cum ad normam directivam habendam pro .studiosis Sacrae Scripturae proposita fuerit Commissioni Pontificiae de re biblica sequens quaestio, videlicet:

Utrum ad enodandas difficultates quae occurrunt in nonnullis S. Scripturae textibus, qui facta historica referre videntur, liceat Exegetae catholico asserere agi in his de citatione tacita vel implicita documenti ab auctore non inspirato conscripti, cuius adserta omnia auctor inspirátus minime adprobare aut sua facere intendit, quaeque ideo ab errore immunia haberi non possunt?

Praedicta Commissio respondendum censuit:

*Negative,* excepto casu in quo, salvis sensu ac iudicio Ecclesiae, solidis argumentis probetur: 1°. Hagiographum alterius dicta, vel documenta revera citare; et **2°.** Eadem nec probare, nec sua facere, ita ut iure censeatur non proprio nomine loqui.

Die autem 13 Februarii anni 1905 Sanctissimus, referente me infrascripto Consultore ab Actis, praedictum Responsum adprobavit atque publici iuris fieri mandavit

L. ✠ S. Fr. David Fleming, O. F. M., *Consultor ab Actis.*

# EX VICARIATU URBIS

**Litterae Circulares, quas Cardinalis Urbis Vicarius nomine Sanctitatis Suae misit ad Italiae Episcopos, de XVI Conventu Internationali Eucharistico Romae celebrando.**

*Illmo e Rmo Signore,*

Ci pare benigna disposizione della divina Provvidenza se a sede del xvi Congresso Internazionale Eucaristico venne

designata .questa Metropoli della Cristianità, dove ripereuotesi ancora la eco soave dei solenni festeggiamenti per la cinquantenaria ricorrenza dell'avvenuta Definizione dogmatica dell'Immacolato Concepimento di Maria-

*Ad Iesum per Mariam.* La Vergine Santissima, celebrata testé con sì manifesta protezione del Cielo dall'universo intero, ci si rivela, in questa fortunata contingenza, sapiente guida, protettrice potente ed efficace,, nel santo nostro proponimento di onorare il suo Divin Figlio in quella delle sue opere sublimi che, come-ci lasciò scritto il dotto e piissimo oratoriano F aber, *è la più meravigliosa, la più perfetta,-perchè .esprime pienamente le perfezioni interne di Dio stesso ;* l'opera che F Aquinate definì *il compendio di tutti i miracoli.*

Affinchè degna riesca la indetta celebrazione in questa Roma, Sede del Pontificato Romano, e ne derivi quell'abbondanza di frutti spirituali che il' nostro Santo Padre giustamente si attende a sollievo dei mali che dilagano in ogni dove, Nói, nel Suo augusto Nome, invochiamo colla presente il concorso di tutti i veneratissimi Presuli d'Italia. E però con vero compiacimento ci affrettiamo a partecipare alla S. V. Illma e Riña, come il Santo Padre ha di gran cuore accolto la' proposta del Comitato Permanente Internazionale dei Congressi Eucaristici di tenere in quest'anno un-Congresso Eucaristico in Roma; e nell'ardente Sua carità per lè anime, redente: col Sangue prezioso del Dio di amore, Ci ha espresso il desiderio di partecipare personalmente, per quanto le circostanze presenti gliel consentono, ad alcune funzioni, di cui è parola nell'annesso programma, già colla Autorità Sua Pontificia sanzionato (1).

0) Ex programmate officiali Conventus quae sequuntur, utpote' maioris momenti, desumimus:

Il Congresso Eucaristico di Roma avrà luogo dal i al 7 giugno di questo anno 1905.

Desidera pertanto il Santo Padre inaugurare egli stesso il Congresso con un solenne Pontificale che si degnerà celebrare nella Basilica di S. Pietro il i° giugno, festività dell'Ascensione di N. S. G. C.

Vuole inoltre tutti paternamente accogliere i suoi figli che accorreranno a Roma, pel fausto avvenimento, e a tutti rivolgere la Sua parola.

Il Congresso avrà una seduta solenne di inaugurazione e tre sedute di studio pratico.

Queste sedute o sezioni avranno per oggetto: i° I Congressi eucaristici e la Stampa; 2° Le Associazioni eucaristiche; 3° Il Culto eucaristico.

**Prima Sezione:** 7 *Congressi eucaristici e la Stampa.* — Tema: La divozione a Nostro Signore nella sua Eucaristia si è più largamente diffusa alla fine del secolo scorso mediante i Congressi e la stampa eucaristica. — I Congressi sono internazionali, nazionali e diocesani, di Cantone o di Circondario, e vi hanno le Giornate eucaristiche. — Porre in luce il fine, i mezzi pratici, i frutti di questi congressi. — La stampa eucaristica, i suoi organi, la sua influenza, le sue lacune.

**Seconda Sezione:** *Le Associazioni* — La divozione al SSmo Sacramento si svolge e si diffonde mediante le Associazioni. — Si hanno due specie di Associazioni : *a)* le Arciconfraternite e le Confraternite che hanno per oggetto direttamente la Santissima Eucaristia; *b)* le varie Associazioni nelle quali il culto della Eucaristia è in speciale onore.

Si tratterà poi successivamente delle Associazioni dei sacerdoti, - maschili e femminili - di operai, di giovani, facendo ben conoscere la natura di ciascuna, i suoi elementi, le sue pratiche, i suoi frutti.

**Terza Sezione:** *II Culto.* — Il culto del SSmo Sacramento può essere considerato: rispetto alla Santa Messa, nella quale Gesù si immola; rispetto alla Santa Comunione, nella quale Gesù si dà; rispetto al S. Tabernacolo ed all'Ostentorio, dove ci attende :

i° Eccellenza del S. Sacrificio; assistenza alla Santa Messa, per obbligo o per divozione. — Opere che hanno per oggetto la Santa Messa alla quale assistono gli adulti, ovvero i fanciulli.

2° Preparazione dei fanciulli alla Prima Comunione. — Solennità della Prima Comunione. — Comunione pasquale, come attrarre alla Comunione gli uomini , che se ne astengono. — Opere che hanno per oggetto la Santa Comunione. — Comunione mensile, settimanale, per Viatico.

3° Adorazione diurna, notturna. — Ora santa. — Visita al SSmo Sacramento.

4° Feste eucaristiche.

Si chiuderà il Congresso con una Processione grandiosa e solenne, alla quale il Pontefice Pio X, volendo secondare l'impulso del Suo Cuore sempre paterno ed amoroso, prenderà parte, recando nelle sue mani l'Ostensorio coli'Adorabile.

Non dubito punto che la S. V. Illma e Riha si adoprerà, con quello zelo che tanto La onora, affinchè numerosa sia la rappresentanza e del Clero e del Laicato di codesta sua diocesi al Congresso ; ed ho ferma fiducia che le preghiere innalzate al Dio delle misericordie in comunione col nostro amato Padre, e a Lui stretti col vincolo soave dell'amore, in ore sublimi perchè commemorative dell'opera meravigliosa di un Dio che nel tornare al Padre suo volle lasciarci in eredità se stesso, apporteranno copioso e salutare vantaggio alle anime.

Sono poi ben lieto di partecipare alla S. V. il proposito del Comitato Permanente, di arricchire cioè con una più degna custodia la più preziosa reliquia che della Istituzione Eucaristica si abbia sulla terra. Nella chiesa di S. Giovanni in Laterano, madre e capo delle chiese di tutto l'orbe, si conserva la Santa Tavola che servì per l'ultima Cena che Gesù tenne coi suoi discepoli e nella quale istituì il Sacramento dell'Amore.

Perchè imperituro rimanga il ricordo del xvi Congresso Eucaristico approviamo il savio consiglio del Comitato Permanente d'invitare tutti i fedeli a concorrere col loro obolo per adornare con un reliquiario ricco ed artistico quel sacro Cimelio, affinchè possa esser più visibilmente collocato presso la Confessione dell'Arcibasilica, dedicata appunto al Santissimo Salvatore, e così esposto si renda più accessibile alla venerazione dei fedeli.

È anche desiderio del Santo Padre che, durante il periodo del Congresso, in ogni diocesi, in ogni parrocchia, a somiglianza di questa Metropoli, sia onorato con speciali atti di

culto Gesù in Sacramento da' fedeli, cui non è consentito accorrere in Roma.

A coadiuvare pertanto il Gomitato Permanente Internazionale, nell'attuazione del Programma, particolarmente per quanto concerne la nostra Italia, abbiamo, coll'assentimento del S. Padre, costituito, sotto la Nostra Presidenza, un Comitato Locale Romano, il cui compito precipuo è appunto quello di fare ampiamente conoscere il proposito santo e l'invito particolare del Vicario di G. C.

Per tal fine ci rivolgiamo alla S. V. pregandola vivamente affinchè si compiaccia:

1. **Comunicare, in quel modo che giudicherà migliore, ai suoi fedéli diocesani questo Nòstro appello e l'annesso programma.**

**2. Inculcare ai'parroci ed agli altri sacerdoti aventi cura di anime di far conoscere il fine dei Congressi Eucaristici, che è di onorare vie maggiormente il Sacramento dell'ardente carità ,di Dio per gif uomini, promuoverne il culto; eccitarne la frequenza e ravvivarne nei popoli la riconoscenza con manifestazioni di fede e soprattutto colla pratica di una vita cristiana.**

**3. Deputare uno o più ecclesiàstici, che d'accordo colla S. V. Illnia e Rma si mettano in relazione coti queáto Comitato Romano affinchè possa* esser loro agevolato il compito* specialmente per quanto concerne la partecipazione al Congresso:**

*a)* **tenendo informato questo Comitato del numero dei Congressisti, loro nome ecc.;**

*b)* **promuovendo rapporti pel Congresso sulle questioni del programma annèsso ;**

*e)* **trasmettendo al Comitato- Romano questi rapporti.**

**4. Ottenere che gli ecclesiastici come sopra designati, sotto la dipendenza, dell'Autorità ecclesiastica locale, promupvanp funzioni, ritiri .spirituali in preparazione alle prime Comunioni, ed altre pie pratiche che nei singoli luoghi vengono giudicate più opportune e più fruttuose alle anime.**

**5. Invitare i giornali e i periodici locali perche vogliano concorrere a questo solenne tributo di pubblica riconoscenza verso Gesù in Sacramento, dal, quale non potrà non derivare notevole vantàggio spirituale alle anime,**

**6. Far pervenire da ultimo a questo Comitato quelle offerte che si**

**facessero da chi, spinto dall'amore versò Gesù Sacramentato, volesse concorrere pel Reliquiario della Santa Tavola, o anche per rendere più solenni le feste da compiersi in tale straordinaria ricorrenza.**

**Nella certezza che questi nostri desideri, che son quelli del Nostro Santo Padre, tanto conformi per altro alla pietà da cui tutti, dobbiamo essere animati verso l'altissimo mistero, alla cui solenne celebrazione ci prepariamo, troveranno per lo zelo della S. V. la più larga e più consolante attuazione, ho l'onore di sottoscrtverrm con i sensi di mia distinta considerazione.**

Roma, 20 Aprile, Giovedì Santo del 1905.

Della S. V. Illma e Rma

Devmo Servitore

**L.** «}* S. **P**IETRO **R**ESEIGHI Gard. Vie, *Presidente.*

# APPENDIX II

## DE DISPENSATIONIBUS MATRIMONII RATI ET NON CONSUMMATI (1).

59. Sed aliud est sententiam haud probari aliquo argumento, et aliud sententiam non posse probari; iamvero si intimius investigatur in potestate iurisdictionali Episcoporum, spectato iure divino, facile constabit, potestatem solvendi matrimonia rata et non consummata privative spectare iure ordinario ad Summum Pontificem.

60. Praescindimus, hic a quaestione, an Episcopi potestatem iurisdictionis accipiant immediate a Christo, aut potius a Summo Pontifice, « quae quaestio, ait **B**ENEDICTUS XIV *(de Synodo, lib. i, cap.* ***4,*** *num. 2),* est inter Tridentinos Patres summa contentione iamdiu exagitata nec definita, de qua Card. Pallavicinus in Hist. Conc. Tridentini, lib. 18, c. 13; et lib. 21, c. 11 et 13 ».

Licet autem, ut ait ipse **B**ENEDICTUS XIV ***(I. c>)***, sententia,

**(ij Cfr.** ***Acta S. Sedis,*** **vol. 37, p. 131,** 346, 542.

quae tenet Episcopos potestatem iurisdictionis accipere mediante Summo Pontifice, « rationi et auctoritati conformior videatur sententia opposita», et modo uti communis et certa habenda sit (Card. CAVAGNIS, *Inst. Iuris publici eccles.., Romae, 1888, pag. 457*; Card. SEGNA, *de Ecclesiae Christi const. et regim., Romae, 1900, pag. 184;* DE LUCA, S. I., *Inst. Iuris eccles, publici, 1891, vol. II, pag. 190,* etc. etc.); tamen quaecumque demum sententia teneatur, ad scopum nostrum parum interest.

61. Et sane, ut notat Card. CAVAGNIS, etiam qui tenent Episcopos accipere immediate potestatem iurisdictionis a Christo, plures limitationes admittere debent ac praecipue ut: « daretur a Deo *indeterminata* seu *limitabilis* a Pontifice, ita ut esset iurisdictio pastoris subordinati intra certos limites a Supremo Pastore designandos » *(I. c, pag. 454)*; sicut in contraria sententia « stat semper Episcopos non esse mere delegatos, sed gaudere iurisdictione propria, quia ipsorum gradus est a Christo institutus ut sint pastores ordinarii, et a Pontifice fit participatio iurisdictionis ut eos in hoc gradu constituat, ideoque habent iurisdictionem a Deo mediante Papa » *(I. c, pag. 457).*

62. Porro iurisdictio *ministerialis,* de qua modo quaestio solum esse potest, cum ad eam reducatur potestas solvendi matrimonia rata et non consummata, eadem non est in Summo Pontifice et in Episcopis.

63. « Summi Pontificis potestas, ait P. Pius A LANGONIO, Ord. Min. Cap. *(de Bulla Innocentiana seu de potestate Papae committendi simplici presbytero subdiaconatus et diaconatus collationem, Disquisitio historica et theologica, Romae, 1902, apud Analectorum Eccles, editorem),* non ministerialis est sed *vicarialis,* quippe qui Christi vices per omnia et in omnibus agit » *(num. **12j**, p. 104).*

64. Quare ratione habita ad Summum Pontificem, duplex distinguenda est in Ecclesia potestas iurisdictionalis ministe-

rialis, sc. potestas *mere ministerialis,* quae, si placet, potest etiam vocari aliquo sensu *vicaria,* et potestas *stricte vicarialis.*

65. Auctores gallicanismo addicti non dubitarunt etiam Episcopos vocare Vicarios Christi, sed merito conqueritur P. Pius A LANGONIO *(I. c, num. 122):* « vix ac ne vix quidem tolerari possunt inflatae declamationes huiusmodi : Episcopos divina auctoritate constitutos esse Vicarios Christi in sua quemlibet dioecesi.... Quibus in verbis Thomassini quot assertiones tot cavillationes, nam unus est et unicus Christi Vicarius (i), sicut unus ipse Christus, nempe Summus Pontifex qui totius Ecclesiae caput et fundamentum est »,

66. Verum quidem est, quod Summus Pontifex in exercitio potestatis iurisdictionalis ministerialis agere nequit uti *Vicarius,* nisi in casibus contentis in revelatione, cuius tamen ipse et testis et iudex est: atqui solutio matrimonii rati et non consummati adamussim ad hos casus pertinere dicenda est; et sane ad solvendum matrimonium ratum et non consummatum requiritur ut dispensetur, vel si magis placet, relaxetur

(i) « EX his, quae demonstrata sunt, intelligitur cur Petrus, ut et singuli eius successores, vocetur Vicarius Christi. Iuvat vocis explicationem reddere iisdem verbis, quibus in Concilio Florentino, iubente Pontifice, formulam definitionis, quae habet Romanum Pontificem Petri successorem *et verum Christi Vicarium* esse, coram Pontifice, Imperatore et Patribus explicuit Ioannes Provincialis O. P. — Sequitur, inquit, in cédula, *et Vicarium Christi.* Haec particula in se non habet difficultatem ; quia clarum est, quod ille dicatur Vicarius, qui super aliqua recipit vices eius. Quod Petrus remanserit vice Christi in terris, patet ex Evangeliis. Nam Christus fundavit Ecclesiam super Petrum, quae super se (Christum) fundata erat; eique contulit claves universaliter et generaliter, cum dixit: *Tibi dabo claves regni coelorum;* neminem excepit de mundo. In quo sequitur quod ipse potest omnes ligare et a nemine ligari. Cum ergo vices Christi habeat in terris, sequitur quod est Vicarius, et cum Romanus Pontifex succédât in eadem potestaie, sequitur, quod est Vicarius Christi. Harduin. IX, 959. Itaque etsi et alii, qui ex Deo vel Christo potestatem acceperunt Dei vices gerere et Dei vel Christi Vicarii dici possunt, nemo tamen Christi Vicarius est eo quo Petrus sensu, quia nemo praeter Petrum eiusque successores in Christi hinc abeuntis vicem successit » (WILMERS, S.I., *de Christi Ecclesia,* Pustet, 1897, pag. 171).

lex divina positiva quae matrimonium etiam ratum indissolubile declarat (PALMIERI, S. L, *de Matrimonio christ., ed. altera, th. 16 et seq.).*

67. ¡amvero relaxare legem positivam divinam solius est Romani Pontificis Christi Vicarii.

SUAREZ *(de legibus, lib. io, cap. 6)* ad quaestionem : «An possit aliquis in lege nova dispensare »., respondit : « Si..... talis potestas est in hominibus solum esse potest in pastoribus Ecclesiae; ergo maxime in Summo Pontifice, nam in illo est suprema spiritualis iurisdictio..... Unde de caeteris Episcopis infra Pontificem communis sensus doctorum videtur esse, nullum eorum posse dispensare in iure evangelico, ut statim videbimus. Et ratio reddi potest, quia licet potestas haec esset necessaria Ecclesiae, non esset necessaria Episcopis; quia existens in Summo Pontifice sufficeret... Denique regula iuris generalis est maiores Ecclesiae causas ad Petri Sedem esse referendas ».

68. Quamvis autem SUAREZ *(I. c.)* ad propositam quaestionem, post allatas DD. sententias, qui sunt pro affirmativa sententia, concludat cum aliis DD.: «Est ergo tertia et communis theologorum sententia absolute negans legem Christi esse dispensabilem etiam per Pontificem », et neget exempla quae afferuntur a fautoribus priorum sententiarum, sc. dispensationem in iuramentis, votis et matrimonio rato, favere eorumdem opinioni, « quia cum illa dispensantur non relaxatur aliqua lex divina, sed materia eius subtrahitur » *(I. c., n. 20);* tamen ne quaestio fiat potius de nomine quam de re, in solutione matrimonii, si non habetur proprie dicta dispensatio, habetur certe, uti vidimus, aliqua legis evangelicae relaxatio.

69. Neque difficultatem facit, quod a SUAREZ in eodem gradu ponatur solutio matrimonii rati et non consummati et solutio votorum, a quibus iure ordinario etiam Episcopi dispensare possunt; nam utriusque solutionis magna est differentia: quamvis enim, uti vidimus, in utroque habeatur

abrogatio facti, tarnen in solutione rati abrogatur factum iuxta legem votorum, e contra in sqlutione matrimonii rati, abrogatur factum, sed contra legem indissolubilitatis matrimonii; quare ut abrogatio facti legitima sit, requiritur ut relaxetur pro eo casu particulari lex universalis indissolubilitatis, et quidem sive a Christo qui eam tulit et tam solemniter proclamavit *Quod Deus coniunxit homo non separet* (Matth, xix, 6), sive ab eius Vicario.

70. Praeterea solutio votorum privatorum (i), de quibus solum hic potest esse quaestio, respicit factum internum et in praxi frequentissimum: unde, ut animarum bono provideatur, facultas ab iisdem dispensandi et quideny iure ordinario competit non solum Episcopis sed etiam omnibus aliis praelatis inferioribus qui iurisdictionem habent in foro externo, et ex privilegio confessariis regularibus, etc; e contra solutio matrimonii rati respicit factum *externum*, quo homines constituuntur in *statu* particulari in ipsa Ecclesiae societate, cuius proinde regimen pendet ab eo qui caput est societatis.

71. Caeterum, hic agitur de quaestione non mere canonica, sed quae ad revelationem spectat; agitur enim de potestate solvendi matrimonium quod *iure divino* est indissolubile.

Atqui in huiusmodi quaestionibus traditio praesertim, seu Doctorum consensus maxime attendendus est.

72. Iam vero omnes DD. qui occasionem habuerunt de huiusmodi Episcoporum potestate loquendi, omnes conveniunt in asserendo, Episcopos nullimode hac potestate frui.

73. Verum quidem est, quod nonnulli ex his huno potestatis defectum tribuerunt saltem probabiliter reservationi sive expressae sive tacitae Romanorum Pontificum, uti MENDO et

(i) Vota dicuntur *privata* in oppositione ad *publica,* sc. ad vota acceptata ab Ecclesia, 'quae acceptare solet vota sive cura effectu irritante, et tunc vota dicuntur *solemnia,* sive absque effectu irritante, et tunc dicuntur *simplicia* (Const. Leonis XIII *Conditae,* sexto Idus Decembris 1896; cfr. nostrum *Manuale Theologiae Moralis,* ed. III, pag. 86).

BAUNIUS *(I. c),* quibus adhaerere videtur SCHERER *(I. c),* qui scribit : « Post praxim Ecclesiae centenariam minime potest in dubium vocari quin ius tali modo vinculum matrimonii rati et non consummati solvendi sit Romano Pontifici reservatum »; sed generatim DD. huiusmodi defectum repetunt ex eo quod haec potestas *privative* pertineat ad Summum Pontificem.

Sic, uti vidimus, SUAREZ *(I. c.)*; sic etiam SÁNCHEZ *(Matrim., lib. 2, disp. 12, I. c.)* solvit difficultatem a potestate Episcoporum petitam: « Ad 8, negatur sequela, quia dum dicunt DD. posse Episcopum in sua dioecesi quidquid Pontifex in toto orbe, excipiendae sunt res tam arduae, circa quas de Pontificis potestate merito dubitatur; cum enim deceat gravissimas causas Summo Christi Vicario reservari, censendum est Christum reservasse ». Sic etiam BONACINA *(loco superius citato)* ad eamdem difficultatem respondit: « Respondeo negando consequentiam, falsum enim est simpliciter Episcopum posse in sua dioecesi quidquid potest Papa; nam certum est Episcopum non posse ea praestare quae sunt illi reservata aut *circa quae dubitatur, an potestas Papae sese extendat,* ut ait SÁNCHEZ, disp. 14 ad octavum argumentum ». Sic etiam FAGNANUS *(cap.* Perniciosam, *de Off. iud. Ord., n. 61).* Sic etiam LA CROIX *(loco superius citato)* postquam dixisset MENDO et BAUNIUM ut probabile habuisse, quod Episcopi vi sui muneris per se haberent, nisi Pontifex id sibi reservasset, potestatem solvendi matrimonium ratum, ait; « *sed id communiter non admittunt alii-».* Atque ex recentioribus DD, WERNZ, postquam observasset Episcopos « inde a tempore MARTINI V... ex nullo iuris textu pro sua potestate *(solvendi)* ordinaria reputabantur competentes», addit: «Nequaquam enim in suis dioecesibus habent omnem potestatem iis expresse non negatam ».

*(Sequitur)* **B. Melata.**

# ACTA ROMANI PONTIFICIS

## ALLOCUTIO

**Quam Pius PP. X occasione XVI Conventus Internationalis Eucharistici habuit circa salutares Eucharistiae effectus (i).**

Dopo avere innalzato un inno di lode e di ringraziamento a Gesù Redentore nell'Eucaristia sento il bisogno di ringraziare il Presidente del Comitato permanente dei Congressi Eucaristici, quanti sono Emi Cardinali che presero parte a questo Congresso, tutti i venerandi Prelati che con la loro presenza lo resero più solenne; i distinti oratori, quanti sono i congressisti, implorando su tutti le benedizioni del Cielo. Sento il bisogno di ringraziare i cari figliuoli d'Italia, che approfittando di questa solenne occasione, da tutte le diocesi convennero a Roma per prestare omaggio alla Cattedra di Pietro e per unirsi con i figli di tutto il mondo e in nome di Gesù in Sacramento: Dio li compensi e li benedica.

Dobbiamo unirci tutti, o diletti figli, ai piedi dell' altare perchè là si compie la nostra redenzione, là lo spirito, tratto dall'innocenza alla colpa, ritorna all'obbedienza, all'unione più perfetta con Dio e cessando quella sleale, ingrata separazione, ritorna al governo della sua provvidenza, là si sentono le parole di redenzione del nostro amoroso Redentore, povero per forza di amore, ricco di tutte le virtù per rendersi affabile a tutti; che dopo di aver condotto una vita santa, immacolata, dopo di aver predicato le sue dottrine immolava la sua vita sull'albero della Croce per portare a tutti la redenzione e la salute, lasciando i mezzi necessari per poter riacquistare la perduta innocenza. Dove potremo meglio raggiungere il fine della redenzione se non nel divino Sacramento dell'Eucaristia?

Noi vediamo purtroppo che tanti, di cristiano non hanno che il battesimo ricevuto da bambini e pel resto camminano

(i) Hic Conventus solemniter celebratus fuit Romae a die i ad 7 Iunii 1905 *(N. R.)*.

sulla Via della perdizione. Solo nella penitenza, nella confessione^ delle nostre miserie al sacerdote troveremo la remissione della colpa. Dobbiamo vigilare contro tutti i nemici che ci stanno attorno, e dobbiamo èssere sempre timorosi di non ricadere in quel fango che purtroppo ci ha imbrattati. Nel divino Sacramento dell' Eucaristia, troviamo tutto ciò che è necessario per riacquistare la perduta innocenza. Perchè Dio è bontà e carità per essenza, chi si accosta all'altare Eucaristico sente il suo cuore riempirsi di amore, si sente al disopra di ogni cosa terrena. Sì, miei dilettissimi, il divino Sacramento dell' Eucaristia ci rassicura l'eterna vita e ci rende certi di combattere vittoriosamente contro tutti i nemici. Quanto non è dunque encomiabile, quanto non è da raccomandarsi a tutti di accostarsi di frequente al Sacramento Eucaristico per onorare Gesù in Sacramento, per adoperarsi in tutti i modi onde questo tesoro di divina bontà che Gesù ha voluto lasciarci, non abbia ad esser perduto? Ripeto pertanto, o miei diletti, le parole che ho rivolto stamane al Comitato : Prego e scongiuro voi tutti, perchè raccomandiate ài fedeli di accostarsi al divino Sacramento. E specialmente a voi mi rivolgo, diletti figliuoli sacerdoti, perchè Gesù, il più grande dei tesori del Paradiso, il più grande dei benefici che abbia avuto l'umanità desolata, non abbia ad essere così vilmente, ingratamente abbandonato.

Noi dobbiamo procurare, per quanto è possibile nella nostra povertà e nella nostra miseria, di dimostrare a Gesù Cristo la nostra gratitudine, la nostra riconoscenza ; e allora si aprirà il cielo sopra di noi, e discenderanno le grazie elette, discenderanno le divine misericordie, la pace, la carità, il bene universale. E canteremo sulla terra le lodi di quella Provvidenza divina nel cui nome con effusione di cuore, a tutti i presenti, alle loro famiglie, ai loro cari, alle loro opere, a seconda delle loro intenzioni, impartisco l'Apostolica benedizione.

PIUS PP. X

MOTU PROPRIO

**Quo ceterae Ursulinarum familiae, addita plenaria indulgentia, ad totius Ordinis unionem vehementer adhortantur.**

PIUS PP. X

Apostolicae Sedi id semper in votis fuit, ut religiosa Instituta, nominatim ea quae iuventuti imbuendae dant operam, sese mutatis temporum et rerum adiunctis, immutato manente spiritu, congruenter aptare studerent. Quod si opportunum hoc fuit quolibet tempore, aetate hac nostra esse necessarium res ipsae plane demonstrant.

Quamobrem, quum Decessor Noster f. r. Leo XIII compertum perspectumque haberet, Ursulinarum Ordinem, cui vel illud praecipuae laudi vertendum quod nobile munus instituendi adulescentulas maturrime suscepit, novis rerum necessitatibus non perfecte nec ex omni parte respondere, eo praesertim quod monasteria quibus coalescit, quum sui quaeque iuris essent, nec se invicem adiuvare et praesidio esse, nec mutua virtutis aemulatione ad meliora et maiora se excitare valerent; idcirco huic rerum conditioni opportuna atque salutaria afferenda censuit remedia. Et re quidem vera a cunctis Ursulinarum domibus, ubique terrarum existentibus, litteris die 21 Iulii 1899 datis, exquiri mandavit num scilicet Instituto universas domos complectenti habentique sedem principem in Urbe, si quando per auctoritatem S. Sedis exurgeret, libenter accederent; et quum supra sexaginta ex illis sese id libentissime velle respondissent, idem Pontifex primum pro temporum natura vivae vocis oraculo die 28 Novembris 1900, deinceps per decretum a. Sacra Congregatione Episcoporum et Regularium die 17 Iulii 1903 editum, praedictam Unionem adprobavit.

Quod ad Nos attinet, iam a primordiis pontificatus Nostri dicti Instituti Constitutiones, item per decretum a S. Con-

gregatione Episcoporum et Regularium die 14 Septembris 1903 datum, ratas habuimus; nec ullam praetermisimus occasionem singularem, qua illud prosequimur, benevolentiam No^-stram testificandi, laetissimo etiam cementes animo alias atque alias domos paullatim ad illud convenire.

Nunc vero, quum uberes fructus, quos Ursulinarum coniunctio peperit, per Nos Ipsos perspexerimus, quumque uberiores, quos in futurum est paritura, prospiciamus ; Nos non solum unionem hanc feliciter initam, sed et Constitutiones eidem Instituto datas, auctoritate Nostra iterum plenissime adprobamus, et confirmamus, illisque perpetuae et inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adiicimus.

Volentes insuper specialibus favoribus dictum Ursulinarum Institutum augere, omnibus et singulis eiusdem Instituti Sodalibus redeunte anniversaria die, qua Ursulinarum unio ab x^postolica Sede adprobata fuit, videlicet die 28 Novembris, in perpetuum plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino impertimus. Quam indulgentiam etiam animabus fidelium Purgatorio detentis per modum suffragii applicari posse concedimus.

Ex his sponte elucet quantum Nos optemus, ut Institutum tam fauste incoeptum, aucto in dies adhaerentium numero, in maius provehatur, latiusque pateat. Quapropter vehementer adhortamur illas quae adhuc extra Institutum versantur, familias, ut sese eidem adsciscere velint. Neque dubitamus quin Venerabiles Fratres Nostri Episcopi, in quorum dioecesibus huiusmodi Ursulinarum domus existunt, non solum earumdem votis obsecundent, verum etiam cunctantes, si quae fuerint, ad optatam consociationem suaviter flectant, persuasum plane habentes quod dicti Instituti Constitutiones ita sint concinnatae ut quarumlibet nationum consuetudinibus atque indoli aptissime congruant.

Volumus autem ut praesentes Litterae ad singulos, de quibus supra, Episcopos mittantur, eorumque cura, in linguam

vernaculam ad verbum diligenter versae, in qualibet Ursulina**rum domo,** speciali ad id indicto conventu, legantur.

Haec ad maius Ursulinarum Instituti bonum atque incrementum edicimus, contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae apud S. Petrum, die VIII Maii an. MDCCCCV, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. X

MOTU PROPRIO

## Quo Cardinalibus Ordinis presbyteralis atque diaconalis charactere episcopali non insignitis conceditur usus Crucis pectoralis (i).

PIUS PP. X

La Croce Pettorale, distintivo particolare della dignità Vescovile, non è però talmente propria dei Vescovi, che non

(i) *Versio latina:* **Crux pectoralis, quamvis sit particulare signum episcopalis dignitatis, tamen Episcoporum ita propria non est, ut nemo Praelatus ea legitime usus sit et utatur; constat enim inter omnes, eam nonnullis cleri saecularis et regularis dignitatibus, diversis temporibus, opportunis cum cautelis ac cum plus minusve amplis restrictionibus, S. Sedem concessisse. Quod admittitur et confirmatur a Nostro Motu Proprio 21 Februarii vertentis anni, quo concessimus Protonotariis Apostolicis de numero participantium, necnon Supranumerariis et iis qui ad instar participantium nuncupari solent,** ***ad ecclesiam acce dentés pontificalia celebraturi ab eaque recedentes,*** **Crucem pectoralem ferre eo modo, quo illic aperte exponitur. - Modo, Nobis perpendentibus Cardinales Sanctae Romanae Ecclesiae, iuxta Summorum Pontificum, Nostrorum Praedecessorum, sententias « èsse praecipua Pontificis membra ; repraesentare Apostolos Christi ministros; Dei Vicarium tamquam consiliarios et adiutores in regimine catholici orbis adsistere ; ad Collegium Apostolicum vocatos, coniudices totius mundi fieri; similes regibus esse, et iure veros cardines vocari, quibus vertenda sit Ecclesiae ianua, et firma et stabilis manere »; Nobis maxime et omnino conveniens visum est illos, in sacris insignibus aut signis utendis, nemini inferiori Praelato, esse vel videri quoquo modo secundos. - Hinc igitur, cum ius publice ac private ferendi Crucem pectoralem in omnibus Episcopis admittitur atque, praesertim pro sacris functionibus solemnibus, in nonnullis aliis Praelatis saecularibus et regularibus : ut publice ac private sublimis dignitas Car-**

siasi usata nè si usi legittimamente da nessun altro Prelato; essendo a tutti ben noto, che essa a parecchi dignitari del clero secolare e regolare, venne dalla S. Sede, nelle varie epoche, accordata con opportune cautele e restrizioni, e con ampiezza più o meno notevole. Il che vedesi ammesso e confermato dal Nostro *Motu Proprio* del 21 febbraio del corrente anno, col quale abbiamo concesso che i Protonotari Apostolici *de numero participantium,* nonché i Soprannumerari e quelli che *ad instar Participantium* sogliono addomandarsi, *ad Ecclesiam accedentes pontificalia celebraturi, ab eaque recedentes,* possano portare la Croce Pettorale nella forma, di cui ivi si fa espressa menzione (1). — Ora, considerando che i Cardinali della Santa Romana Chiesa, secondo le sentenze adoperate dai Sommi Pontefici, Nostri Antecessori, « sono i principali membri della persona del Papa ; rappresentano gli Apostoli quando di Cristo erano ministri; assistono il Vicario di Dio in qualità di consiglieri e coadiutori nel governò del mondo cattolico; chiamati al Collegio Apostolico, addivengono congiudici di tutta la terra ; sono simili a* re, e giustamente hanno nome di veri cardini, sui quali deve volgersi la porta della Chiesa, e salda e stabile mante-

**dinalitia magis magisque honorata appareat, etiam in membris S. Collegii episcopali dignitate non insignitis ; Nos omnibus Cardinalibus praesentibus et futuris Ordinis presbyteralis et diaconalis, qui Episcopi non sint, in perpetuum et absque ulla restrictione concedimus, ut publice et private se Cruce pectorali ornari possint; volumus insuper et praecipimus ut in hoc nihil intersit Cardinales charactere episcopali insignitos inter et illos eodem non insignitus; ita ut omnibus concedatur et omnes ferre debeant dictam Crucem pectoralem, etiam coram Romano Pontifice ; et ab hac die ius ferendi Crucem proprium sit non minus Cardinalium non Episcoporum, quam aliorum, et Episcoporum totius orbis. - Nullam atque irritam declaramus quamvis contrariam exceptionem vel restrictionem, et stabile et firmum, quod in hoc Nostro Motu Proprio continetur, tenendum esse decernimus.**

**Datum Romae ex Aedibus Vaticanis, hac die 24 Maii** 1905, **in festo B. M. V.** ***Auxilium Christianorum,*** **Pontificatus Nostri anno secundo *(N. R.).***

**(i)** ***Art.*** 7, **26,** 47. **- Cfr.** ***Acta S. Sedis,*** **vol.** 37, **pag.** 491.

nersi »; Noi pensiamo essere altamente e del tutto conveniente, ch'essi, nell'uso delle sacre insegne o distintivi, a nessun Prelato, a loro inferiore, sieno o sembrino in alcun modo secondi. — E, di conseguenza, giacché il diritto di portare pubblicamente e privatamente la Croce Pettorale è riconosciuto in tutti i Vescovi, e, per le sacre funzioni solenni segnatamente, in non pochi altri Prelati, secolari e regolari: affinchè pubblicamente e privatamente si appalesi vie più onorata la sublime dignità Cardinalizia, ancora nei membri del S. Collegio, i quali non abbiano la consacrazione vescovile; Noi, a tutti i Cardinali presenti, e futuri dell'Ordine presbiterale e diaconale, non consecrati Vescovi, concediamo, in perpetuo e senza limitazione veruna, di potere, in pubblico ed in privato, ornarsi della Croce Pettorale; e vogliamo ed ordiniamo che, in ciò, non siavi alcuna distinzione tra Cardinali aventi e non aventi il carattere episcopale; talché a tutti sia concesso, e tutti debbano portare la detta Croce Pettorale, anche nella presenza del Romano Pontefice; e, da questo giorno, il diritto di decorarsene sia non meno proprio dei Cardinali non insigniti del carattere vescovile, che degli altri, e dei Vescovi del mondo intero. — Dichiariamo irrita e nulla qualunque eccezione o restrizione in contrario, e decretiamo che si debba sempre ritenere stabile e fermo quanto è contenuto in questo Nostro *Motu Proprio.*

Dato in Roma, dal Palazzo Apostolico Vaticano, questo dì 24 Maggio 1905, festa della B. V. M. *Auxilium Christianorum,* anno secondo del Nostro Pontificato.

PIUS PP. X

# EX SECRETARIA BREVIUM

## Indulgentia plenaria largitur visitantibus ecclesias Carmelitarum in festo B. Franci.

PIUS PP. X

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ad augendam fidelium religionem animarumque salutem coelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti, omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac S. Communione refectis, qui quamlibet ecclesiam vel publicum Oratorium Fratrum Ord. B. M. V. de Monte Carmelo tum primi Instituti, tum Excalceatorum die festo B. Franci Conf. Carmelit., a primis vesperis usque ad occasum solis diei huiusmodi quotannis devote visitaverint, ibique pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione , peccatorum conversione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, quam etiam animabus fidelium in Purgatorio detentis per modum suffragii applicari posse, misericorditer in Domino concedimus. Non obstantibus contrariis quibuscumque. Praesentibus perpetuo valituris. Volumus autem ut praesentium Litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo piscatoris die' xi Februarii MDCCCCV, Pontificatus Nostri anno secundo.

Pro Dno Card. MACCHI

L. S. Nicolaus Marini, *Substitutus.*

# ACTA ROM. CONGREGATIONUM

## EX S. CONGR. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

### ORDINIS MINORUM

**Ordini Minorum aggregari valent Tertiarii Regulares, qui aliquod distinctivum Ordinis exterius deferant.**

*Beatissime Pater,*

Auctis admodum ex utroque sexu Tertiariis in communitate viventibus emittentibusque simplicia vota, qui exemplo et opere optime de re catholica merentur, Apostolica Sedes per Decretum Sacrae Congregationis Indulgentiis et Reliquiis praepositae datum sub die 28 Augusti anno 1903 (i) statuit universim, ut ecclesiae Tertiariorum huiusmodi, dummodo ipsi Ordinibus, a quibus nomen et habitum mutuantur, legitime sint aggregati, « *eisdem Indulgentiis gaudeant, quibus ecclesiae respectivi primi et secundi Ordinis fruuntur* ».

Nihilominus, sanctione hac generali per Apostolicae Sedis benignitatem edita, plurima inter Fratres ac Sorores Tertii Ordinis Regularis Sancti Patris N. Francisci enascebantúr dubia, quae prohibent quominus Seraphici Instituti Sodales eumdem Tertium Ordinem Regularem amplexi, assecutam gratiam pacifice obtineant. Neque enim singulae Congregationes colorem lanae naturaliter subnigrae seu fulvae, qui italice dicitur *marrone* in suo ipsarum habitu retinent, prouti servant Fratres Ordinis Minorum ex num. 107 Constitutionum Generalium Apostolico munitarum robore; neque omnes Tertiariorum Regularium Domus ecclesiam proprie dictam adnexam habent, sed passim capellani sive Oratorium parvum, quae non semper, utpote interna, fidelium commodis patent, atque passim vel Sanctissimae Eucharistiae asservandae venia destituuntur.

(i) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 36, p. 577.

Perplexitates vero rationabiles equidem videntur, si attendatur: i°. Decretum Sacrae Congregationis consultationibus Episcoporum et Regularium praepositae, die 18 Martii 1904 (i) datum, quo Monialibus Tertiariis ad Ordinem Sanctissimae Trinitatis de Redemptione Captivorum pertinentibus iniunctum esse dicitur in approbandis earum Constitutionibus, ut colorem habitus in Ordine ipso SSmae Trinitatis consuetum, qui albus est cum Scapulari cruce rubea ac caerulea insignito Sorores acciperent loco habitus caeruleo in integrum colore, quem hucusque retinuerant; et quo, ad effectum Indulgentiarum primi Ordinis assequendarum, permittitur quidem eisdem Sororibus, ut adhibitum eousque colorem in habitu retineant, ne habitus primi Ordinis intuentium oculos percellat, sed sub promissione quod Moniales interius tunicam albam cum Scapulari Ordinis perpetuum gerant.

2°. Decretum Sacrae Indulgentiarum Congregationis diei 22 Augusti anno 1842 in *Verdunen.* evulgatum, quo declaratur ad implendam ecclesiae vel Oratorii publici visitationem, in Rescriptis Indulgentiarum requisitam, minime censendum esse publicum Oratorium sive in Monasteriis, sive in Seminariis aut aliis Conventibus canonice dedicatum, ad quod tamen Christiana plebs non soleat accedere.

Itaque hodiernus Procurator Generalis, Supremi Fratrum Minorum Moderatoris iussu, ne tot Regulares Tertii Ordinis Fratres ac Sorores, qui bonum Christi odorem verbo et exemplo ubique diffundunt, prohibeantur primo ac secundo Fratrum Minorum ascribi et inde tot Indulgentiarum lucro potiri; enixe Sanctitatem Tuam rogat, ut in favorem Sodalium Tertio Ordini S. Francisci Regulari adscriptorum viventiumque sub regulis saltem ab Ordinario loci approbatis, qui Fratrum Minorum Ordini petant accenseri, sequentia opportune Indulta dignetur elargiri:

(i) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 36, p. 606.

I. Ut Fratres ac Sorores Tertii Ordinis Regularis, quamvis colorem habitus in Ordine Fratrum Minorum ultimo praescriptum non assumant, possint eidem Ordini aggregari; hoc etiam attento, quod Fratribus praefati Ordinis, ante probatas anno 1897 per Apostolicam Sedem Constitutiones Generales, nullus *proprie* erat color, quem officialem nuncupant, sed aliae Provinciae alium colorem retinebant; et quod plura Tertiariorum Tertiariarumque Instituta ante annum illum 1897, aut ab Apostolica Sede aut ab Ordinario loci probata sint cum suis Constitutionibus, ubi diversum atque nunc in Ordine Fratrum Minorum consuetum reperimus colorem cum forma speciali ordinatum, qui nunc absque intuentium admiratione et exorituris inter diversa Instituta contentionibus, mutari amplius minime possit.

IL Ut aggregationes hucusque factae Sodalium huiusmodi Tertii Ordinis Regularis, quatenus opus sit, in radice sanentur, quin eis conditio imponatur colorem habitus interius deferendi; prouti nempe, plures Tertii Ordinis Franciscani Coetus, vi Constitutionum Apostolico robore pollentium, Ordini Fratrum Minorum iam sunt adscripti, neque eis praeceptum imponebatur colorem habitus interius unquam gestandi.

III. Ut deficiente ecclesia vel Oratorio publico Tertiariorum domibus adnexo, possint interim fideles lucrari Indulgentias ecclesiis et Oratoriis publicis primi ac secundi Ordinis Fratrum Minorum concessas, in Oratorio interno ac principali earumdem domorum, quamvis illic Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum non asservetur; hoc maxime attento quod Oratoria eiusmodi, per Decretum Sacrae Rituum Congregationis *super Oratoriis semipublicis* sub die 23 Ianuarii anno 1899 (i) datum atque sub num. 4007 in novissima collectione insertum : « *etsi in loco quodammodo privato vel non absolute publico auctoritate Ordinarii erecta sunt* »,

(1) **Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 3i, p.** 412.

inter semipublica accensentur» in quibus « *omnes cui eidem intersunt praecepto audiendi Sacrum satisfacere valent* », et Sacramenta recipere.

Et Deus etc.

Vigore specialium facultatum a SSmo Domino Nostro concessarum, Sacra Congregatio Emorum et Rmorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, attentis expositis, benigne commisit Patri Ministro Generali Ord. Min., ut praevia, quatenus opus sit, sanatione quoad praeteritum, petitam aggregationem pro suo arbitrio et conscientia concedat, imposita tamen Sodalibus utriusque sexus Congregationum in futurum aggregandarum conditione aliquod distinctivum Ordinis exterius deferendi. Quoad tertium postulatum, eadem Sacra Congregatio mandavit rescribi : « Recurratur ad S. Congregationem Indulgentiarum (i) ». Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Romae 30 Ianuarii 1905.

D. Card. FERRATA, *Praefectus.*

L. «f* S. Philippus Giustini, *Secretarius.*

## MISSIONARIORUM FILIORUM IMM. CORDIS B. M. V.

### De electione Superioris Generalis 4n Capitulo extraordinario, necnon Consultoris Provincialis aliorumque Superiorum.

*Beatissime Pater,*

Moderator Generalis Congregationis Missionariorum Filiorum Immaculati Cordis Beatae Mariae Virginis, ad Sanctitatis Vestrae pedes humiliter provolutus, exponit ut sequitur :

I. In Constitutionum cap. III, n. 6 haec habentur: « Superioris Generalis electio fiet in Capitulo Generali suffragiorum pluralitate non quidem relativa sed absoluta : hoc autem

(i) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. *Sj,* p. 721.

Capitulum a duodecimo quoque anno convocabitur ». Deinde in cap. XII, n. 37 de iisdem Capitulis Generalibus statuitur : « Duodecimo quoque anno celebrabuntur a Superiore Generali convocata tempore et loco quae ipsi opportuniora videantur ». In numero vero 39 eiusdem capitis: « Capitulum Generale praeter tempora dicta habebitur.... cum ob Directoris Generalis mortem vel destitutionem novus erit eligendus ». Ex horum locorum collatione hoc dubium exurgit: Capitulum convocatum ad electionem novi Superioris Generalis ob mortem vel destitutionem antecessoris, qui defunctus vel destitutus fuit antequam tempus duodecim annorum ab electione lapsum fuisset, habendum ne est ut Capitulum ordinarium, in quo proinde eligi debeant Consiliarii, Minister et Procurator Generales, imo et Secretarius Generalis ; vel potius est extraordinarium, ideoque solus in eo Superior Generalis eligendus usque ad proximum Capitulum Generale ordinarium, in quo eligentur Superior Generalis, eius Consiliarii, Secretarius, Minister et Procurator Generales?

II. Caput v *de Consultoribus Generalibus*, n. 19 haec statuit: « Cuiuscumque (Consultoris) defectus per alium a Directore et reliquis Consultoribus electum suppleri debebit; idemque servandum proportionaliter in aliorum Superiorum seu Consultorum defectu ». Ex hoc loco sequens eruitur difficultas : Electio pro supplendo defectu alicuius Consultoris Provincialis competitne Directori Generali cum suis Consiliariis ; vel Superiori Provinciali cum altero Consultore Provinciali; nam iuxta nostras Constitutiones Superior Provincialis duos tantum habere debet Consiliarios Provinciales?

III. Inter officia Superiori Generali designata in cap. III, n. 8 nostrarum Constitutionum hoc etiam habetur : « De omnibus quae ad admissionem Domuum et Collegiorum, et ad Congregationis bonum spectabit permagnam habere* sollicitudinem ». Quaeritur ergo utrum Superioris Generalis officium sit nominare seu eligere prima vice Superiores et Con-

sultores Collegiorum, Domuum et Residentiarum quae de novo erigantur; vel electio sit muneris Superioris Provincialis cum suo Consilio in cuius Provincia Collegium, Domus aut Residentia constituitur?

Sacra Congregatio Emorum ac Revmorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, perpensis omnibus in casu concernentibus, respondendum censuit:

Ad I. *Negative* ad primam partem ; *affirmative* ad secundam (i).

Ad IL *Affirmative* ad primam partem ; *negative* ad secundam.

Ad III. *Affirmative* ad primam partem; *negative* ad secundam.

Romae 5 Maii 1905.

D. Card. FERRATA, *Praefectus.*

L. «f* S. Philippus Giustini, *Secretarius.*

## MELITEN.

### TRANSLATIONIS CONFRATERNITATIS

**Decernitur translatio confraternitatis B. M. V. de Carmine ab ecclesia Collegiata ad ecclesiam Carmelitarum Excalceatorum, salvo iure PP. Caiceatorum aliam in propria ecclesia erigendi.**

**Species facti.** Anno 1806 Carmelitae Calceati induxerunt erectionem confraternitatis B. M. V. de Monte Carmelo

(i) Capitulum generale in casu dicitur et est extraordinarium, veluti innuunt sub n. 206 vel ipsae *Normae* pro approbandis novis Institutis votorum simplicium a S. C. EE. et RR. die 28 Iunii 1901 editae. Superior vero Generalis noviter electus in suo officio permanere solummodo potest pro reliquo extante tempore, una simul cum iisdem Consiliariis aliisque Ministris Generalibus, qui hoc ius in praecedenti Capitulo ordinario acquisierunt, et quo legitime privari nequeunt nisi per renuntiationem aut per canonicam depositionem *(N.R.).*

in ecclesia Collegiata civitatis Birchircarae, Melitensis dioeceseos, apposita tamen conditione ut confraternitas non modo sese non opponeret, sub poena nullitatis erectionis ipso facto incurrenda, novi Conventus fundationi ibidem vel intra tria milliaria in posterum peragendae, sed cum omnibus suis bonis in eorum ecclesiam transferri quoque deberet. Revera **a.** 1892 iidem Carmelitani coenobium aedificarunt in oppido S. Iuliani, minus quam tribus milliariis a Birchircara dissito, sed consociationis translationem numquam reclamarunt. Interim quatuor post annos Carmelitae Excálceati monasterium erexerunt in ipsa Birchircara, et a. 1899 praefatum sodalitium in propriam ecclesiam ab Episcopo transferri petierunt; at sese opposuerunt tum Capitulum Collegiatae tum Carmelitae Calceati.

Huiusmodi controversia primitus delata fuit ad S. C. Indulgentiarum, quae deinde eam ad S. C. EE. et RR. dirimendam transmisit.

**Rationes PP. Calceatorum.** Carmelitae antiquae Observantiae sibi vindicant ius transferendi confraternitatem B. M. V. de Carmine in propriam ecclesiam, quum per aedificationem novi Conventus in oppido S. Iuliani, intra tria milliaria a Birchircara sito, adimpleta fuerit conditio in erectionis diplomate apposita, iuxta quam: «sodalitas... nullo modo... novi Conventus fundationi se opponeret..., secus cassa erit et nulla ipso facto erectio...; sed ad ecclesiam, a Religione de novo acquisitam, cum omnibus suis bonis mobilibus et immobilibus... statim transferetur.... ». Hoc confirmant ex peculiari conventione **a.** 1616 inter ipsos et Theresianos inita, vi cuius: « ubi PP. Carmelitani *(nempe Calceati)* erectam iam habent confraternitatem, possint Discalceati sanctum scapulare petentibus concedere sodalesque ita admittere ut eo ipso confraternitati PP. Carmelitarum adscripti censeantur et sint... » ; ac vice versa. Exinde deducunt erectas a Calceatis sodalitates impedimentum non esse, quominus iisdem in locis Discalceati monasterium fundare possint, sed et confraternitates ob novam

fundationem nullo modo mutari debere. Et concludunt in casu non valere regula 25 iuris in 6°: *mora sua cuilibet est nociva,* sed potius altera 54 in 6°: *qui prior est tempo?'e, potior est iure;* eo magis quod ipsi, quotiescumque daretur occasio, huic iuri suo renuntiare nolle semper declararunt.

Capitulum Collegiatae ex parte sua censet confraternitatem extantem esse relinquendam in ipsa Collegiata, aliamque eiusdem nominis a Discalceatis erigendam esse in propria ipsorum ecclesia, eo quod urbs Birchircara suae amplitudinis causa utramque libere continere potest. Quinimo, addit, translatio sodalitii ad ecclesiam Theresianorum in spirituale fidelium damnum vergeret ob ecclesiae angustiam necnon ob eiusdem distantiam a Collegiata.

**Rationes PP. Excalceatorum.** Theresiani e contra sustinent sodalitatem Carminis in propriam ecclesiam esse transferendam vi ipsius rescripti erectionis a Calceatis concessi , quum utraque Observantia unicam constituat Religionem; idque confirmant rescripto S. C. Indulgentiarum in *Gaditana* 20 Sept. 1760, n. 208 (i). Quod ad praelationis ius attinet, observant citatam conventionem a. 1616 respicere confraternitates in ipsis Carmelitarum domibus erectas, veluti liquet ex sequenti paragrapho : « Ubi confraternitates in domibus PP. Discalceatorum fuerint erectae nolintque ipsi facere solemnes Processiones, possint PP. Carmelitani eas celebrare » ; et vice versa. Cuius pacti conventi occasio fuit Const. *Quaecumque* Clementis VIII, quae duas sodalitates eiusdem nominis et instituti in eodem loco erigendas prohibuit. Assertio proinde Calceatorüm sustineri nequit, secus enim scopus dictae pactionis fuisset violatio iurium Ordinis.

Insuper Discalceati sodalitium de Carmelo in ecclesiam Calceatorum trasferendum non esse ex eo arguunt, quod oppidum S. Iuliani habet proprium nomen, territorium et paroe-

(1) **Cfr. Rescripta authentica S. C. Indulgentiarum, Pustet, a. 1885** ***(N. R.).***

ciam. Clausula enim « quod si Ordo noster in illis locis vel in aliis ad tria milliaria propinquis aliquam ecclesiam vel Conventum fundaverit, ad praedictam ecclesiam, erectam confraternitatem.;, transferri debere », tunc temporis, quando nempe in confraternitatum erectione adhuc vigebat lex distantiae, ideo in diplomatum concessione adiiciebatur, quia si Carmelitani novum monasterium in loco vel intra tria milliaria fundassent, iure ac privilegio confraternitatis Carminis non privarentur. Sed postquam S. Sedes per decreta S. C. Indulgentiarum in *Lauden.* 31 Ian. 1893 ad 4, et in una *Ordinis Praedicatorum* ***20*** Maii 1896 ad 3 statuerit plures sodalitates eiusdem generis, nulla habita ratione distantiae, institui posse in unoquoque loco, distincto tamen ratione nominis, territorii et paroeciae (i), consequenter etiam dicta clausula temperari debuit per suppressionem verborum : « vel in aliis ad tria milliaria propinquis locis ». Quum igitur oppidum S. Iuliani possideat proprium nomen, territorium et paroeciam, potius quam illuc transferatur confraternitas Birchircarae erecta, alia nova institui valet, eo magis quod bona confraternitatis absque beneplacito Apostolico separari aut alienari nequeunt.

Episcopus Melitensis favorabilem se praebet Theresianis, et nullo fundamento niti rationes Capituli affirmât, sive quia uterque Carmelitarum Ordo iisdem iuribus gaudet, sive quia in uno eodemque loco duae confraternitates eiusdem nominis fundari vetantur, sive demum quia Excalceatorum ecclesia videtur sufficiens pro consociatis et non ultra dimidium milliarium a Collegiata distat.

**Dubia.** I. *La Confraternita di N. S. del Carmine, eretta nella chiesa parrocchiale di Birchircara, deve rimanere* in statu quo?

II. *Deve essere trasferita nella chiesa dei Teresiani di Birchircara, 0 piuttosto nella chiesa dei Carmelitani di S. Giuliano* ***f***

(i) **Cfr.** ***Acta S. Sedis,*** **vol.** 25, **pag.** 5oq-5ii, **et vol.** 28, **pag.** 751. ***(N, RJ.***

III. *Deve essere soppressa, salvo il diritto per le due suddette Famiglie dell' Ordine Carmelitano di erigere ciascuna, nella propria chiesa, nuove confraternite del Carmelo?* (1)

**Resolutio.** Et S. C. Episcoporum et Regularium, omnibus sedulo perpensis, die 29 Iulii 1904, rescribendum censuit:

Ad I, II, et III: *Attentis omnibus, transferendam esse confraternitatem ab insigni ecclesia parochiali Collegiata ad ecclesiam Patrum Carmelitarum Excalceatorum, salvo iure Patrum Calceatorum erigendi in propria ecclesia confraternitatem.*

## Colliges

1°. Clemens VIII in Const. *Quaecumque* 7 Dec. 1604, ne confusiones, aemulationes aut etiam scandala orirentur, decrevit unicam tantum confraternitatem eiusdem nominis et instituti erigi posse in singulis civitatibus, oppidis vel locis saltem per tria milliaria inter se dissitis (2).

2°. Verum Clementinae dispositionis rigor temperatus deinde fuit sive per indulta particularia (3) sive per generalem concessionem, vi cuius Leo XIII indulsit ut plures confraternitates eiusdem generis institui possent in locis simpliciter

(1) Latine: I. *An confraternitas N. D. de Carmine, erecta in ecclesia parochiali Birchircarae, remanere debeat in statu quo?* II. *An transferenda sit in ecclesiam Theresianorum Birchircarae, vel potius in ecclesiam Carmelitarum S. Iuliani?* III. *Num supprimenda sit, salvo iure utriusque Familiae Ordinis Carmelitici erigendi in propria cuiusque ecclesia novas confraternitates de Carmelo? (N. R.).*

(2) Distantia trium milliariorum seu unius leucae aequivalet metris 4467 ex decreto S. C. Indulgentiarum in *Mediolanen.* 14 Sept. 1904 ad 1. Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. *Sj,* pag. 394 *(N. R.).*

(3) Ita ex singulari privilegio Sodalitates SSmi Sacramenti et Doctrinae christianae institui valent in singulis quoque paroeciis, iuxta decreta S. C. Indulgentiarum in *Lemovicen.* 22 Aug. 1842, n. 308 ad 3, et in *Cameracen.* 12 Iulii 1847, n. 343 ad 2. Imo Sodalitas Filiarum Mariae ubique locorum, nulla habita ratione distantiae, fundari potest ad tramitem decreti eiusdem S. C. *Urbis et Orbis* 30 Aug. 1866, n. 416. Cfr. Decreta authentica S. C. Indulgentiarum, Pustet, a. 1883 *(N. R.).*

distinctis, dummodo in unoquoque loco seu oppido haberetur etiam propria paroecia (i).

3°. Ex hodierna disciplina lex distantiae non est amplius urgenda, sed unice attendendum est quod locum seu oppidum nomine, territorio et paroecia ab aliis discriminetur (2).

4°. Consentiente Episcopo simplex translatio confraternitatis de una ad aliam ecclesiam etiam ab ipsis confratribus regulariter fieri potest (3); suppressio vero nonnisi ab auctoritate ecclesiastica erectionis decerni valet; quinimo pro confraternitatis translatione cum omnibus suis bonis requiritur praeterea beneplacitum Apostolicum.

5°. Quum autem Birchircarae dumtaxat unica extat paroecia, nonnisi una confraternitas eiusdem generis institui potest, ad quam insuper prae Capitulo Collegiali ius habent Carmelitae Discalceati.

6°. Quamvis enim rigore iuris confraternitas in casu transferenda esset in ecclesiam PP. Calceatorum ob clausulam in eiusdem erectione appositam, attamen aequitate suadente eius translatio decernitur ad ecclesiam PP. Excalceatorum, eo vel magis quod PP. Calceati aliam Carminis confraternitatem in oppido S. Iuliani, tamquam in paroecia suo territorio a Birchircara separata, fundare valent.

(1) **Cfr. Decreta S. C. Indulgentiarum in** ***Lauden.*** 31 **Ian.** 1893 **ad** 4, **et in una** ***Ordinis Praedicatorum*** *10* **Maii** 1896 **ad** 3, **quae respective prostant in** ***Actis S. Sedis,*** **vol.** 25, **pag.** 5o9-5n, **et vol.** 28, **pag.** 751. **Quinimo in citata** ***Ordinis Praedicatorum*** **ad** 4 **Sanctitas Sua Ordinariis locorum tribuit facultatem plures erigendi confraternitates eiusdem nominis, pro eorum arbitrio et prudentia, in magnis civitatibus, quae unam tantum communitatem constituunt, servata dumtaxat in hisce erectionibus convenienti, eorum iudicio, distantia** ***(N. R.).***

(2) **Cfr. Wernz** ***(Ius Decret., tom.*** *3,* ***pag. jgy, n.*** *708* ***ad*** *2* ***et*** *3).* **Non sunt proinde audiendi nonnulli moderni auctores, qui docent etiam hodie requiri distantiam trium milliariorum, seu unius circiter leucae, vel unius horae.** ***(N. R.).***

(3) **Cfr. Bassi** ***(De Sodalitiis, quaest, g)*** **aliique ab eo citati, nec non Ferraris** ***(Bibl. can., v.*** **Confraternitas,** ***art. i, n. 56),*** **Zamboni** ***(Collectio decl. S. C. C, tom.*** *3,* ***v.*** **Sodalitium), Wernz** ***(Ius Decret., tom.*** *3,* ***p.*** *8o3,* ***n. yi6) (N. R.).***

# EX S. CONGREGATIONE CONCILII

## LUCANA

### EMOLUMENTORUM

**Iura stolae ad solum parochum, aiia vero emolumenta incerta etiam ad vice-parochum pertinent.**

**Species facti.** In civitate Lucana extat pium Opus, vulgo *Regii Spedali ed Ospizii di Lucca,* ab Administratione laica dependens et variis conflatum hospitalibus et ecclesiis cum propriis cappellanis, quae subsunt iurisdictioni parochi ecclesiae S. Lucae in eodem Instituto primariae. Anno 1898 parocho Raphaeli Ceccarini uti vice-parochus deputatus fuit sac. Paulus Fanucchi, qui sibi vindicare coepit ius ad dimidiam partem incertorum parochialium. Verum, renuente parocho, quaestio ab Archiepiscopo remissa fuit cuidam Commissioni consultivae doctiorum sacerdotum *Congregazione Sinodale* nuncupatae, quae reapse a. 1900 opinamentum vice-parocho favorabile dedit. Cum autem huic iudicio parochus acquiescere detrectaret, vice-parochus recursum obtulit ad laicam hospitalium Administrationem, quae a. 1901 pariter favore recurrentis sententiam tulit. Et quamvis Archiepiscopus dictam Administrationem monuisset, quod decisio Congregationis synodalis erat mere consultiva et hinc causa apud Curiam adhuc pendebat, eadem tamen Administratio resolutionem suam parocho indixit, qui deinde provocavit ad superiorem provinciae Commissionem vulgo *Giunta provinciale,* necnon ad S. Sedem contra praetensiones vice-parochi et votum Commissionis synodalis.

Interim ab H. S. C, monito prius vice-parocho ut suae conscientiae consuleret ob recursum ad iudices laicos et ne uteretur sententia ab iisdem prolata, impositum fuit litigan-

tibus ut nuntium mitterent prosecutioni 'actorum civilium et sua iura expedirentur apud Curiam Lucanam. At quum huic mandato non paruisset vice-parohus, Commissio provinciae suam sententiam prioribus conformem publicavit, quam vice-parochus parocho indixit. Tandem Curia archiepiscopalis die 25 Maii 1903 suam iudicialem sententiam, parocho faventem, emisit edicendo : « *che il curato della chiesa di S. Luca.... è nel diritto di percepire e ad esso appartengono tutti gli emolumenti ed incerti dipendenti dal suo officio di parroco da lui esercitato e ad esso inerenti....* ». Contra quam sententiam vice-parochus ad H. S. C. appellavit.

**Defensio parochi.** Vicarius curatus omnia incerta et emolumenta parochialia sibi vindicat ex iure communi, ex consuetudine et ex congruentia.

Quoad primum citat Leurenium *(For. benef., part. i, q.* ***463,*** *n. 2),* qui ait: « Oblationes de iure communi spectant ad parochum seu presbyterum ecclesiae rectorem » ; et in hoc principio admittendo iuxta Bouix *(De parocho, part.* ***4,*** *cap. p, § i, q. 2)* concordant omnes doctores. Quin imo hoc parochi ius extenditur **etiam** ad casum, quo ipse alium deleget ad muneris paroohialis exercitium, iuxta Bouix *(loc. cit.),* vel utatur cooperatoribus aut vice-parochis, iuxta Ojetti *(Synopsis, v.* Iura stolae). Et ratio est quia, ut ait Reiffenstuel *(lib.* ***3,*** *tit. jo, § p, n. i po)* parochus tamquam primarius ecclesiae parochialis minister habet intentionem fundatam in iure pro perceptione omnium oblationum, quae obveniunt intra limites suae paroeciae. Atqui rector ecclesiae S. Lucae suam iurisdictionem explicat et omnia munera parochialia ad instar veri parochi exercet super omnibus personis in Instituto degentibus; in Bullis nominationis deputatur « pro exercitio curae animarum dictorum hospitiorum » ; in actis S. Visitationis vocatur parochus, et ecclesia S. Lucae nuncupatur paroecia, quae, licet adsit in territorio paroeciae S. Paulini, ab eius tamen iurisdictione exempta extat.

Occurrit deinde ad diluendas nonnullas difficultates, quarum prima est quod haec paroecia destituatur territorio contra dispositionem Conc. Trid. *(Sess.* ***24,*** *cap. iß de Reform.),* altera est quod ecclesiae.rector beneficio parochiali careat, et tandem quod ipse non sit perpetuus sed amovibilis. Ad primam reponit quod iuxta Glossam *(in Clement., Dudum* ***2,*** *tit. y, lib. ß, ad v.* Impendant), quam sequuntur doctores omnes, uti videre est penes Bouix *(De parocho, part. i, sect.* ***2,*** *cap. p, §* ***2),*** qualitas parochi exoritur ex obligatione tum parochi administrandi sacramenta tum fidelium ab eodem ea recipiendi ; designatio vero fidelium non solum fit ratione territorii, sed etiam ratione personarum vel familiarum, uti tradunt Ursaja *(Discept, eccl., tom. 8, part. i, disc.* ***24),*** Ferraris *(Bibl. can., v.* Parochia, *n. ly)* et alii. Atqui, ait parochus, haec determinatio vel ab ipsa exemptionis Bulla a. 1262 statuitur hisce verbis: «Ipsum hospitale.... cum toto territorio et totam familiam... sub nostra potestate... recipimus ». Hinc Conc. Trid. intelligendum est de locis, in quibus haec paroeciarum designatio fieri valeat, quum inibi additur : « aut alio utiliori modo, prout loci qualitas exegerit, provideant *(Ordinarii)* ». Praeterea ad constitutionem paroeciae non est necessaria beneficii assignatio ; quia erigi potest ecclesia in paroecialem, quin ullum fundatum fuerit in hunc finem beneficium, uti tradunt Bouix *(loc. cit., part. i, sect. ß, cap. ß,* ***§ 2,*** *prop. i),* Fagnanus *(Lib. ß, cap. Ad audientiam ß, de ecclesiis aedif, n. 6 et y).* Neque ad constitutionem parochialitatis est de essentia perpetuitas et inamovibilitas rectoris, sicuti docent Bouix *(loc. cit., prop.* ***2),*** D'Annibale *(Summula, vol. ß, lib.* ***2,*** *tract.* ***2,*** *cap. ß, art. i, n.* ***4Jo),*** Berardi *(Examen pro conf es s. et par oc h., n.* ***1459).***

Sed dato etiam quod in rectore S. Lucae non concurrant omnia extrema ad verum parochum constituendum, saltem haberi deberet tamquam deputatus loco parochi, uti tradunt de sacerdotibus curae animarum praepositis in hospi-

talibus Bouix *(App. 1, cap. 4, q. i et 2),* Wernz *(Ius decret., tom. 2, tit. 39, n. 841)* etc.

Gradum faciens deinde parochus ad argumentum consuetudinis, hanc evincit tum ex 22 testium depositionibus fide dignis et nonnullis etiam iuramento firmatis, qui asserunt controversa emolumenta semper a parochis S. Lucae fuisse percepta exclusis vice-parochis, tum ex aliis documentis desumptis a quodam libro inscripto *Bacchetta di diversi ricordi per la sagrestia di S. Luca,* in quo varia allegantur facta circa memoratam consuetudinem vigentem. Quapropter etiam ex titulo consuetudinis plusquam centenariae parochus sibi vindicare potest dicta incerta iuxta Bouix *(loc. cit., part. 4, cap. 9, § i).* Caeterum, quum parochus intentionem in iure fundatam habeat pro incertis parochialibus, contrariam consuetudinem potius ex adverso probandam esse **(Subdit.** Haec autem probata non fuit a vice-parocho, sive quia ex undecim attestationibus contra adductis nonnullae non loquuntur de incertis, aliae vero de emolumentis, quae ipse, dum munere vice-parochi fungebatur sub parocho Ragghianti, percepit **vi** remunerationis ob laborem extraordinarium, reliquae sex eliduntur a testibus iam a se allatis.

Demum descendens parochus ad argumentum aequitatis et convenientiae, ait quod propria assignatio nitida est tantum lib. 802, dum illa vice-parochi assurgit ad lib. 749, quibus addendae sunt lib. 240 ab alio hospitio perceptae.

**Defensio vice-parochi.** Sacerdos Fanucchi totus est in refutandis a parocho adductis argumentis. Sane ex adverso statutam theoriam, quod incerta et oblationes ita pertineant ad parochum, ut ab ipsis exclusi maneant omnes alii sacerdotes etiam parochi coadiutores, non respondere contendit iuris canonici sanctionibus. Nam iuxta Reiffenstuel *(Ius can., lib. 3, tit. 30, n. 179 et 194)* oblationes dantur a fidelibus vel in ecclesia vel in territorio paroeciali ad hoc ut cedant in usum ecclesiae vel ipsius ministrorum ; quare ipsae

parocho proprie non spectant, sed tantum earum administratio seu erogatio in finem a fidelibus intentum, vel iuxta consuetudinem loci. Hinc nonnullae oblationes sunt reservatae imaginibus, ecclesiae, etc.; aliae vero parocho, e. g. pro sacramentis, funeribus aliisque sacris functionibus. Quinimo hae eatenus dicuntur spectare parocho, quatenus ex iure supponitur unicum tantum in ecclesia parochiali ministrum extare; sed alia profecto res esset, si plures haberentur in ea ministri praesertim vice-parochi, quia tunc etiam in ipsorum usum cederent. Ratio est quia emolumenta dantur tamquam correspectivum stipendium pro labore et impenso exercitio curae animarum ; in quo fungendo, et vice-parochi concurrunt; ergo et ipsi ad hanc divisionem sunt admittendi, quemadmodum de coetero adest consuetudo in tota dioecesi.

Deinde arice-parochus, transiens ad consuetudinem ex adverso allatam, sustinet imprimis parochum Ceccarini, dum erat vice-parochus sub curato Ragghianti, incerta consecutum fuisse non ex quadam compensatione sed ratione iustitiae, uti duo deponunt testes et uti apparet etiam ex eo quod parochus Ragghianti, exceptis postremis vitae mensibus, maxima diligentia proprio officio semper vacavit. Praeterea attestationes contrarias reiicit aut parvipendet tamquam suspectas, vel incertas vel saltem inutiles; argumenta vero deprompta ex libro, cui titulus *Bacchetta* etc., uti inconcludentia habet, quia ostendunt tantum quod parochi S. Lucae percepiebant incerta, non autem quod cum vice-parochis non dividebant. E contra, prosequitur ipse, testes a se adductos de incertorum divisione clare loquuntur; eosque singillatim enumerat. Igitur in liquido posita existentia huius consuetudinis petit ut haec recognoscatur et sanciatur, quia « de primo ad ultimum in materia oblationum attendenda est legitima locorum consuetudo », uti docet Ferraris *(Bibl. can., v.* Oblationes, *n. ßi)* citans Rotam *(part. j, tom. i, dec. ßj, n. iß Recent.),* et Barbosa *(De parocho, part. ß, cap. 24, n. ßi).*

Tandem sustinet rectorem S. Lucae non esse verum parochum in sensu iuridico, sed merum deputatum ad nonnullas functiones parochiales, tum quia exemptio hospitalium a iurisdictione parochi non aequivalet creationi novae paroeciae, tum quia eidem deest autonomia et perpetuitas, quae requiritur ad verum parochum constituendum, quum nominetur et dependeat a praeside hospitii et ab eo ad nutum amoveri possit.

**Dubium.** *An sententia Curiae archiepiscopalis Lucanae diei **2j**; Maii ipoß sit confirmanda vel infirmanda in casu.*

**Resolutio.** S. C. Concilii, re mature perpensa, die 17 Decembris 1904 rescribendum mandavit:

*Sententiam esse confirmandam taxative quoad iura stolae.*

## Colliges

i°. Oblationes omnes, quae intra limites paroeciae a fidelibus intuitu religionis fiunt ut in usum ecclesiae vel ministrorum cedant, de iure communi ad parochum pertinent; nisi aliter constet ex consuetudine aut offerentium voluntate.

2°. Praeter huiusmodi spontaneas et liberas oblationes, quas fideles ultro faciunt, recensentur et oblationes debitae nuncupatae, quas fideles tenentur sacerdotibus tradere intuitu sacri ministerii, quaeque emolumenta parochialia vocantur.

3°. Haec autem emolumenta dividuntur in stricte vel late parochialia. Incerta stricte parochialia seu iura stolae sunt quae pro baptismis, proclamationibus, rhatrimoniis, sepulturis testimonialibus etc. exiguntur; quaeque ad solum parochum regulariter spectant. Incerta late parochialia seu mere sacerdotalia, quae dantur pro aliis sacris functionibus, ex. gr. novenariis, funeralibus etc., ad coeteros quoque presbyteros praesertim parochi coadiutores pertinere possunt.

4°. Verus et proprius parochus est qui curam animarum sibi commissarum nomine proprio gerit; unde de essentia parochialitatis non censentur perpetuitas et inamovibilitas.

5°. In casu rector ecclesiae S. Lucae uti parochus vel saltem ad instar parochi merito est habendus; hinc ipsi soli competunt iura stolae, alia vero incerta etiam vice—parocho.

## SABINEN.

### REFECTIONIS EXPENSARUM

De cessione iuris decimandi in foro ecclesiastico valida, sed facta absque solemnitatibus a iure civili praescriptis.

Capitulum Cathedrale Sabinense iure decimandi pollebat super latifundio vulgo *di Montecalvo o Viconovo.* Publicato a. 1860 decreto dictatöriali Pepoli, latifundii possessores hoc ius impugnare coeperunt; hinc Capitulum pluries insistit apud eosdem possessores quin usque ad a. 1885 aliquod emolumentum reportaret. Ad litis itaque molestias et expensas devitandas iura sua tuenda delegavit primum canonico Pagani et dein canonico Felli; sed cum susceptum negotium in pessum iret atque canonicus Felli declarasset se promptum esse ad litem suo nomine prosequendam dummodo Capitulum sibi iura sua cederet, resignado revera facta est a. 1889 cum nonnullis conditionibus de consensu partium positis, inter quas: « *che la cessione non abbia vigore finche, ove occorresse, non si fosse avuto il beneplacito Apostolico; e che verificata la legalità e regolarità della cessione il primicerio Felli fosse obligato a favore del Capitolo...* ».

Emus Episcopus Sabinensis, habito beneplacito Apostolico per rescriptum S. Ç. EE. et RR. diei 6 Dec. 1889, quo tributa est facultas « providendi super praemissis cum pactis et conditionibus in omnibus iuxta preces », decretum executoriale edidit concedens oratoribus facultatem « deveniendi ad enunciatam iuris decimandi cessionem.... cum omnibus pactis et conditionibus.... ». Tunc partes die 5 Ian. 1890 conventionem stipulatae sunt, vi cuius obligabantur: « *di accettare, osservare e ratificare tutte le condizioni della cessione...;*

*e che il Sig. Primicerio Felli prosegua le cause della rivendica delle decime di Viconovo o Montecalvo a nome dello stesso Capitolo però a sue spese esclusive ».*

Hinc sac. Felli iura sua experiri sategit primum apud tribunal Reatinum, dein apud tribunal appellationis Perusinum, et tandem apud Supremam Aulam vulgo *di Cassazione ;* sed adversam semper tulit sententiam. Interea Capitulum cum probe nosceret eius nomine licet apparenter causam agi, ad molestias effugiendas pluries institit apud eumdem Felli ut scriptam declarationem emitteret ei tradendam, qua clare constaret non Capituli nomine sed proprio litem suscepisse. At incassum; quia ipse hanc Capituli petitionem eludebat speciosis verbis, usque dum clare sese opposuit. Exhaustis vero omnibus conatibus ad conciliationem obtinendam, Capitulum huic S. C. rem detulit.

**Allegationes Capituli.** Eiusdem procurator evincere nititur verum contractum bilateralem in casu extitisse, quum ex parte Capituli adfuerit cessio iuris decimandi, et ex parte can. Felli acceptatio cessionis cum conditione praecipue illud iudicialiter propriis expensis vindicandi ; quapropter applicari potest decisio S. Rotae *(Dec. 148, n. 6 coram Riminaldo):* «In correlativo contractu iniquum est quod quis exequi postulet quidquid sui favore stipulatus sit, quae vero contraria réfugiât ». Quin aliquid obstet obiectio a can. Felli proposita, quod ipse agere non poterat pro vindicatione iuris cessi, quia cessio iuxta leges civiles invalida erat, utpote destituta regularitate et legalitate civili. Reponit enim procurator quod cessionis legalitas, praeterquamquod ad tramitem iuris canonici est dimetienda seu subordinate ad beneplacitum Apostolicum, sine quo alienatio bonorum seu iurium ecclesiae regularis et legalis esse nequit, impedimentum parare non poterat, sicut de facto non paravit, cum ipse licet apparenter ageret in iudicio ex persona Capituli, insuper de dicta civili formalitate nunquam habita fuit ratio, nec in cessionis con-

tractu, nec in subsecuta cessionis pontificia ratificatione, neque ipse unquam Capitulum urserit pro ea obtinenda, quinimo, nonnullas conditiones in cessione appositas executioni commisit, uti de dimissione peracta aeri alieno Capituli quod sibi persolvendum assumpserat, item pluries se promptum declaravit ad Capitulum relevandum a molestiis cuiusdam advocati nondum soluti, necnon solvit tributum vulgo *di ricchezza mobile* quod gravabatur super exercito iure decimandi Capituli. Unde concludit defectum civilis legalitatis esse ihtempestivum adversara commentum ad damna evitanda.

Posita igitur cessionis validitate in foro ecclesiastico et conscientiae, can. Felli verus causae dominus effectus est, quamvis ob non intervenías civiles solemnitates uti talis non desierit esse Capitulum coram lege civili; quapropter sequitur quod ipse uti litis cessionarius non solum omnes expensas et damna inde secuta supportare debet, sed etiam Capitulum relevare ab omnibus molestiis per singrapham in forma iuris civilis validam, qua declaret litem nomine suo gestam fuisse et Capitulum ab ea fuisse extraneum.

**Allegationes canonici.** Sac. Felli praemittit relate ad cessionem iuris decimarum se primo et iterum petiisse a Capitulo tamquam conditionem sine qua non ad eius valorem, ut stipulatio fieret per publicum actum, quia deficiente dicta solemnitate ipse in qualitate cessionarii agere non poterat pro vindicatione iuris decimandi. Iuxta Felli, Capitulum tunc sese obligavit ad hanc solemnitatem quamprimum praestandam, facta interim sibi facultate nomine Capituli acta iudiciaria prosequendi. Emissis vero a tribunali civili contrariis sententiis, Capitulum iterum iterumque instituit pro obtinenda declaratione in foro civili valida, sed, quum ob non secutam cessionem legalem, ipse uti purus Capituli mandatarius egerit, sese opposuit relationi declarationis praetensae. Praesumendum enim erat quod Capitulum, quum ad conventam cessionem per actum publicum stipulandam nunquam devenerit,

a facta promissione recessisset ac per mandati continuationem mansisset dominus litis. Hinc cum omnes expensas et iudicii consectaria ferre debeat Capitulum, petita ab eodem declaratio utpote absurda omnino est respuenda.

**Dubium.** *An sacerdos Felli teneatur ad emittendam declarationem petitam a Capitulo Cathedrali Sabinensi in casu.*

**Resolutio.** Et S. C. C, re mature perpensa, die 17 Decembris 1904, rescribendum putavit:

*Affirmative et ad mentem et amplius.*

## Colliges

i°. Contractus est duorum vel plurium in idem placitum consensus contrahendae vel distrahendae obligationis causa.

2°. Contractus iuxta sacros canones initus, etiam absque solemnitatibus a iure civili praescriptis, est validus vimque obligandi habet in foro ecclesiastico et conscientiae.

3°. Formalitates civiles, quae quoad fieri potest unquam omittendae sunt, requiruntur tantummodo pro effectibus civilibus obtinendis.

4°. Contractus cessionis, quum sit quaedam alienationis species, iisdem canonicis normis ac alienatio regitur.

5°. Alienatio autem bonorum Vel iurium ecclesiae fieri nequit, nisi iusta de causa et debitis servatis solemnitatibus, praesertim vero obtento beneplacito Apostolico.

6°. In themate cessio iuris decimandi legalis et valida fuit, ac proinde Capitulum Cathedrale Sabinense ex tunc acquisivit ius ut relevaretur, etiam coram lege civili, ab omnibus expensis et damnis inde secuturis.

## SIGNINA

### DISTRIBUTIONIS

Mansionariis impetere nequit decretum maioris partis Capitularium respiciens massam communem distributionum.

**Facti species.** Ex privilegio tertiariae, quo gaudet Capitulum ecclesiae Cathedralis Signinae, necnon ex valetudinis aut alterius incommodi praetextu pauci admodum canonici et beneficiati publicis supplicationibus Litaniarum Maiorum interfuerant. Hinc in Synodo dioecesana a. 1860 lex sancita fuit ut universus clerus dictis processionibus interesse teneatur sub poena lib. 1,50; sed haec muleta numquam applicata fuit. Anno autem 1901 Capitulum ulterius decrevit ut singulis canonicis praefatis processionibus interessentibus dimidium libellae, beneficiatis autem cent. 25 pro unaquaque vice ex massa communi ceu praemium assignarentur. Haec alliciendi ratio suum consecuta est effectum ; contra eam tamen querelas movit clericus beneficiatus Paschalis Iannucci, et ab H. S. C. revocari petit.

**Deductiones beneficiati.** Sac. Iannucci in primis impetit Capitularem decisionem utpote contrariam citatae praescriptioni synodali fundatae in Conc. Trid. *(Sess.* ***2ß,*** *cap. iß de Regul.),* quod praescribit, omnes clericos tum saeculares tum regulares etiam exemptos ad interveniendum publicis processionibus ab Episcopo compelli. Per huiusmodi enim actum Capituli dum ex una parte videtur remitti muleta synodalis negligentibus Capitularibus, ex altera hi alliciuntur ad muniis suum implendum sub quadam avaritiae specie, quum id peragant non intuitu officii et religionis sed potius lucri; hoc autem incongruum apparet etiam ex eo quod omnes alii clerici ipsaeque laicorum sodalitates processionibus intersunt nullo proposito pecuniario praemio.

Insuper advertit in dicto coetu Capitulari actum esse de assignatione portionis massae communis favore choralium

processionibus interessentium. Iam vero ad illam massam cum omnes componentes Capitulum ius habeant, nihil decerni poterat singulis membris non auditis vel etiam invitis; quia iuxta notam iuris regulam : *quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari.* Hoc principium eo fortius in themate est applicandum, quia per propositam portionis massae distractionem praeiudicium choralibus infirmis affertur, qui ut alii canonici vel praebendati ius habent ad ipsius participationem, uti constat ex *cap. unie. De chr. non resid. in* ***6°,*** et ex Conc. Trid. *(Sess. 24, cap. 12 de Reform.).,* Neque Capitulum se tueri potest invocando dispositionem *(cap. i De his quae fiunt a maiori parte Capituli),* in qua ad instar regulae ita statuitur: « Praevaleat semper et suum consequatur effectum, quod a maiori et saniori parte Capituli fuerit constitutum > ; nam Maschat *(Inst. can., lib.* ***3,*** *tit. u, n. f)* varias refert exceptiones, ut e. g. si agatur de actibus merae facultatis et donationibus liberalibus, praesertim vero de actibus non necessariis et utilibus : « At si id, de quo agitur, applicandum sit operi extraneo, specialiter non necessario vel utili, maior pars nihil potest decernere in praeiudicium minoris; sed etiam unus contradicendo impedire potest tale decretum ». Iam vero applicatio portionis redituum massae communis in themate nedum non est necessaria et utilis, cum iam satis sit provisum per mulctam a Synodo decretam et legem punctaturae vigentem, sed etiam est praeiudicialis et exitialis choralibus infirmis.

**Deductiones Capituli.** Canonici praemittunt beneficiato Iannucci ius non esse impugnandi capitularem resolutionem, quia ipse cum non sit canonicus a capitularibus conventibus est extraneus, uti eruitur ex Constit. Capitularibus : « In eo Capitulo nullus alius locum habeat nisi soli canonici» (i).

(i) Non solum vi iuris particularis in ecclesia Cathedrali Signina vigentis sed etiam attento iure communi mansionarii et beneficiati non censentur de

Hinc est quod beneficiatis tantum spectat parere ordinationibus a Capitulo factis circa ecclesiae servitium, ut tradit Pignatelli *(tom. 6, cons. 49, n. 2).*

Deinde denegant inter synodalem legem et capitularem actum contradictionem adesse; tum quia lex synodalis mulctam applicans est generalis pro tota dioecesi et pro omnibus processionibus, e contra Capituli ordinatio afficit tantum membra ecclesiae Cathedralis et taxative respicit quatuor processiones nempe S. Marci E. et Rogationum, tum quia haec synodalis muleta ob nunquam factam applicationem in desuetudinem abiit. At posito etiam quod synodalis lex mulctatitia adhuc vigeret, non ideo sequitur decisionem Capitularem ei repugnare ; idem enim est scopus utriusque legis,

Capitulo. Rubeus enim *(Singularia ex Rotae decisionibus, tom. 2, p. 2g)* docet: « Rota saepius approbavit, etiam de iure communi, quod Capitulum constituunt soli canonici, et non portionarii... et hanc opinionem doctores communiter sequuntur », qui innituntur praesertim in *cap. 4 Dents quae fiunt a Praelatis,* in quo traditur solos canonicos, qui ibidem fratres Episcopi appellantur, constituere unum corpus cum Episcopo. Card. Petra *(Comm. in i Const. S. Leonis M., tom. i, sect. 2, n. 11)* citat decisiones Rotae necnon doctores. Praefata tamen regula, prosequitur idem Rubeus: «limitatur communiter ut non procedat ubi statuto vel consuetudine aliter cavetur, scilicet portionarios esse de Capitulo ». Et Bouix *(De Capitulis, part. i, sect. 2, cap. i, n. 7)* postquam tradiderit etiam dignitates nonnisi statuto vel consuetudine esse de Capitulo, addit: «Est tamen dignitates inter et coeteros dictos *(nempe beneficiatus, capellanos et portionarios)* magnum discrimen. Nam dignitates solent ex statuto vel consuetudine esse de Capitulo, ita ut in Italia, testante Cardinali Petra, id regulariter locum habeat, et in aliis regionibus frequenter. At contra rarissimum est ut ex statuto vel sufficienter probata consuetudine, ad coeteros supradictos pertineant iura canonicalia ». Unde cum Wernz *(Ius Decr., tom. 2, tit. 36, n. Jj3)* dicendum est quod: « dignitates ex disciplina vigente in Capitulis receptae potius de gremio Capituli esse dicantur »; et cum Santi-Leitner *(Prael. iuris can., lib* 3, tit. n, n. 1):* « ex lege peculiari alicuius ecclesiae aut ex consuetudine beneficiati aliique clerici possunt ius habere interveniendi capitularibus congregationibus, praesertim si massam communem habeant cum canonicis, et agatur de negotiis ad eamdem massam spectantibus, quemadmodum censuit S. C. G. in *Astensi* d. 12 Iulii 1682 ». Cfr. etiam Wernz *(loc. cit., n. 7y5) (N. R.).*

compellere nimirum renitentes ad processionum interessentiam sive per mulctae inflictionem sive per praemii impositionem.

Post haec Capitulum accedit ad alteram difficultatem diluendam, quod nempe cum dicta distributio sit desumpta ex massa communi et infirmis sit praeiudicialis, decerni non poterat absque omnium Capitularium consensu iuxta regulam iuris: *quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari.* Sane in *cap.* ***I,*** *De iis quae fiunt a maiori parte Capituli* statuitur regula generalis: « Quod a maiori et saniori parte Capituli fuerit constitutum praevaleat semper et suum consequatur effectum, nisi a paucioribus et inferioribus aliquid rationabiliter obiectum fuerit et ostensum». Atqui in casu irrationabile dici nequit votum ea de causa emissum ut in praefatis processionibus obtineretur debitum Capituli decus et populi admiratio amoveretur; quinimo uti maxime utile et necessarium est habendum. Hinc regula iuris 29 in 6°: *Quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet,* intelligenda tantummodo est de bonis ad singulos canonicos pertinentibus *iure proprio,* non autem, ut in casu praesenti, *iure collegii.* Ad rem audiatur Reiffenstuel *(de Reg. Iuris in 6°, reg. 29):* « Regula praesens intelligenda venit de eo dumtaxat quod omnes ut singulos, non autem de eo quod omnes ut universos tangit... Plures vel omnes ut *singulos* seu singillatim et distributive sumptos aliquid tangere idest competere et pertinere dicitur, quando quivis in specie ac in individuo in illo ius habet, sicque de iure et praeiudicio cuiusvis directe, primario ac principaliter agitur... Plures vel omnes ut *universos* seu collective et collegialiter sumptos aliquid tangere idest competere et pertinere dicitur, quando illud non ad quemvis in specie aut individuo sed ad totum collegium, communitatem, monasterium, capitulum pertinet ; sicque de totius communitatis et collegii iure ac praeiudicio directe, primario et principaliter agitur, quamvis indirecte, secundario ac minus principaliter de singulorum iure et praeiudicio agatur ». Cfr. Barbosa

*(Collect. Doct. in lib. j sexti Decr., tom. 4, de Reg. iuris 29),* Bouix *(De Capitulis, part. i, sect. 4, cap. i, § 4)* etc.

**Responsum.** S. C. Congregatio die 21 Ianuarii 1905 rescripsit: *Lectum.*

## Colliges

i°. Attento iure communi beneficiati et mansionarii non censentur de gremio Capituli, nisi particulari statuto vel legitima consuetudine aliter caveatur.

2°. Iuxta iuris textum: *Praevalet semper quod a maiori et saniori parte Capituli fuerit constitutum,* ad valorem actuum Capitularium regulariter sufficit maioritas suffragiorum.

3°. Huic generali principio praecipua exceptio inducitur a regula 29 iuris in 6°: *Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari,* vi cuius requiritur omnino unanimitas votorum in iis negotiis, quae singulos Capitulares principaliter et directe concernunt.

4°. Praemia pecuniaria seu distributiones ac punctaturae per se non redolent avaritiae speciem, quum non excludant primarium finem, propter quod invectae sunt, augmentum nempe divini cultus.

5°. Maior pars Capituli decernere valet de redditibus massae communis in necessitatem vel utilitatem propriae ecclesiae, necnon in causam piam, praesertim quando agitur, uti in themate, de augendo cultu divino.

6°. Recursus beneficiati Iannucci per formulam *Lectum* dimissus fuit, quia, praetermissa sat ridiculae summae entitate, nullo iuridico fundamento innitebatur.

# EX S. CONGREGATIONE RITUUM

## VIVARIEN.

### De celebratione festi Beati Ioannis Baptistae Vianney.

Revmus Dnus Episcopus Vivariensis a Sacrorum Rituum Congregatione humiliter postulavit:

I. An festum Beati Ioannis Baptistae Vianney possit celebrari etiam hoc anno iuxta Indultum seu decretum *Dioecesium Galliae* 12 Aprilis 1905? (i).

II. An festum Beati I. M. Vianney, sub ritu duplici minori, celebrandum sit die quarta Augusti, quae est dies obitus Beati, et proinde festum S. Dominici, sub ritu duplici maiori, transferendum sit iuxta Rubricas, quia haec dies non est dies obitus S. Dominici?

Et Sacra eadem Congregatio ad relationem subscripti Secretarii, audito etiam voto Commissionis Liturgicae, respondendum censuit:

Ad I. *Affirmative,* si commode fieri potest.

Ad II. *Negative,* iuxta Decretum Generale n. 3811 *Super duobus festis seu Officiis eadem die occurrentibus ài.* d. 21 Novembris 1893 ad II (2), et festum B. Ioannis Baptistae Vian-

(1) **Cfr.** ***Acta S. Sedis,*** **vol.** ***3y,*** **p.** 661.

**(2) Quod ad II ita se habet: « Si ex duobus festis, quorum alterum sit antiquum, alterum novum, unum sit in die natalitia, aliud in quasi-natalitia, illud ceteris paribus huic praeferatur. Si vero quod est in die quasi-natalitia fuerit potioris ritus, aut aequalis quidem sed proprium, vel primarium, vel potioris dignitatis, alteri praeferatur, quod die prima libera reponetur iuxta Rubricas ». Iuxta idem Decretum ad V dies natalitia intelligenda est illa, qua iidem Sancti aeternam ingrediuntur vitam ; dies quasi-natalitia autem illa, quam S. Sedes eligit extra natalitiam ad liturgica festa recolerida. Iamvero festum S. Dominici est in die quasi-natalitia et, utpote duplicis maioris, est potioris ritus quam festum B. Ioannis Baptistae Vianney, quod est in die natalitia sed, utpote duplicis dumtaxat minoris, est inferioris ritus. Necesse denique non est animadvertere hodiernum decretum nonnisi Gallias respicere *(N. R).***

ney in casu esse transferendum in diem primam sequentem liberam iuxta Rubricas.

Atque ita rescripsit. Die 12 Maii 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. ✠ S. † D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

## PLACENTINA IN HISPANIA

**Dubia circa anticipationem recitandi Matutinum sive privatim sive choraliter.**

Hodiernus Revmus Episcopus Placentinus in Hispania Sacrorum Rituum Congregationi reverenter exposuit:

Ex controversia abhinc paucis annis exorta circa horam qua Matutinum pro insequenti die incipi possit, asserentes quidam talem horam esse secundam pomeridianam, negantes alii, eamque protrahentes ad dimidietatem vesperae, prout in Directoriis dioecesanis praescribitur, quandam anxietatem non parvipendendam oriri inter obstrictos ad Divinum Officium. Quapropter idem Revmus Episcopus sequentia dubia solvenda subiecit:

I. Utrum in privata recitatione Matutinum pro insequenti die incipi possit hora secunda pomeridiana, aut standum sit tabellae Directorii dioecesani omni tempore?

II. Utrum etiam in publica seu chorali recitatione Officium incipi possit hora secunda pomeridiana?

III. Utrum hora recitandi Matutinum annumerari queat indiscriminatim ex meridiano circulo locali, aut ex meridiano circulo officiali dicto *Greenwik*, qui quidem anticipat horam circuli localis per tertiam horae partem plus minusve?

Et Sacra eadem Congregatio ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, reque mature perpensa respondendum censuit:

Ad I. Consulantur probati auctores (1).

(1) Ex privilegio consuetudine inducto et ab Ecclesia approbato recitatio privata Matutini cum Laudibus diei subsequentis anticipari potest a vesperis prae-

Ad II. *Negative,* nisi habeatur Indultum.

Ad III. Ad libitum.

Atque ita rescripsit. Die 12 Maii 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. S. f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

## AGENNEN.

### De translatione festorum SS. Nominis et Cordis Iesu, Purificationis, S. Hilarii, deque Missa solemnitatis translatae vel Patroni seu Titularis.

Hodiernus Calendarii Agennensis Redactor, de consensu Revmi sui Ordinarii, Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia, pro opportuna solutione, proposuit:

cedentis diei. Praeterea proposito dubio: « Quanam hora liceat incipere privatam recitationem Matutini cum Laudibus vespere diei praecedentis », S. Congregatio Rituum per decretum *De Zacathecas,* 16 Martii 1876, n. 3391 respondit: « Privatam recitationem Matutini cum Laudibus diei subsequentis incipi posse quando sol medium cursum tenet inter meridiem et occasum ». Et quum ulterius quaesitum fuerit: « An praedicta resolutio ita intelligenda sit, ut ille non satisfaceret obligationi suae, qui Matutinum cum Laudibus vespere diei praececedentis recitaret priusquam vel medium cursum teneret inter meridiem et occasum », eadem S. C. in decreto *Petrocoricen.,* 13 Iulii 1883 (quod prostat quidem in veteri Collectione Gardelliniana sub n. 5883 ad 3, sed a nova Collectione authentica expunctum fuit) respondere censuit: « Consulantur probati auctores ».

Modo eadem quaestio reproposita fuit solvenda sub magis clara ac determinata formula, nihilominus S. Congregatio eamdem dedit responsionem, nempe: « Consulantur probati auctores ». Sacra igitur Congregatio quaestionem directe dirimere noluit, quum utraque sententia, de qua in precibus Exmi Oratoris, pluribus ac gravibus fulciatur tum intrinsecis tum extrinsecis momentis. Auctores autem, qui hinc inde contendunt, sunt probati imo videntur plus minusve numero et auctoritate pares. Utraque igitur sententia est probabilis, ac proinde sententia quoque benignior, quae tenet licitam et validam esse privatam Matutini cum Laudibus diei subsequentis recitationem hora secunda pomeridiana praecedentis diei, tuta conscientia amplecti potest. Qui demum eruditas dissertationes hac in re editas nosse cupiunt, adeant Ballerini *(Opus theol, mor., tom. 4', tract, g, cap. 2, n. 244)>* Nouvelle Revue Théologique *(tom. ig, pag. iqj, 2g4, 5o4, 633; et tom. 20, pag. ig4, 5oo, 5io, 635, 642)* et Ephemerides Liturgicae *(vol. 11, pag\ 323 et 383) (N. R.).*

I. An in ecclesia, ubi **S.** Felix (14 Ian.) est Patronus vel Titularis, festum S. Hilarii repqni debeat, tamquam in sedem propriam, in diem 19 Ianuarii, quae est dies infra Octavam, cum de S. Canuto nihil sit agendum? Et quatenus *affirmative,* an Calendarium particulare huic responsioni contrarium sit corrigendum?

II. An dies 28 Ianuarii adeo sit propria festo SSmi Nominis Iesu transferendo, iuxta decretum 6 Sept. 1895 **C')»** ut hoc festum poni nequeat in diem 19 Ianuarii, quae est dies infra Octavam v. gr. S. Hilarii Patroni et Titularis quando nempe Dominica II post Epiphaniam incidit in diem 14 Ianuarii, ut anno, proximo eveniet? Et quatenus *affirmative,* an Calendarium particulare sit corrigendum ut supra?

III. Utrum festum Purificationis cum Dominica Septuagesimae occurrens transferri debeat in diem 4 Februarii, quando scilicet feria II seu die 3 Februarii occurrit festum Patroni vel Titularis seu duplex primae classis, vel ulterius transferendum sit in primam diem non impeditam iuxta Rubricas?

IV. Quando festum SSmi Cordis Iesu die 29 Iunii occurrit, in diem 30 transfertur tanquam in sedem propriam. Quid vero in ecclesia propria S. Pauli, cuius festum est primae classis et primarium? Utrum festum SSmi Cordis transferri debeat iuxta Rubricas in proximam diem non impeditam, an potius in Dominicam, ne longius protrahatur, translato inde festo Pretiosissimi Sanguinis in feriam III sequentem?

V. An, ubi adest obligatio chori, si non cantetur Missa Officio conformis, in Missa solemnitatis in Dominicam trans-

(1) **In una *Acerrarum* diei** 6 **Sept.** 1895, **n. 3872 ad 2 propositum fuit dubium : « An et quomodo transferendum sit festum SSmi Nominis Iesu, quando occurrit cum supradicto festo Titularis ecclesiae *(nempe S. Felicis M.)* in Dominica II post Epiphaniam », et S. R. C. respondit : « Festum SSmi Nominis Iesu, in casu, transferatur ad diem 28 Ianuarii, nisi occurrat festum altioris ritus vel aequalis sed primarium ; quo in casu praedictum festum transferatur ad primam diem liberam non impeditam iuxta Rubricas » *(N. R.).***

latae fieri debeant commemorationes, et quaenam sunt illae commemorationes?

VI. An festo Patroni vel Tituli ecclesiae occurrente cum Dominica in Albis vel Trinitatis, possit cantari Missa Patroni vel Tituli praesertim ubi non adest obligatio chori, quum hae duae Dominicae non annumerentur in Rubrica Missalis de Translatione festorum?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, omnibusque sedulo perpensis respondendum censuit:

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. *Negative.*

Ad III. *Affirmative* ad primam partem, *negative* ad secundam (1).

Ad IV. Transferatur in Dominicam sequentem, translato festo Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C. in feriam III sequentem (2).

(1) Haec decisio eruitur ex Rubrica speciali Missalis Romani, ubi statuitur quod si festum Purificationis B. M. V. inciderit in aliquam ex Dominicis privilegiatis transferendum est « in feriam secundam immediate sequentem *(tanquam in sedem propriam)* quocumque festo aequalis non autem altioris ritus in eam incidente ». Atqui in casu festum occurrens in feria II seu die 3 Februarii est altioris ritus, quum, uti supponitur, sit duplex primae classis, dum e contra festum Purificationis sit tantum secundae classis. Quapropter in decreto *Mechlinien,* diei 7 Sept. 1850 ad 1, quod habetur in Collectione Gardelliniana sub n. 5151 sed desideratur in nova Collectione authentica, idem ut supra propositum fuit dubium, nempe: « Quaeritur utrum in illis locis vel ecclesiis, ubi die 3 Februarii occurrit festum duplex primae classis, festum Purificationis transferendum sit in diem 4 Februarii tamquam in sedem propriam vel ulterius transferendum in primam diem non impeditam», et eadem prodiit responsio, videlicet: « *Affirmative* ad primam partem, *negative* ad secundam » *(N. R.).*

(2) In decreto enim *Urbis et Orbis* diei 28 Iunii 1889, n. 3712, quo festum SSmi Cordis Iesu ad ritum duplicis primae classis elevatur, additur: «Idem festum feria VI post Octavam Corporis Christi, veluti in sede propria, recolatur; et nonnisi solemnitatibus primariis eiusdem ritus occurrentibus locum cedat: quibus in casibus, die immediate ea festa sequenti, veluti in sede propria reponatur ». Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 21, pag. 694 *(N. R.).*

Ad V. Servetur decretum n. 3754 *Declarationis Indulti pro solemnitate festorum transferenda* 2 Dec. 1891 ad II.(i).

Ad VI. *Negative,* et serventur Rubricae reformatae Missalis Romani tit. VI *De translatione festorum,* et decreta n. 3754 uti supra ad III, et n. 3924 *Strigonien.* 3 Iulii 1896 ad V (2).

Atque ita rescripsit. Die 19 Maii 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. S. f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

## ORDINIS CARMELITARUM ANT. OBSERVANTIAE

### De nova editione Ritualis Carmelitici, eiusque observantia.

R. P. Simon Bernardini Ordinis Carmelitarum Antiquae Observantiae, Sacrorum Rituum Congregationi sequentia du-

(r) En tenor: « Pro solemnitate, quae transfertur, nonnisi unica Missa intelligitur, more votivo canenda, ut in festo, cum *Gloria,* una tantum Oratione, *Credo* et Evangelio S. Ioannis in fine; ubi tamen non adsit Missae Conventualis obligatio, addatur sola commemoratio Dominicae sub distincta conclusione eiusque Evangelium in fine ». In casu proinde unica oratio solemnitatis translatae dicitur, absque ulla commemoratione *(N. R.).*

(2) Dominica in Albis et Dominica SSmae Trinitatis insertae fuerunt in novis Rubricis Generalibus Missalis Romani, in quibus dicitur quod : « in ecclesiis ubi Titulus est ecclesiae.... possunt cantari duae Missae, una de die, alia de festo; excepta... Dominica in Albis... Dominica SSmae Trinitatis... ». Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 3o, pag. 461. Insuper decretum primo loco citatum *Declarationis Indulti pro solemnitate festorum transferenda* 2 Decembris 1891, n. 3754 ad 3 ita se habet: « Si festum, cuius esset transferenda solemnitas incidat in aliquam ex Dominicis primae classis (Palmarum excepta) semiduplicis aut duplicis minoris ritus, cantabitur Missa de Dominica et illius primae orationi adiungetur sub unica conclusione, occurrentis festi commemoratio ; quoad reliqua serventur Rubricae; et de dicta solemnitate nihil amplius fiat... ». Iamvero notum est Dominicas in Albis et SSmae Trinitatis esse primae classis. Tandem in *Strigonien.* 3 Iulii 1896, n. 3924 ad 5 proposito dubio « ... Num Missa votiva solemnis de Patrono transferendo decantari valeat in Dominica Passionis, in Albis et SSmae Trinitatis », S. R. C. reposuit: « *Negative* ». Cfr. etiam'.acto *S. Sedis,* vol. 29, pag. 54 ad 2 *(N. R.).*

bia reformata, pro opportuna solutione, humillime exposuit; nimirum :

I. An ritus proprius, quo Carmelitae Antiquae Observantiae utuntur in celebratione Missae et in administratione Sacramentorum et Sacramentalium, retinendus sit ab omnibus Religiosis ad Ordinem pertinentibus, iis non exceptis, qui ad paroecias regendas assumuntur?

II. An sit improbanda praxis recepta in Liturgia Carmelitica, ut quae formae ac coeremoniae pro uno vel altero Sacramento deerunt in ritu Ordinis peculiari, ex Rituali Romano desumerentur ?

Et quatenus *Affirmative* ad I, et *Negative* ad II:

III. An in facultate sit Prioris Generalis Ordinis Carmelitarum A. O. tam ritus peculiares Ordinis, quam eos qui ex Rituali Romano supplentur, in unum volumen colligere sub titulo *Ritualis Carmeliticus* et omnibus suis subditis huius Ritualis observantiam «praescribere ?

Sacra porro Rituum Congregatio in peculiari Coetu ad Vaticanum habito die 16 vertentis mensis Maii, proponente Emo et Revmo Dno Cardinali Vincentio Vannutelli Episcopo Praenestino, et Relatore, audito etiam R, P. D. Alexandro Verde S. Fidei Promotore, omnibusque sedulo perpensis rescribendum censuit:

Ad L *Affirmative.*

Ad II. *Negative.*

Ad III. *Affirmative.*

Quas resolutiones Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X ab infrascripto Cardinali S. R. C. Pro-Praefecto relatas Sanctitas Sua ratas habere et confirmare dignata est.

Die 24 Maii 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. «f* S. f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

## ORIOLEN.

### Circa consuetudinem inductam relate ad usum stolae in choro et pluvialium in Vesperis.

Revmus Dnus Ioannes Maura et Gelabert, Episcopus Oriolensis, vehementer exoptans ut Rubricae et Decreta, quae ad divinum cultum spectant, rite serventur, Sacrae Rituum Congregationi ea quae sequuntur humiliter exposuit:

In Cathedrali ecclesia Oriolensi inde ab anno 1626 adest consuetudo vi cuius Canonicus Hebdomadarius utitur stola in omnibus Horis canonicis persolvendis. Item diebus in quibus iuxta Caeremoniale Episcoporum assumenda sunt pluvialia, accipiuntur hoc modo: Hebdomadarius habens stolam supra mozzetam manet in habitu chorali usque ad hymnum infra cuius cantum accipit pluviale; duo beneficiati in festis minus solemnibus, simul cum duobus Canonicis in solemnioribus, illud accipiunt in principio Vesperarum, sed tam omnes isti quam Hebdomadarius pluviale assumunt in ipso choro quin in sacristiam conveniant; tempore vero incensationis idem Hebdomadarius associatur ad altare a duobus aliis Beneficiatis simplici habitu chorali indutis. Tandem in fine Vesperarum omnes qui pluvialia assumpserunt illa deponunt quin e choro egrediantur. Nunc vero cum circa legitimitatem harum consuetudinum graves dubitationes exortae sint nuperrime et inter ipsos Capitulares non conveniat quid agendum sit, idem Ordinarius ad omnem ambiguitatem et inquietudinem e medio tollendam insequentium dubiorum solutionem a S. C. expetivit; nempe:

I. An huiusmodi usus stolae, saltem attenta perantiqua consuetudine, uti legitimus sit habendus ideoque servandus?

II. An vi eiusdem consuetudinis Hebdomadarius possit manere in habitu chorali usque ad hymnum et tunc assumere pluviale?

III. An pluvialia in Vesperis solemnibus possint assumi et deponi in ipso choro quin necesse sit in sacristiam convenire?

IV. An qui assistunt Hebdomadario tempore thurificationis debeant esse iidem qui ab initio parati fuerunt, vel possint esse duo alii Beneficiati simplici habitu chorali induti?

V. An sustineri possit consuetudo ut duo Canonici, absente Episcopo, induantur pluvialibus ad fungendum munere assistentium in diebus solemnioribus prout in hac Cathedrali consuetum fuit pro Vesperis?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisita etiam sententia Commissionis Liturgicae, reque diligenter expensa, rescribendum censuit:

Ad I. *Negative* iuxta decretum n. 1275 *Dalmatiarum* 4 Augusti 1663 ad 3 (i).

Ad II et III *Negative*, et servetur Caeremoniale Episcoporum, lib. II, cap. III, n. i, 2, 3 et 4 (2).

Ad IV. *Affirmative* ad primam partem; *negative* ad secundam, et servandum Caeremoniale Episcoporum, loco citato n. io (3).

(1) Proposito enim dubio: « Utrum Hebdomadarius debeat semper in choro uti stola vel absque ea peragere sua officia? Caeremoniale enim Episcoporum nihil de stola mentionem facit in decantandis Horis canonicis», responsum fuit: « Non debent uti stola » nonobstante consuetudine plus quam centenaria *(N. R.).*

(2) Caeremoniale Episcoporum *(loc. cit., n. i)* habet: «In ecclesiis Cathedralibus, absente Episcopo, et in Collegiatis Canonicus hebdomadarius paratur in sacristia pluviali coloris tempori convenientis super Rocchetto, si eo utatur, aut super cotta, et cum eo parantur quatuor aut sex presbyteri de gremio ipsius ecclesiae, non tamen canonici», et *(n. l5)* finitis Vesperis addit: « Si Completorium continuetur, salutatis canonicis ab utraque parte chori, discedit *(Celebrans)* cum praedictis paratis, ordine quo venerat» ad sacristiam *(N. R.).*

(3) Caeremoniale Episcoporum *(loc. cit., n. io)* inter alia praescribit: «Celebrans cum duobus ex dictis paratis *(cum pluvialibus uti supra)* ascendit ad medium altaris.... » pro eiusdem thurificatione *(N. R.).*

Ad V. *Negative* iuxta decretum n. 1391 *Papien.* 20 Iulii 1669 ad 3 (i).

Atque ita rescripsit. Die 30 Maii 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. «f* S. f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

—< ^ 8 e ^ O >—

# EX S. C. INDULGENTIARUM ET SS. RELIQUIARUM

## Conceditur indulgentia recitantibus quamdam precem pro resarciendis biasphemiis in B. Virginem prolatis.

*Beatissimo Padre,*

Il sac. Fortunato Giordano di Napoli, Prelato Domestico di V. S., prostrato ai piedi della medesima S. V., umilmente espone che, bramando egli promuovere una riparazione contro le bestemmie che tuttodì empiamente si proferiscono, specie verso la SS. Vergine, nel giubileo della definizione del dogma della Immacolata Concezione ha divulgato per mezzo della Sacra Lega Eucaristica di Milano oglietto, da potersi affiggere nelle case, colla immagine di Maria SS. Immacolata e con alcune pie giaculatorie, fra le quali è la seguente :

*O Maria, benedite questa casa, dove si benedice sempre il vostro Nome. Viva sempre Maria, l'Immacolata, la sempre Vergine, la benedetta fra le donne, la Madre del Signor Nostro Gesù Cristo, la Regina del Paradiso.*

Ora, affinchè questa pia pratica, già diffusa in molti luoghi, possa essere propagata da per tutto, supplica la S. V.

(i) Quod declaravit: «Non teneri Canonicos ad assistentiam Vesperarum cum pluvialibus »; quinimo iuxta Caeremoniale Episcoporum *(lib. 2, cap. 3, n. i)* assistentes cum pluvialibus in Vesperis nequeunt esse canonici: «. . . . Cum eo *(Celebrante)* parantur quatuor aut sex presbyteri de gremio ipsius ecclesiae, non tamen canonici » *(N. R.).*

perchè si degni di concedere qualche indulgenza a tutti coloro che reciteranno la prefata giaculatoria, ed impartire l'Apostolica benedizione a quanti vorranno intraprendere in ogni tempo la detta pia pratica riguardante il foglietto. — Che ecc.

*Ex audientia SSmi, die 26 Februarii ipoj.*

SSmus, auditis expositis, praefatam precem corde saltem contrito recitantibus (quoties id egerint) indulgentiam tercentum dierum, animabus etiam in Purgatorio detentis profuturam, benigne concessit, absque ulla Brevis expeditione. Iis insuper Christifidelibus, qui pium opus praedictum devote peregerint, Apostolicam benedictionem peramanter impertivit. Contrariis quibuscumque non obstantibus. — In quorum etc.

L. «f* S. Casimirus Card. GENNARI

Praesens Rescriptum exhibitum fuit huic S. Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae.

In quorum fidem etc.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 21 Martii 1905.

L. «f* S. f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

## DECRETUM

**De Indulgentiis lucrandis in Sacellis sive publicis sive semipublicis Tertiariorum in communitate viventium et vota simplicia nuncupantium.**

Quum per Decretum S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, sub die 28 Augusti 1903 (i), concessum sit, ut Tertiariorum ecclesiae iisdem Indulgentiis gaudeant, quibus ecclesiae respectivi primi et secundi Ordinis fruuntur, quaesitum est ab hac S. Congregatione:

(1) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 36, p. 377 et 378.

Num quando agitur de lucrandis praefatis Indulgentiis sub nomine ecclesiae Tertiariorum veniant non solum oratoria publica, sed etiam semipublica, in quibus, ex Decreto S. R. C. diei 23 Ianuarii 1899 (i), non modo qui sunt de communitate sed alii etiam christifideles satisfacere queunt, diebus **Nfestis,** praecepto audiendi Sacrum?

Et S. Congregatio, audito etiam Consultorum voto, respondendum mandavit:

*Negative,* et supplicandum SSmo ut benigne extendere dignetur etiam ad oratoria semipublica Tertiariorum privilegium lucrandi Indulgentias, de quibus in casu, sed favore tantum eorundem Tertiariorum ceterarumque personarum cum ipsis in communitate degentium.

De quibus facta relatione SSmo D. N. Pio PP. X in Audientia habita die 22 Martii 1905 ab infrascripto Cardinali Praefecto, eadem Sanctitas Sua resolutionem S. Congregationis benigne confirmavit, simulque petitam extensionem concessit.

Datum Romae e Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 22 Martii 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Praefectus.*

L. «J*- S. f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

## URBIS ET ORBIS

### Decretum quo Indulgentiae largiuntur omnibus christifidelibus sive publice sive privatim peragentibus pium exercitium in honorem B. M. Virginis pro conversione peccatorum.

Plures extant per catholicum Orbem diffusae piae sodalitates sub titulo Sancti et Immaculati Cordis Mariae, quae

(i) Cfr. *Acta S. Sedis* vol. 31, pag. 412.

peculiarem finem sibi praestituunt, deprecandi Beatam Virginem pro conversione peccatorum. Immo apud quasdam earum etiam laudabilis praxis i noie vit semel in mense coadunandi Christifideles in propriam ecclesiam vel publicum oratorium, ut per unius nonae spatium ferventiores effundant preces Deiparae Virgini ad eumdem finem instantius assequendum. Cui quidem pietatis exercitio magis fovendo s. m. Pius IX indulgentias tum plenarias, tum partiales per Apostolicas Literas datas sub die 12 Maii 1876 adnexuit.

Modo vero ad religionis incrementum et ad animarum salutem validius obtinendam SSmo Dno Nostro Pio Papae X preces humillime porrectae sunt, ut ad praefatum pium exercitium, sive publice in ecclesiis illud locum habeat, sive privatim a quolibet ex Christifidelibus peragatur, easdem indulgentias benigne extendere dignaretur.

Porro Sanctitas Sua, cui nihil potius est, quam ut Christifideles, opitulante Immaculata Virgine Dei Matre, a Divina Bonitate obtineant, ut homines e via perditionis ad salutis tramitem reducantur, has preces peramanter excepit, et in Audientia habita die 12 Aprilis 1905 ab infrascripto Cardinali Praefecto S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, sequentes indulgentias, semel in mense lucrandas, in perpetuum clementer elargita est, nimirum: i° plenariam Christifidelibus, qui suprамemorato exercitio in ecclesiis seu publicis oratoriis peracto iuxta methodum ab Ordinariis locorum approbandam devote adstiterint, vel etiam privatim eisdem, piis exercitationibus cuiusque arbitrio relictis, vacaverint, simulque uno, quo cuique placeat, infra mensem die, rite confessi ac S. Synaxi refecti, in ecclesia vel publico sacello iuxta mentem eiusdem Sanctitatis Suae oraverint; 2° septem annorum' totidemque quadragenarum eisdem Christifidelibus si, corde saltem contriti, supradicta pietatis opera praestiterint. Quas indulgentias eadem Sanctitas Sua anima-

bus igne Purgatorii detentis fore applicabiles declaravit. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, ex Secretaria eiusdem S. C, die 12 Aprilis 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Praefectus.*

Pro R. P. D. D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretario*

L. *|* S. Iosephus M. Can. Coselli, *Substitutus.*

## Indulgentia largitur recitantibus quamdam precem in honorem B. M. Virginis.

PREGHIERA A MARIA SANTISSIMA

O Maria, Tu che incoronata di stelle hai per isgabello ai Tuoi piedi la luna e per seggio le ali degli Angeli, inchina il Tuo sguardo a questa valle di affanni, e ascolta la voce di chi solo in Te pone il suo rifugio e la sua speranza.

Tu ora godi le dolcezze infinite del Paradiso : ma pure in **mezzo** al gaudio e allo splendore porti sempre nel più intimo dell'animo la ricordanza di quanto hai sofferto nella Tua vita. Tu pure hai provato gli stenti di questo esilio, e perciò sai come amari scorrono i giorni a chi vive nel dolore.

Sempre nel Tuo pensiero sta un monte sparso di armati e di squallore : odi sempre una voce pur troppo a Te nota che Ti dice: *0 donna, eccoti in mia vece il Tuo figlio.* E quelle immagini Ti commuovono di profonda tenerezza e Tu senti, o beata, che su quel monte e con quelle parole fosti destinata a madre dei credenti.

E senza di Te che sarebbe la vita ai miseri figliuoli di Adamo? Ognuno di essi ha un dolore che lo travaglia, un affanno che l'opprime, una ferita che lo tormenta. E tutti ricorrono a Te, come al porto di salute ed alla fonte di ogni ristoro. Quando le onde si abbaruffano in tempesta,

volgesi a Te il navigante, e da Te implora la calma. A Te ricorre l'orfana che come un fiore nel deserto vedesi esposta al turbine della vita. A Te supplicano i poveri che veggono mancarsi il vitto quotidiano ; ed alcuno non vi ha che resti privo di soccorso e di consolazione. Ma se tutti rinvengono in Te aiuto e ristoro, che diremo noi, cui suoli mostrarti viva come stai nel Cielo?

O Maria, Madre di tutti, illumina le menti, ammollisci i cuori, perchè quell'amore purissimo che si riversa dagli occhi Tuoi si spanda d'ogni intorno e produca i frutti stupendi che il Tuo Figliuolo preparò spargendo il suo Sangue, mentre Tu sostenevi i più atroci spasimi sotto la sua Croce.

*Ai fedeli, che reciteranno devotamente questa preghiera, accordiamo per una volta al giorno l'indulgenza di 300 giorni.*

*Dal Vaticano li 24 Marzo ipoj.*

PIUS PP. x

Praesens Rescriptum exhibitum fuit huic S. Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae.

In quorum fidem etc.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 2 Iunii 1905.

L. S. f D, Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

# EX VICARIATU URBIS

## Litterae circulares Cardinalis Vicarii ad parochos Urbis pro christiana doctrina tradenda.

*Molto Reverendo Signore,*

Rimettiamo alla S. V. Molto Reverenda una copia della lettera enciclica che la Santità di N. S. si è degnata dirigere

a tutti i Vescovi del mondo cattolico, intorno all'insegnamento della dottrina cristiana (1). La grande importanza che ha il venerato documento pontificio, specialmente per i parroci, e il desiderio che al più presto il popolo di Roma abbia ad esperimentarne i benefici effetti, c'induce a richiamare l'attenzione della S. V. particolarmente sopra alcune disposizioni contenute nell'Enciclica, aggiungendo quanto ci sembra opportuno per facilitarne l'esecuzione.

Prima cosa da notarsi è che da ora innanzi l'insegnamento catechistico nelle singole parrocchie dovrà tenersi in tutti i giorni festivi dell'anno. In Roma era antica abitudine quella di far vacanza in un determinato tempo dell'anno, oltre alcune maggiori solennità. Il S. Padre vuole che questa abitudine cessi, e il catechismo non si sospenda mai. Nè deve opporsi che in alcune epoche dell' anno pochi si cureranno d'intervenire; giacché alla trascuratezza dei fedeli conviene porre un argine con lo zelo dei parroci, i quali a questo riguardo non tralascino di ammonire con carità, ma instantemente, il popolo, memori dell'insegnamento dell'Apostolo: *insta opportune, importune: argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina.*

Nè solamente alla gioventù, ma si deve far conoscere a tutti T importanza del catechismo e il dovere d'istruirsi in esso, intervenendo alla spiegazione che, secondo le nuove disposizioni del S. Padre, dovrà farsi parimenti, ogni festa dell'anno, per gli adulti. Per questa spiegazione, come per l'altra dei fanciulli, scelgano i parroci l'ora più adatta alle abitudini della popolazione loro affidata, e, qualora ragioni speciali non consigliassero diversamente, procurino che al catechismo impartito ai fanciulli, tenga subito dietro la spiegazione per gli adulti, e poi la recita di qualche preghiera e la benedizione con il SSmo Sacramento.

(1) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 37, p. 613.

Raccomandiamo poi vivamente dì costituire al più presto, in ogni parrocchia, la confraternita della dottrina cristiana, secondo il volere del Santo Padre. In Roma esiste già da secoli l'arciconfraternita di S. Maria del Pianto, alla quale dovranno aggregarsi le confraternite parrocchiali, per godere dei privilegi spirituali a quella concessi dai Romani Pontefici, e anche per ottenere quell'unità di direzione e di metodo che tanto concorre alla riuscita dell'apostolico ministero.

Infine ci è grato raccomandare lo studio accurato del Catechismo Romano, compilato per decreto del Sacrosanto Concilio di Trento e che vuole il Santo Padre serva sempre di guida ai parroci nell' insegnare ai fedeli la dottrina di Gesù Cristo.

A tale proposito crediamo opportuno ordinare che, come periodicamente i parroci sono tenuti ad intervenire alla soluzione del caso morale, così per turno debbano fare un' istruzione catechistica sopra un punto del catechismo diocesano, servendosi del catechismo Tridentino. A ciò possono bene giovare le conferenze parrocchiali che si tengono il giovedì nelle singole parrocchie, purché mantengano il carattere che avevano nella loro istituzione. Scelta pertanto l'ora più opportuna per tutti, prima di ogni altra cosa si legga da un parroco, a turno, l'istruzione catechistica, come sopra si è detto, occupando poi il tempo che rimane nel trattare insieme tutto ciò che può riferirsi ai singoli ministeri e alle varie opere parrocchiali.

Le istruzioni catechistiche dovranno poi essere depositate nella Segreteria del Vicariato, e potranno anche essere date alle stampe, per diffonderne il vantaggio a tutto il clero.

Siamo certi che tali disposizioni saranno dalla S. V. Rma esattamente adempite, e in tale fiducia la benediciamo di cuore nel Signore.

Dalla Nostra Residenza il 18 Maggio 1905.

PIETRO Card. Vicario.

Francesco Can. Faberi, *Segretario.*

## Litterae circulares Cardinalis Vicarii, quibus Superiorissae Communitatum Religiosarum Urbis viros saeculares hospitio excipere prohibentur.

*Molto Reverenda Madre,*

Da qualche anno si sono moltiplicate in Roma le opere di comunità religiose femminili, con grande vantaggio delle anime, e sviluppo molteplice della cristiana carità.

Di questo fatto consolantissimo dobbiamo rendere grazie al Signore che non manca di soccorrere la sua Chiesa con mezzi proporzionati alle necessità nuove dei tempi; ma è nostro dovere di vigilare attentamente su quanto dall'attività di queste congregazioni si viene attuando, allo scopo di accrescerne gli effetti benefici, e tener lontani quegli abusi che uno zelo, a volte poco illuminato e poco prudente, potrebbe introdurre.

Un punto tra gli altri ha richiamato la nostra attenzione e quella altresì del Santo Padre, ed è l'abitudine invalsa in parecchie comunità di ospitare, per un tempo più o meno lungo, nelle loro case persone estranee. Questo fatto innegabile non si può sempre giustificare con lo spirito della carità cristiana, la quale si esercita con sacrifizio e disinteresse, e non deve ridurre mai una casa religiosa ad una specie di albergo.

Per ovviare a questo pericolo, il Santo Padre è venuto nella determinazione di dare gli ordini seguenti, che ci affrettiamo d'i cumunicare a Vostra maternità:

i°. E assolutamente vietato di ospitare in case religiose di suore uomini secolari ;

**2°.** Sarebbe desiderabile che nemmeno agli ecclesiastici fosse offerta ospitalità nelle case suddette; potendo essi usufruire di collegi o comunità religiose maschili che abbondano in Roma;

3°. Si permette unicamente di ricevere signore o signo-

riñe che, trovandosi sole, amano una vita ritirata, che diffìcilmente potrebbero condurre altrove.

Nella certezza che tali ordini del S. Padre saranno subito e con la maggiore esattezza adempiti, la. benediciamo di cuore nel Signore.

Dalla Nostra Residenza il 18 Maggio 1905.

PIETRO Card. Vicario.

Francesco Can. Faberi, *Segretario.*

# APPENDIX II

## DE DISPENSATIONIBUS MATRIMONII RATI ET NON CONSUMMATI

### PARS ALTERA

DE POTESTATE IN SUO EXERCITIO **(i).**

74. Cum exercitium huius potestatis regatur iure non solum *ecclesiastico* sed praecipue *divino,* distinctim agemus de exercitio spectato iure divino et ecclesiastico.

§ **i.** *De exercitio spectato iure divino.*

75. Ex iure divino ad exercitii validitatem duae verificari debent conditiones, sc: i° ut matrimonium non sit consummatum sed simpliciter *ratum;* et 2° ut adsint *causae* ad dispensationem concedendam; quarum *altera* respicit proprie exercitium, dum *prima* necessaria est ut potestas ipsa existat.

76. Porro in praxi non sufficit ut duae hae conditiones *obiective* existant; sed praeterea requiritur ut qui dispensat, *subiective* certus sit de earumdem existentia; unde aliquid dicendum est etiam de *certitudine,* qua de illis constare debet.

(i) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 37, pag. 131, 346, 542 et 671.

77. Quare distinctim agemus:

i°. de notione matrimonii *rati* et non *consummati ;*

2°. de *causis* ad dispensandum necessariis;

3°. de *certitudine,* qua de dictis conditionibus constare debet.

**i°.** *De notione matrimonii rati et non consummati.*

78. Nota est divisio matrimonii in *legitimum, ratum* et *consummatum,* prout matrimonium contractum fuit a non baptizatis aut a baptizatis et nondum copula completum sit, vel tandem, sive legitimum sive ratum, fuerit copula completum.

79. Omisso matrimonio *legitimo,* de quo hic sermo esse nequit, cum ad hoc non sese extendat Ecclesiae potestas dispensandi, de qua in praesenti, tota differentia inter matrimonium *ratum* et *consummatum* dependet a copula; ita ut matrimonium cesset esse tantum ratum, et consummatum evadat statim ac copula completur. Quare ad dignoscendum utrum matrimonium aliquod remanserit simpliciter ratum, ita ut super illud potestas Ecclesiae solvendi exerceri possit, videndum est an copula intercesserit nec ne. Si enim copula intercesserit erit consummatum, si vero haec non intercesserit matrimonium erit *ratum* et non consummatum.

80. Difficultas modo est in stabilienda copulae notione ; recentiores enim praesertim DD. non conveniunt quoad omnia elementa copulae constituentia.

81. Certe omnes conveniunt requiri ex parte viri penetrationem vasis mulieris atque in eodem seminationem ; sed quidam praeterea requirunt ut mulier apta sit ad prolis generationem et in specie, ut utero et ovariis non careat (i).

82. Ad scopum tamen nostrum haec differentia parum interest, hoc alterum enim elementum respicit praecipue im-

(1) Occasione causae matrimonialis *Monasterien.* anno 1899 apud S. G. G. discussae, maiore ardori agitari coepit quaestio inter DD., an mulier carens utero et ovariis sit nec ne habilis ad matrimonium.

Inter praecipuos defensores affirmativae sententiae sunt ESCHBACH, *Disputatationes physiologico-theologicae,* ed. II; GASPARRI, *De matrimonio,* ed. II,

potentiam. Quare iuxta horum DD. sententiam in casu neque ipsum matrimonium existeret.

lib. i, n. 5io et sq.; AUGUSTUS SILI consultor S. G. C., *Votum in causa Monasterien.;* inter defensores vero negativae sententiae eminent ANTONELLI, *De conceptu impotentiae et sterilitatis,* Romae iooo, *De mulieris excisae impotentia ad matrim,* igo3, *Pro conceptu impotentiae et sterilitatis relate ad matrimonium,* Romae igoi; (huius cl. Auctoris excellens modo prodiit Opus, cui titulus *Medicina pastoralis,* Romae, Pustet, 1905, maxime utile Curiis ecclesiasticis, professoribus ac sacerdotibus maturioribus qui in animarum ministerio versantur); BUCCERONI, *Casus resolutus ad S. Apollinaris, i* 5 Aprilis 1901.

OJETTI S. I. *(Synopsis rerum moralium et iuris pontificii...., Prati igo$)* sub vocabulo *impotentia* argumenta utriusque sententiae refert et discunt.

Quoad nos, subscribimus conclusioni eiusdem P. OJETTI: « in tanta auctorum doctrina excellentium hinc inde dimicantium varietate sententiarum, unum restat dicendum expectandam esse decisionem Sedis Apostolicae».

Et revera quaestio haud ita facilis est, ut prima fronte videri potest.

Ex una enim parte certum est, matrimonium institutum esse ad prolis procreationem, concupiscentiae vero sedationem finem esse secundarium primario subordinatum ; ex alia vero parte difficile intelligi potest, nonnisi nostris temporibus datum esse complete iudicari posse de matrimonii validitate. Et sane agitur de *institutione* quae inde ab initio creationis generis humani statuta est uti basis et fundamentum non solum familiaris sed et civilis societatis, et causa est ac principium multiplicum relationum inter homines ; non potest ergo supponi quod inde ab initio praesto non fuerint hominibus criteria ad iudicandum de validitate nuptiarum quae inter se contrahunt; multoque minus assignari possunt criteria omnino occulta, ut puta existentia nec ne de ovariis, de qua certe iudicari nequit nisi occasione operationis chirurgicae.

Profecto in hac quaestione haud praetereundum videtur quod notant Moralistae de sacramentorum materia, eam sc. sumendam esse secundum humanam aestimationem. Sic LAYMANN *(Th. Mor. lib. ,5, tit. i, c. 4, n. 4):* « in cognoscenda sacramenti materia potius ad moralem eius usum et conceptionem, quam physicam plerisque hominibus ignotam forrñam sive naturam attendere oportere ».

Quare iudicium de idoneitate corporum coniugum ad matrimonium non videtur reservandum tantummodo doctis et quidem mediante operatione.

Sic etiam prae oculis haberi debet quod bene notat ci. SILI in suo docto *Voto:* « in opere generationis distinguendam esse actionem *humanam* ab actione *naturae;* quam divine expressit mater illa sanctissima ac fortissima in lib. II Mach, dicens: nescio qualiter in utero meo apparuistis, neque enim ego spiritum et animam donavi vobis et vitam et singulorum membra non ego ipsa compegi, sed enim mundi Creator, qui formavit hominis nativitatem quique omnium invenit originem ».

Unde etiam in -sententia eorum qui censent validum matrimonium etsi mu-

83. Potius ulterius inquiri potest, quid dicendum sit de casu quo vir seminaverit ad ostium vasis mulieris, cum experientia notum sit non raro fieri ut semen attrahatur in uterum et conceptio etiam habeatur, clauso remanente virginitatis claustro. Quaeri sc. potest, an in hoc casu matrimonium dici debeat consummatum, vel saltem dubitari possit de eiusdem consummatione.

84. Uti patet, quaestio hic esse nequit de casu quo ex defectu sive viri sive mulieris, perpetuo, penetratio impossibilis sit; in hoc enim casu* etiamsi conceptio habita fuisset, matrimonium uti nullum habendum esset ob impotentiae impedimentum.

85. Praescindendo ergo ab hoc casu, plures fieri possunt hypotheses. GASPARRI, ubi agit de copula, ex qua affinitas oritur, et ob quam matrimonium consummatur, sequentes expendit casus: « i°) Si verum virile semen vaginam mulieris ingressum non est, affinitas in omnium sententia non adest. Hinc non adest affinitas, si hymen est intactum aut vir non seminavit, aut verum semen non habet (?) aut seminavit totaliter extra vas, e. g. ad vulvam vaginae, quin semen intus attraheretur, et multo minus si fuit tantum nisus ad copulam seu copula attentata vel sodomitica cuiuscumque speciei. 2°) Si semen virile, extra vas effusum, in vaginam mulieris fuit introductum ope daemonis, aut alicuius instrumenti, aut eamdem ingressum est vi naturali, quin generatio prolis sequatur, plures magnae notae auctores verius negant affinitatem oriri, quia copula in casu, si hoc nomen meretur n. 571, non est natura perfecta; alii affirmant, quia ex hac copula

lier ovariis careat, non videtur exclusus finis praecipuus matrimonii. Distincta enim duplici operatione hominis et naturae, homo, si ponere potest actionem quae ei spectat, semper intendere potest ex parte sua finem praecipuum, relinquendo naturae seu melius Auctori naturae ut ponat actionem ei reservatam sc. ut perficiat opus suum, qui quidem Auctor, etiam sine causis secundis, effectum producere potest.

sequi potest generatio ac proinde dicenda est perfecta. 3°) Gravior est pro affinitate ratio, si exinde proles sequitur. Lehmkuhl vol. II, n. 765, putat hoc in casu affinitatem oriri, quia partes factae sunt una caro ratione prolis. At non omnes admittunt partes fieri unam carnem ideoque affinitatem enasci ratione solius prolis sine praevia copula perfecta, imo auctores id implicite negare videntur, dum tradunt affinitatem unice oriri ex copula et quidem ex copula per se apta ad prolis generationem. Ita e. g. P. BUCCERONI in Praxi, n. 43 — notandum in primis est quoad affinitatem eam non exoriri nisi ex copula et ex ea copula quae sit per se sufficiens ad prolis generationem ».

86. In praxi SS. CC., saltem in casu quo proles orta non est' (nobis enim notum non est an unquam penes SS. CC. definitus sit casus in quo proles nata sit), si constat penetrationem locum non habuisse eo ipso matrimonium uti simpliciter ratum habetur.

87. Quae quidem praxis optime explicatur in sententia eorum qui tenent matrimonium *nonnisi copula* consummari; quae sententia praeterea consona est cap. *Laudabilem* ***3,*** *de Frigidis et maleficiatis:* «Si autem... uterque iureiurando dicat qnod numquam *per carnis copulam* una caro effecti fuissent... », ubi requiritur ut *per copulam* facti sint una caro: dum e contra in alia sententia non ita facile explicatur, in hac enim excluditur dubium consummationis ex praesumptione, sc. eo quod casus rarus sit et per accidens eveniret. Sed casus non est tam rarus et quamvis per accidens eveniat, dubium non excluditur: atqui matrimonium solvi nequit, nisi *certo* constet de non consummatione.

### **2°.** *De causis ad dispensandum necessariis.*

88. Iuxta communem DD. sententiam ad dispensandum in aliqua lege requiritur *motivum* aliquod, et quidem si agatur de propria lege solum *ad liceitatem,* legis enim obligatio

tota dependet a legislatoris voluntate, qui tamen, si absque iusto motivo aliquos a lege eximeret, vitium acceptionis personarum committeret atque inaequalitatem inter subditos poneret; si vero agatur de lege superioris etiam *ad validitatem,* non enim praesumitur superior dedisse potestatem temere et inique dispensandi. In specie quoad dispensationem seu solutionem votorum etc: scribit LAYMANN *(Th. Mor. lib. I, tr. 4, c. 22, n. 11):* « non est... credibile Deum commisisse suo in terris Vicario aliisque ab eo constitutis potestatem temere et sine causa relaxandi vota vel iuramenta sibi facta. Esset enim haec potestas non dispensandi sed dissipandi, non ad aedificationem sed ad destructionem. Quare neque oeconomus, cum contra domini sui voluntatem bona vel iura eius dissipât, quidquam efficit aut dominium transfert ».

89. Quod *motivum* ad dispensandum necessarium *causa* etiam appellatur; et optime, causa enim est id a quo aliquid fit : atqui motivum non quidem physice sed *moraliter* movet superiorem ad dispensandum.

90. His praemissis, ut patet, nullum dubium esse potest, ut ad dispensandum a matrimonio *rato* et non consummato requiratur motivum aliquod seu causa.

9.1. Non defuerunt tamen, praesertim antiquioribus temporibus, Canonistae qui affirmarunt id requiri solum ad liceitatem non vero ad validitatem, qui sc. tenebant cum GLOSSA *cap. Ex publico, De Conversione coniugatorum,* indissolubilitatem ex rato esse ex constitutione Ecclesiae. *(Schmalzgrueber p. 4, tit. 19;* SÁNCHEZ *lib. 8, disp. ij, n. 6).* Sed «haec sententia nunc prorsus improbabilis est dicenda, innittitur enim falsa illa opinione, quod indissolubilitas matrimonii rati ex iure humano sit derivanda. At nostra aetate non amplius in dubium vocari potest etiam matrimonium *ratum* ex iure naturali et divino esse indissolubile » (WERNZ /. *c, n. 698', nota jp).* Quare modo communiter admittitur causam requiri ad validitatem.

92. Potius nunc inquirí debet, cuius naturae debeat esse causa, an sc. requiratur causa *publica* vel sufficiat causa *privata.*

93. CONC. TRID. *sess. 24, c. y , de ref. matr.* hanc differentiam inter causas *publicas st privatas* innuit quando statuit: «In contrahendis matrimoniis vel nulla omnino datur dispensatio, vel raro idque ex causa, et gratis concedatur. In secundo gradu numquam dispensetur, nisi inter magnos principes et ob *publicam causam* ».

94. Quam causarum divisionem ita declarat GIOVINE: «EX causis aliae dicuntur *publicae,* quia in commune plurimorum bonum spirituale benevertant; alterae vero *privatae* nuncupantur, quia directe in bonum animarum ipsorum nupturientium aut etiam eorumdem familiarum redundant, quamvis indirecte et sub aliquo respectu publicum respiciant bonum » *(De disp. matr. tom. I, part. 2, cons.* ***Iß,*** *sect. 2, § 211, n. 2).*

95. Nimirum causa est *publica* si directe intenditur bonum publicum licet ex bono publico sequatur bonum privatum; est vero *privata* si intenditur bonum privatum licet ex bono privato sequatur bonum publicum. Bonum enim privatum semper conducit publico bono. Sic SÁNCHEZ *de Matrim, lib. 8, disp. 19, n. 8,* facile ostendit causas privatas, quae sufficientes sunt ad dispensationem, conducere ad bonum publicum.

96. Profecto « licet aliqui velint causam concernere debere bonum publicum et publicam utilitatem, verior tamen et magis communis opinio est, ut sufficiat illam concernere bonum privatum ac privatam utilitatem» (PIGNATELLI *Consult, tom. I, Consult. 148, n. 9).* Cui communi opinioni concordat praxis SS. CC.

97. Sufficit ergo ut causa sit *privata,* dummodo sit iusta sc. huiusmodi ut ius det superiori solvendi. « Qualis autem sit iusta causa, prudentiae.... Romani Pontificis remittitur.... DD. plures istiusmodi causas exempli gratia enumerant quarum praecipuae ad sequentes reduci possunt: *a)* animorum

dissociatio, quin effulgeat futurae reconciliationis spes; *b)* timor probabilis magni scandali futuri, discordiarum et rixarum inter consanguineos; *c)* probabilis suspicio impotentiae cum periculo incontinentiae; *d)* divortium civile ab altera parte obtentum cum periculo incontinentiae partis innocentis; *e)* semiplena probatio defectus consensus, aut alterius impedimenti; /) morbus contagiosus superveniens; *g)* periculum perversionis, ut si quae cum haeretico contraxisset; *h)* si quis aliud matrimonium equidem nullum deinde inierit, a quo se aliter liberare nequeat e. g. matrimonium civile.... Saepe plures ex istiusmodi causis simul concurrunt: et tunc dispensatio facilius obtinetur. Exinde facile intelligitur hodierna Sacrarum Congr. Rom. in his causis iurisprudentia ; semel enim extra dubium posita non consummatione matrimonii, pro dispensatione respondere solent, quia nimirum iusta causa plerumque adest» (GASPARRI *De Matrim., ed. II, n. iJ2j);* sc, sin minus animorum dissociatio.

*(Sequitur)* **B. Melata.**

—————- * * > ^ < - * -————

# APPENDIX III

## De matrimonio per procuratorem, nuncium, interpretem, litteras, telegraphum, et telephonium (i).

QUAESTIO V

*Quaenam conditiones ex iure requirantur*
*ut legitima sit huiusmodi procuratorum constitutio.*

66. Licere hanc constitutionem probavimus, modo videamus quibus sub legibus. Ne vero rerum copia claritati noceat, dicendum separatim : *a)* de persona constituente seu de mandante; *b)* de persona constituenda seu de procuratore;

(i) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 37, pag. 410 et 6o3.

*c)* de causis ex quibus licet hos procuratores constituere ; *d)* de forma in eorum deputatione servanda; *e)* de variis modis, quibus deputatio fieri valet. Ad modum vero appendicis ad totam hanc quintam quaestionem inquiremus ulterius: *f)* num ad matrimonium civile celebrandum liceat uti procuratorum opera.

67. *De persona constituente seu de mandante.* - Antequam exponamus quid iure nostro sit sancitum, videamus quid fuerit sancitum iure romano, relate ad personas quae per procuratores coniugium inire valebant.

68. Paulus in L. n Sentent, Reg. 19, § 5, haec habet: *Vir absens uxorem ducere potest, foemina absens nubere non 'potest.* Paulo consonat Pomponius, ut liquet ex iam cit. c. v, *De ritu nupt. : Mulierem absenti per litteras eius vel per nuncium posse nubere placet, si in domum eius deduceretur, eam vero quae abesset ex litteris vel nuncio suo duci a marito non posse.* Quibus ex verbis liquet iure romano non licuisse regulae ad instar matrimonium celebrare per procuratorem nisi maribus. *Quod* (notat iam citatus Berardi in *Comm. in ius eccl., T. III, Diss. V) cavere maxime erat opportunum, ut fraudibus et circumventionibus, quibus sane facile obnoxiae ob sexus infirmitatem mulieres redderentur, locus quicumque praecluderetur.*

69. Verum iure canonico nihil hac in re constitutum est. Unde quia mandatum dare omnibus licet nisi prohibeantur, dicendum per se, caeteris paribus, etiam foeminis esse permittendam procuratoris constitutionem in coniugiis celebrandis, quod coeteroquin putamus etiam moribus firmari. Nunquam enim (saltem quantum scimus) foeminis fuit denegatum.

70. Unde censemus omnino recedendum ab iis quae ibidem scribit Berardi : *Et quamquam ecclesiastici canones nihil in hac parte expresse constituerint, sufficit tamen, nihil eisdem contra decretum fuisse, ut recta iuris interpretatione concludamus adhuc romani iuris disciplinam, quousque moribus*

*abrogata non demonstretur, esse servandam.* Quamvis enim concedamus sacros canones legibus romanis multum iuvari, negamus hoc esse verum, quando de nuptiarum ritu agitur. Quum enim matrimonium, per elevationem a Christo peractam, supernaturalem indolem induerit ac effectum sit sacramentum, una legislatione canonica (aliis prorsus exclusis) regitur, ni forsan lex canonica aliquam legem civilem hac ex parte acceptaverit et canonizaverit. Unde quoad coniugia debet valere principium: in tantum moderationem habere a lege aliqua civili, in quantum probetur hanc esse canonizatam. Quod in praesenti quaestione profecto non est verum.

71. Incommoda vero illa, quae ius romanum cavere voluit, et quae Berardi indigitat, ad summum illud efficient, ut foeminis rarius ac maribus haec coniugia, seu per procuratores, sint permittenda. Quod coeteroquin suadet vel ipsa naturalis ratio.

72. Verum si maribus aeque ac foeminis licet procuratoris constitutio quoad coniugia contrahenda, quaeritur num omnibus indiscriminatim viris ac mulieribus haec facultas permittatur. Cui quaestioni respondemus affirmative, ni forsan ob adiuncta prohibeantur. Quum enim matrimonium omnibus liceat nisi prohibeantur, et per se generatim omnibus liceat praestare per alios quod possunt praestare per se, iam evidens apparet datae responsionis ratio.

73. Sequitur exinde esse inutilem constitutionem procuratoris factam a pueris ante septennium, a furiosis, a personis ad contrahendum matrimonium absolute inhabilibus, ut ex. g. monachi solemniter professi etc. Quum enim hi per se coniugia inire haud valeant, profecto haud poterunt per alios.

74. Verum quid dicendum de obstrictis impedimento temporaneo, uti ex. g. aetas, votum non perpetuum castitatis etc.? Et respondendum valere constitutionem procuratoris, dummodo mandati executio in tempus idoneum protrahatur, v. g. post adeptam pubertatem etc. Nam eodem prorsus iure ac

valent sponsalia ab huiusmodi personis celebrata, debet valere procuratoris constitutio.

75. At quid iuris de iis, quibus nuptiae equidem conceduntur sub ratione validitatis, minime vero sub ratione liceitatis, ut consueverunt dicere theologi ac iuristae? Et quoad hos obstrictos impedimento impedienti at non dirimenti, ut ex. g. votum simplex castitatis etc., reponimus generalis principii ad instar sustineri constitutionem procuratoris ab eis factam ad coniugium ineundum. Semper enim obtinet regula: *Qui per alium facit, per seipsum facere videtur.*

76. Nec urgeatur non magis sustineri posse mandatum rei malae ac sustineatur promissio rei malae et turpis, qualis aestimari debet talis celebratio matrimonii. Nam, verissimum est promissionem rei malae non valere iuxta Reg. 69 in vi: *In malis promissis fidem non expedit observari,* et hinc verissimum est v. g. esse irrita sponsalia celebrata ab obstricto simplici voto castitatis. Itemque certum est non sustineri mandatum rei per se malae et turpis, quum sit absurdum, ut vinculo iuris (quod ex legitimo mandato nemo ignorat exorita) devinciatür quis ad rem inhonestam faciendam. Verum in casu aliud iudicium ferendum, quum mandatum versetur circa rem, quae, per se bona, eatenus tantum est mala, quia ob singularia adiuncta interdicitur.

77. Potest res autem illustrari exemplo. Fingamus v. g. Titium duplex mandatum dedisse Caio, seu emendi antea gladium, et occidendi postea eodem gladio Sempronium, certo certius nemo dixerit utrumque mandatum esse aeque aestimandum. Nam mandatum occidendi utpote mandatum rei inhonestae per se non valet, iuxta regulam traditam v. g. a Voet *(Comm. in Pand.,* 1. xvn, tit. i, *Mandati vel contra,* n. 6): *Mandantur negotia honesta et licita: rei enim turpis nullum est mandatum, nec inde inter mandantem et mandatarium actio datur; adeoque nec mandans ad implementum mandati turpis suscepti vel id quod interest recte contendit* etc.

Mandatum e contra emendi gladium, utpote mandatum rei *per se* honestae et licitae, et solum inhonestae et illicitae ob adiuncta, recte sustinetur.

**78.** A pari ergo in quaestione, quam agitamus, eadem est danda resolutio. Nam mandatum matrimonii est mandatum rei per se honestae et licitae. Unde sustinetur, quamvis ob adiuncta seu ob impedimentum impediens, mandans a licite contrahendo repellatur.

Carolus Lombardi

*(Sequitur)* ***Prof. in Pont. Seminario Romano.***

# Diarium

*SSmus D. N. Pius PP. X litteris Secretariae Status :*

**i°. Emum ac Rmum D. Iosephum Calasanctium Card. Vives y Tuto nominare dignatus est Protectorem Congregationis SSmi Salvatoris et B. Virginis vulgo** *de la Souterraine,* **dioeceseos Lemovicensis.**

**2°. Emum et Rmum D. Franciscum Card. Satolli, Archipresbyterum Patriarchalis Basilicae Lateranensis, eligere dignatus est Protectorem Sororum a Verbo Incarnato, dioeceseos S. Antonii de Texas in Statibus Confoederatis Americae.**

**3°. Illmum et Revmum D. Iosephum Ridolfi, Archiepiscopum Episcopum Tudertinum, elegere dignatus est Delegatum Apostolicum in Mexico.**

4°. **Illmum ac Revmum D. Michaelem Lega, Subsecretarium S. Congregationis Concilii, inter Praelatos Domesticos adnumerare dignatus est.**

**5°. Dignatus est nominare Presbyterum Assistentem Cappellae Pontificiae Revmum D. Mauritium Galimberti, canonicum Patriarchalis Basilicae Lateranensis; Diaconum Revisum Franciscum Gazzoli, canonicum Patriarchalis Basilicae Vaticanae; atque Subdiaconum Revmum Franciscum Santovetti, canonicum Basilicae Liberianae.**

**6°. Revmum D. Alexandrum Solari benigne promovit a Secretario Delegationis Apostolicae Columbianae ad Auditorem** Nuntiaturae **Apostolicae Belgicae.**

**7°. Tandem Revmum P. Felicem Fioretti, Praepositum generale Congregationis Clericorum Regularium Btirnábkarum, adnumeravit inter Consultores S. Congregationis Rituum.**

# ACTA ROMANI PONTIFICIS

LITTERAE ENCYCLICAE

## SS. D. Nostri Pii div. prov. Papae X ad Episcopos Italiae, de actione catholica *.

AI VESCOVI D'ITALIA

PIUS PP. X

*Venerabili Fratelli, salute ed Apostolica benedizione.*

Il fermo proposito, che fin dai primordi del Nostro Pontificato abbiamo concepito, di voler consecrare tutte le forze che la benignità del Signore si degna concederci alla restaurazione di ogni cosa in Cristo, Ci risveglia nel cuore una grande fiducia nella potente grazia di Dio, senza la quale nulla di grande e di fecondo per la salute delle anime possiamo pensare od imprendere quaggiù. Nello stesso tempo però sentiamo più che mai vivo il bisogno di essere secondati unanimemente e costantemente nella nobile impresa da Voi, Venerabili Fratelli, chiamati a parte dell'officio Nostro pastorale, da ognuno del clero e dai singoli fedeli alle vostre cure commessi. Tutti in vero nella Chiesa di Dio siamo chiamati a formare quell'unico corpo, il cui capo è

* Opportunum valde ducimus heic subnectere litteralem versionem, qua fieri potest, fidelem huius Epistolae Encyclicae, quia licet ipsa pro catholicis Italis praecise sit conscripta, altissimae tamen ac maximi ponderis doctrinae ibidem traditae omnibus ubique catholicis mirifice prodesse possunt.

AD EPISCOPOS ITALIAE

PIUS PP. X

***Venerabiles Fratres, salutem et Apostolicam benedictionem.***

**Certum consilium, quod usque ab initio Pontificatus Nostri concepimus, vires omnes, quas benignitas Domini Nobis concedere dignatur, ad omnia instauranda in Christo dicandi, magnam fiduciam in corde Nostro excitat erga potentem Dei gratiam, sine qua nihil magni et uberis pro salute animarum in mundo cogitare aut aggredi possumus. Interea tamen eo vel magis ut a Vobis, Venerabiles Fratres, vocati in partem Nostri officii pastoralis, unanimiter ac con-**

Cristo: corpo strettamente compaginato, come insegna l'Apostolo Paolo (i), e ben commesso in tutte le sue giunture comunicanti, e questo in virtù dell'operazione proporzionata di ogni singolo membro, onde il corpo stesso prende l'aumento suo proprio e di mano in mano si perfeziona nel vincolo della carità. E se in quest' opera di *edificazione del corpo di Cristo* (2), è Nostro primo officio d'insegnare, di additare il retto modo da seguire e proporne i mezzi, di ammonire ed esortare paternamente, è altresì dovere di tutti i Nostri figliuoli dilettissimi, sparsi pel mondo, di accogliere le parole Nostre, di attuarle dapprima in se stessi e di concorrere efficacemente ad attuarle eziandio negli altri, ciascuno secondo la grazia da Dio ricevuta, secondo il suo stato ed officio, secondo lo zelo che ne infiamma il cuore.

Qui vogliamo soltanto ricordare quelle molteplici opere di zelo in bene della Chiesa, della società e degli individui particolari, comunemente designate col nome di *azione cattolica*, che fioriscono per grazia di Dio in ogni luogo e che abbondano altresì nella nostra Italia. Voi beh intendete, Venerabili Fratelli, quanto esse Ci debbano tornar care e quanto intimamente bramiamo di vederle rassodate e promosse. Non

stanter nobili in incepto adiuvemur opus habemus, a singulis clericis singulisque fidelibus vestrae sollicitudini commissis. Omnes enim in Ecclesia Dei ad illud unum corpus efformandum vocamur, cuius caput est Christus: corpus stricte compactum, uti docet Apostolus Paulus, et apte connexum per omnem iuncturam subministrationis secundum operationem in mensuram uniuscuiusque membri, unde corpus ipsum accipit augmentum suipsius et sensim sine sensu aedificatur in vinculo caritatis. Et si in hoc opere *aedificationis corporis Christi* Nostrum primum officium est docendi, rectum modum sequendum ostendendi mediaque ad id proponendi, monendi ac paterne hortandi, est quidem officium omnium Nostrorum filiorum, qui Nobis carissimi in orbe diffusi inveniuntur, consilia Nostra recipiendi, ea in seipsis prius executioni mandandi atque efficaciter cooperandi ut in aliis quoque in actum adducantur, quisque iuxta gratiam

(1) Ephes, iv, 16.

(2) Ib. iv, 12.

solo a più riprese ne abbiamo trattato a voce con parecchi almeno di voi, e coi principali loro rappresentanti in Italia neh" occasione che essi Ci recavano in persona l'omaggio della loro devozione e del loro affetto filiale, ma altresì pubblicando Noi su questo argomento o facendo pubblicare con la Nostra autorità varí Atti, che tutti già conoscete. Vero è che alcuni di questi, come richiedevano le circostanze per Noi dolorose, erano piuttosto diretti a rimuovere gli ostacoli al più spedito procedere dell'azione cattolica e a condannare certe tendenze indisciplinate, che con grave danno della causa comune si andavano insinuando. Però Ci tardava il cuore di rivolgere a tutti eziandio una paróla di paterno conforto e di eccitamento, acciocché sul terreno, per quanto è da Noi, sgombro dagli impedimenti, si continui ad edificare il bene e ad accrescerlo largamente. Ci è dunque ben grato di farlo ora con le presenti Nostre Lettere a comune consolazione, nella certezza che le parole Nostre saranno da tutti docilmente ascoltate e seguite.

Vastissimo è il campo dell' azione cattolica, la quale per se medesima non esclude assolutamente nulla di quanto, in qualsiasi modo, diretto od indiretto, appartiene alla divina

**a Deo acceptam, iuxta suum statum et officium, iuxta zelum qui cuiusvis cor inflammat.**

**Modo memorare tantum volumus plurima illa caritatis opera in bonum Ecclesiae, societatis et singulorum individuorum, quae sub nomine *actionis catholicae* communiter designantur, quaeque Deo opitulante ubique florent atque etiam in Italia nostra abundant. Quae opera quam cara Nobis sint et quantum ex corde cupimus ut ea roborentur ac promoveantur Vos, Venerabiles Fratres, optime perspicuis. Neque solum saepe saepius de his viva voce loquuti sumus cum pluribus saltem vestrum, cumque potioribus eorum praesidibus in Italia quando ipsi praesentes Nobis suae devotionis ac sui filialis amoris obsequium offerebant, sed etiam cum Nos de hoc argumento ederemus aut varios Actus auctoritate Nostra edi iuberemus, quos omnes iam nostis. Quod si nonnulli ex his, sicuti circumstantiae Nobis tristes exposcebant, potius ad obstacula removenda expeditiori actionis catholicae progressui atque ad quasdam effrénés propensiones damnandas, quae gravi damno causae communis irrepere inciperent, ordinati erant; cupiebamus tamen omnibus verba paterni solatii et hortationis**

missione delia Chiesa, Di leggieri si riconosce la necessità del concorso individuale a tant'opera, non solo per la santificazione delle anime nostre, ma anche per diffondere e sempre meglio dilatare il Regno di Dio negli individui, nelle famiglie e nella società, procurando ciascuno, secondo le proprie forze, il bene del prossimo con la diffusione della verità rivelata, con l'esercizio delle virtù cristiane e con le opere di carità o di misericordia spirituale e corporale. Questo è il camminare degno di Dio, a che ci esorta S. Paolo, così da piacergli in ogni cosa, producendo frutti di ogni opera buona e crescendo nella scienza di Dio: *Ut ambuletis digne Deo per omnia plácenles: in omni opere bono fructificantes, et crescentes in scientia Dei* (i).

Oltre a- questi però v'è un gran numero di beni appartenenti all'ordine naturale a cui la missione della Chiesa non è direttamente ordinata, ma che pure sgorgano dalla medesima, quasi naturale sua conseguenza. Tanta è la luce della rivelazione cattolica, che si diffonde vivissima su ogni scienza; tanta la forza delle massime evangeliche, che i precetti della legge naturale si radicano più sicuri ed ingagliardiscono ; tanta infine l'efficacia della verità e della morale insegnate

**movere, ut amotis, prout Nobis possibile est, obstaculis, bonum indesinenter perficiatur lateque diffundatur. Nobis itaque pergratum est modo hisce Nostris litteris id perficere ad omnium consolationem, freti verba Nostra ab omnibus cum docilítate exceptum et effectum iri.**

**Perlatus est actionis catholicae campus, quae ex sese nihil omnino excludit quod, quocumque modo, directe aut indirecte, ad divinam Ecclesiae missionem pertineat. Proinde neminem fugit tantae perficiendae operae singulorum cooperatione opus esse, non tantum pro animarum nostrarum sanctificatione, sed etiam ut diffundatur ac eo melius extendatur Regnum Dei in individuis, in familiis et in societate, unoquoque pro suis viribus quaerenti bonum proximi per veritatis revelatae diffusionem, per christianarum virtutum exercitium perque caritatis aut misericordiae spiritualis et corporalis opera. Hoc est ambulare Deo dignum, ad quod S. Paulus nos hortatur, ut per omnia ei placeamus, in omni opere bono**

(i) Coloss, i, io.

da Gesù Cristo, che lo stesso benessere materiale degli individui, della famiglia e della società umana si trova provvidenzialmente sostenuto e promosso. La Chiesa, pure predicando Gesù Cristo crocifisso, scandalo e stoltezza innanzi al mondo (1), è divenuta ispiratrice e fautrice primissima di civiltà; e la diffuse per tutto dove predicarono i subi Apostoli, conservando e perfezionando gli elementi buoni delle antiche civiltà pagane, strappando dalla barbarie ed educando a civile consorzio i nuovi popoli che al suo seno materno si rifugiavano, e dando all' intera società, bensì a poco a poco, ma con tratto sicuro e sempre più progressivo, quelr impronta tanto spiccata, che ancor oggi universalmente conserva. La civiltà del mondo è civiltà cristiana; tanto è più vera, più durevole, più feconda di frutti preziosi, quanto è più nettamente cristiana; tanto declina, con immenso danno del bene sociale, quanto dall' idea cristiana si sottrae. Onde per la forza intrinseca delle cose, la Chiesa divenne anche di fatto custode e vindice della civiltà cristiana. E tale fatto in altri secoli della storia fu riconosciuto ed ammesso; formò anzi il fondamento inconcusso delle legislazioni civili. Su quel fatto poggiarono le relazioni tra la Chiesa e gli Stati,

fructificantes et crescentes in scientia Dei: *Ut ambuletis digne Deo per omnia plácenles: in omni opere bono fructificantes, et crescentes in scientia Dei.*

Praeter haec autem plurima habentur bona ad ordinem naturalem spectantia, ad quae missio Ecclesiae non est directe ordinata, quae tamen ab eadem quasi natura sua profluunt. Talis est catholicae revelationis lux, quae in omnem scientiam vivissima diffunditur; tanta est vis Evangelii mandatorum, ut legis naturae praecepta sarta tecta roborentur et confirmentur, tanta demum est efficacia veritatis ac moralis a Iesu Christo propositarum; ut ipsa materialis felicitas individuorum, familiae et humanae societatis provide sustineatur ac promoveatur. Ecclesia, etiam praedicando Iesum Christum crucifixum, scandalum ac stultitiam coram mundo, inspiratrix et fautrix praecipua civilitatîs devenit; eamque, ubicumque ipsius Apostoli praedicaverunt, diffudit, servans atque perficiens elementa bona antiquorum ethnicorum cultuum, e barbarie eruens atque ad civilem consortium instituens novos populos, qui in maternum ipsius sinum confugerent,

(i) I Cor. i, 23.

il pubblico riconoscimento dell'autorità della Chiesa nelle materie tutte che toccano in qualsivoglia modo la coscienza, la subordinazione di tutte le leggi dello Stato alle divine leggi del Vangelo, la concordia dei due poteri, dello Stato e della Chiesa, nel procurare in tal modo il bene temporale dei popoli, che non ne abbia a soffrire l'eterno.

Non abbiamo bisogno di dirvi, o Venerabili Fratelli, quale prosperità e benessere, quale pace e concordia, quale rispettosa soggezione all'autorità e quale eccellente governo si otterrebbero e si manterrebbero nel mondo, se si potesse attuare per tutto il perfetto ideale della civiltà cristiana. Ma posta la lotta continua della carne contro lo spirito, delle tenebre contro la luce, di Satana contro Dio, tanto non è da sperare, almeno nella sua piena misura. Onde continui strappi si vanno facendo alle pacifiche conquiste della Chiesa, tanto più dolorosi e funesti, quanto più la società umana tende a reggersi con principi avversi al concetto cristiano, anzi ad apostatare interamente da Dio.

Non per questo è da perdere punto il coraggio. La Chiesa sa che le porte dell'inferno non prevarranno contro di lei; ma sa ancora che avrà nel mondo pressura, che i suoi apo-

**atque integrae societati, gradatim quidem, sed tuta ac semper progredienti ratione, notam adeo propriam imprimens, quam illa nunc quoque universaliter retinet. Civilitas mundi est civilitas christiana; eo verior, stabilior, uberior pretiosis fructibus, quo est purius christiana ; tam déclinât, maximo cum discrimine boni socialis, quam a christiana idea se retrahit. Unde vi rerum intima, Ecclesia custos ac vindex christianae civilitatis re quoque facta est. Hocque factum anterioribus historiae saeculis recognitum et admissum fuit; quinimo civilium legislationum firmum constituit fundamentum. Eo facto nixae sunt relationes Ecclesiam inter et Status, publica recognitio auctoritatis Ecclesiae in omnibus materiis, quae ad conscientiam quomodocumque referuntur, subordinatio omnium legum Status divinis Evangelii legibus, concordia utriusque regiminis, Status et Ecclesiae, ita temporale populorum bonum curando, ne quid detrimenti capiat aeternum.**

**Opus non est, Venerabiles Fratres, vobis ostendere quaenam prosperitas et bonum, quaenam pax et concordia, quaenam obsequens subiectio auctoritati et quodnam praestans gubernium haberentur ac servarentur in mundo, si ubique**

stoli sono inviati come agnelli tra' lupi, che i suoi seguaci saranno sempre coperti d'odio e di disprezzo, come d'odio e di disprezzo fu saturato il divino suo Fondatore. La Chiesa va quindi innanzi imperterrita, e mentre diffonde il Regno di Dio là dove non fu peranco predicato, si studia per ogni maniera di riparare alle perdite nel Regno già conquistato. *Instaurare omnia in Christo* è sempre stata la divisa della Chiesa, ed è particolarmente la Nostra nei trepidi momenti che traversiamo. Ristorare ogni cosa, non in qualsivoglia modo, ma in Cristo ; *quae in caelis, et quae in terra sunt, in ipso,* soggiunge l'Apostolo (i): ristorare in Cristo, non solo ciò che appartiene propriamente alla divina missione della Chiesa di condurre le anime a Dio, ma anche ciò, che come abbiamo spiegato, da quella divina missione spontaneamente deriva, la civiltà cristiana nel complesso di tutti e singoli gli elementi che la costituiscono.

E poiché Ci fermiamo a quest' ultima sola parte della restaurazione desiderata, Voi ben vedete, o Venerabili Fratelli, di quanto aiuto tornano alla Chiesa quelle schiere elette di cattolici, che si propongono appunto di riunire insieme tutte le loro forze vive, a fine di combattere con ogni mezzo

perfectum christianae civilitatis exemplar obtineri possit. At posito aeterno dissidio carnis adversus spiritum, tenebrarum adversus lucem, Satanae contra Deum, illud saltem in sua plenitudine sperandum non est. Qua de re continuae extorsiones pacificis Ecclesiae acquisitionibus fiunt, eo acerbiores ac funestiores, quo humana societas principiis conceptui christiano adversis inniti, imo totaliter a Deo se avertere adlaborat.

Attamen hanc ob rem non est animo deficiendum. Ecclesia noscit portas inferí contra ipsam non praevalituras ; sed praevidet etiam pressuram in mundo se passuram esse, apostolos suos sicut agnos inter lupos mitti, fideles suos odio et contemptui semper obiectum iri, sicut divinus eius Fundator odio et livore repletus fuit. Ecclesia proinde impavida procedit, et dum Regnum Dei diffundit ubi nondum praedicatum fuit, omnibus modis studet reparandi damna in Regno iam acquisito. *Instaurare omnia in Christo* fuit semper Ecclesiae signum et peculiariter Nostrum hisce tristibus temporibus. Restaurare omnia, non quo-

(i) Ephes, i, io.

giusto e legale la civiltà anticristiana: riparare per ogni modo i disordini gravissimi che da quella derivano; ricondurre Gesù Cristo nella famiglia, nella scuola, nella società; ristabilire il principio dell'autorità umana come rappresentante di quella di Dio; prendere sommamente a cuore gl' interessi del popolo e particolarmente del ceto operaio ed agricolo, non solo istillando nel cuore di tutti il principio religioso, unico vero fonte di consolazione nelle angustie della vita, ma studiandosi di rasciugarne le lagrime, di raddolcirne le pene, di migliorarne la condizione economica con ben condotti provvedimenti; adoperarsi quindi perchè le pubbliche leggi siano informate a giustizia, e si correggano o vadano soppresse quelle che alla giustizia si oppongono: difendere in fine e sostenere con animo veramente cattolico i diritti di Dio in ogni cosa e quelli non meno sacri della Chiesa.

Il complesso di tutte queste opere, sostenute e promosse in gran parte dal laicato cattolico e variamente ideate a seconda dei bisogni propri di ogni nazione e delle circostanze particolari in cui versa ogni paese, è appunto quello che con termine più particolare e certo nobile assai suol esser chiamato *azione cattolica,* ovvero *azione dei cattolici.*

**cumque modo, sed in Christo;** ***quae in caelis, et quae in terra sunt, in ipso,*** **subdit Apostolus: restaurare in Christo, non solum quod proprie ad divinam Ecclesiae missionem pertinet animas ad Deum ducendi, sed etiam quod, sicut diximus, ab eadem divina missione sponte profluit, christianam nempe civilitatem in omnibus et singulis elementis eam constituentibus.**

**Et quoniarn ad hanc postremam tantum partem desideratae restaurationis sermonem coarctantur, Vos optime nostis, Venerabiles Fratres, quo auxilio sint Ecclesiae illae catholicorum electae acies, quae hoc unum sibi proponunt omnes suas vividas vires insimul unire, ad civilitatem antichristianam omnibus mediis iustis ac legalibus debellandam: ad gravissimas deordinationes ex illa derivantes omnimode reparandas; ad Iesum Christum iterum ducendum in familiam, in scholam, in societatem; ad ^stabiliendum principium humanae auctoritatis tamquam vices gerentis auctoritatis Dei; ad res populi ac praesertim operarii et agricoli coetus summopere curandas, non tantum in omnium cordibus principium religiosum infundendo, unicam veram fontem consolationis in angustiis vitae, sed lacrimas eorum tergere, poenas lenire, oeconomicam conditionem per-**

Essa in tutti i tempi venne sempre in aiuto della Chiesa, e la Chiesa tale aiuto ha sempre accolto favorevolmente e benedetto, sebbene a seconda dei tempi si sia variamente esplicato.

Ed è infatti da notare qui subito, che non tutto ciò che potè essere utile, anzi unicamente efficace nei secoli andati, torna oggi possibile restituire allo stesso modo; tanti sono i cangiamenti radicali che col correre dei tempi s'insinuano nella società e nella vita pùbblica, e tanti i nuovi bisogni che le circostanze cambiate vanno di continuo suscitando. Ma la Chiesa nel lungo corso della sua storia ha sempre ed in ogni caso dimostrato luminosamente di possedere una meravigliosa virtù di adattamento alle variabili condizioni del consorzio civile, talché, salvo sempre l'integrità e l'immutabilità della fede e della morale, e salvi egualmente i sacrosanti suoi diritti, facilmente si piega e si accomoda in tutto ciò che è contingente ed accidentale alle vicende dei tempi ed alle nuove esigenze della società. La pietà, dice S. Paolo, a tutto si acconcia, possedendo le promesse divine, così per i beni della vita presente, come per quelli della futura : *Pietas autem ad omnia utilis est, promissionem*

**opportunis remediis in melius vertere adlaborando, ideoque ad obtinendum quo publicae leges iustitia informentur, atque corrigantur aut supprimantur quae iustitiae adversantur : demum ad defendenda ac sustinenda in omnibus animo vere catholico iura Dei ac iura non minus sacra Ecclesiae.**

**Horum omnium operum complexus, quae a laicatu catholico plerumque sustinentur ac promoventur atque diversimode excogitantur pro propriis uniuscuiusque nationis necessitatibus eiusdemque peculiaribus circumstantiis, est sane id quod nomine aptiori eoque nobilissimo vocari solet *actio catholica* seu *actio catholicorum.* Ipsa omnibus temporibus auxilio Ecclesiae semper fuit, quae hoc auxilium semper libenter excepit ac benedixit, quamvis illud pro temporibus varie explicatum sit.**

**Etenim heic notandum statim est, non omnia quae utilia fuere, imo unice efficacia anteactis temporibus, hodie possibile est eodem modo restituere ; tot sunt radicales variationes quae labentibus temporibus in societatem vitamque publicam inducuntur, totque novae necessitates quas mutatae circumstantiae continuo suscitant. Sed Ecclesia per amplum historiae suae cursum semper et ubique**

*habens vitae, quae nunc est, et futurae* (i). E però anche l'azione cattolica, se opportunamente cangia nelle sue forme esterne e nei mezzi che adopera, rimane sempre la stessa nei principi che la dirigono e nel fine nobilissimo che si propone. Perchè poi nello stesso tempo torni veramente efficace, converrà diligentemente avvertire le condizioni che essa medesima impone, se ben si considerino la sua natura ed il suo fine.

Anzitutto dev'essere altamente radicato nel cuore che lo strumento vien meno, se non è acconcio all'opera che si vuole eseguire. L'azione cattolica (come si ritrae ad evidenza dalle cose -anzidette) poiché si propone di ristorare ogni cosa in Cristo, costituisce un vero apostolato ad onore e gloria di Cristo stesso. Per bene compierlo ci vuole la grazia divina, e questa non si dà all'apostolo che non sia unite a Cristo. Solo quando avremo formato Gesù Cristo in noi, potremo più facilmente ridonarlo alle famiglie, alla società. E però quanti sono chiamati a dirigere o si dedicano a promuovere il movimento cattolico devono essere cattolici a tutta prova, convinti della loro fede, sodamente istruiti nelle cose della religione, sinceramente ossequenti alla Chiesa ed in

clare ostendit sibi inesse miram accommodationis virtutem mutabilibus civilis consortii conditionibus, ita ut, salvis semper integritate et immutabilitate fidei et morum, salvisque pariter suis sacrosanctis iuribus, facile cedat ac se acçommodet iis omnibus, quae contingentia et accidentalia sunt temporum vicissitudinibus novisque necessitatibus societatis. Pietas, ait S. Paulus, omnibus se aptat, divinas possidens promissiones, sicut pro bonis vitae praesentis ita et futurae: *Pietas autem ad omnia utilis est, promissionem habens vitae, quae nunc est, et futurae.* Ideoque etiam catholica actio, si opportune mutatur quoad suas externas formas ac media quibus utitur, semper eadem manet in principiis quae eam dirigunt et in fine nobilissimo quem sibi proponit. Ut autem simul sit vere efficax, diligenter cognoscantur oportet conditiones quas ipsamet imponit, ratione praesertim habita suae naturae ac finis.

In primis alte fixum in corde sit oportet instrumentum deficere, nisi operi, quod agendum venit, aptum efficiatur. Actio catholica (prout ex praedictis evi-

(i) I Tim. iv, 8.

particolare a questa suprema Cattedra Apostolica ed al Vicario di Gesù Cristo in terra; di pietà vera, di maschie virtù, di puri costumi e di vita così intemerata, che tornino a tutti di esempio efficace. Se l'animo non è così temperato, non solo sarà difficile promuovere negli altri il bene, ma sarà quasi impossibile procedere con rettitudine d'intenzione, e mancheranno le forze per sostenere con perseveranza le noie che reca seco ogni apostolato, le calunnie degli avversari, la freddezza e la poca corrispondenza degli uomini anche dabbene, talvolta perfino le gelosie degli amici e degli stessi compagni di azione, scusabili senza dubbio, posta la debolezza dell'umana natura, ma pure grandemente pregiudicevoli e causa di discordie, di attriti, di domestiche guerricciuole. Solo una virtù paziente e ferma nel bene, e nello stesso tempo soave e delicata, è capace di rimuovere o diminuire queste difficoltà, così che l'opera a cui sono dedicate le forze cattoliche non ne vada compromessa. Tale è la volontà di Dio, diceva S. Pietro ai primitivi fedeli, che col ben fare chiudiate la bocca agli uomini stolti: *Sic est voluntas Dei, ut bene facientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam* (1).

denter eruitur) quia omnia instaurare in Christo sibi proponit, verum apostolatum constituit ad honorem et gloriam ipsius Christi. Ad eum recte explendum requiritur divina gratia, haec autem apostolo non datur qui Christo non uniatur. Cum Iesum Christum in nobis efformaverimus, tunc facilius familiis societatique eum restituere poterimus. Ideoque quotquot ad regendam vocantur aut ad promovendam actionem catholicam se dederint, catholici firmissimi sint oportet, sua fide suasi, in rebus religionis recte edocti, sincere obsequentes Ecclesiae et praesertim huic supremae Cathedrae Apostolicae ac Vicario Iesu Christi in terris; vera pietate ornati, praeclaris virtutibus, integris moribus vitaque adeo intemerata, ut omnibus sint efficaci exemplo. Nisi animus ita sit dispositus, nedum in aliis bonum promovere difficile erit, sed fere impossibile evadet recta cum intentione procedere, atque vires deficient ad perseveranter sustinenda incommoda, quae quilibet apostolatus secumfert, adversariorum calumnias, neglectum parvamque corresponsionem hominum licet honestorum, aliquando et-

(1) I Petr. II, 15.

Importa inoltre ben definire le opere intorno alle quali si devono spendere con ogni energia e costanza le forze cattoliche. Quelle opere devono essere di così evidente importanza, così rispondenti ai bisogni della società odierna, così acconce agli interessi morali e materiali, soprattutto del popolo è delle classi diseredate, che mentre infondono ogni migliore alacrità nei promotori dell'azione cattolica pel grande e sicuro frutto che da se medesime promettono, siano insieme da tutti e facilmente comprese ed accolte volonterosamente. Appunto perchè i gravi problemi della vita odierna sociale esigono una soluzione pronta e sicura, si desta in tutti il più vivo interesse di sapere e conoscere i varí modi, onde quelle soluzioni si propongono in pratica. Le discussioni in un senso o nell'altro si moltiplicano ogni dì più e si propagano facilmente per mezzo della stampa. È quindi supremamente necessario che l'azione cattolica colga il momento opportuno, si faccia innanzi coraggiosa e proponga anch'essa la soluzione sua e la faccia valere con propaganda ferma, attiva, intelligente, disciplinata, tale che direttamente si opponga alla propaganda avversaria. La bontà e giustizia dei principi cristiani, la retta morale che professano i catto-

**iam zelotypiam amicorum ipsorumque in actione sociorum, procul dubio excusatione dignas, posita humanae naturae imbecillitate, sed tamen magnum praeiudicium afferentes et causam discordiarum, offensionum atque domesticarum contentionum. Tantummodo virtus patiens et firma in bono, simulque suavis ac delicata hasce tollere aut minuere difficultates valet, ita ut opus, cui vires catholicae adlaborant, detrimentum non capiat. Haec est voluntas Dei, aiebat S. Petrus primis fidelibus, ut bene facientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam:** ***Sic est voluntas Dei....***

**Interest praeterea recte definire opera, circa quae fortiter constanterque vires catholicae insudare debent. Opera illa tanti momenti sint oportet, adeo necessitatibus hodiernae societatis respondentia, tam apta moralibus ac materialibus bonis populi praesertim ac proletariorum, ut dum in promotores actionis catholicae quam optimam alacritatem infundant ob magnum atque securum fructum, quem ex seipsis promittunt, simul ab omnibus facile comprehendantur libenterque excipiantur. Quia vero hodiernae vitae socialis gravia problemata promptam tutamque exigunt solutionem, omnes apprime cupiunt scire ac eo-**

liei, il pieno disinteresse delle cose proprie, non altro apertamente e sinceramente bramando che il vero, il sodo, il supremo bene altrui, in fine l'evidente loro capacità di promuovere meglio degli altri anche i veri interessi economici del popolo, è impossibile non facciano breccia sulla mente e sul cuore di quanti li ascoltano e non ne aumentino le file, fino a renderli un corpo forte e compatto, capace di resistere gagliardamente alla contraria corrente e di tenere in rispetto gli avversari.

Tale supremo bisogno avvertì pienamente il Nostro Antecessore di b. m. Leone XIII, additando, soprattutto nella memoranda enciclica *Rerum Novarum* ed in altri documenti posteriori, l'oggetto intorno al quale precipuamente doveva svolgersi l'azione cattolica, cioè *la pratica soluzione a seconda dei principi cristiani della questione sociale.* Noi pure, seguendo così sapienti norme, col Nostro *Motu proprio* del 18 dicembre 1903 abbiamo dato all'azione popolare cristiana, che in sè comprende tutto il movimento cattolico sociale, un ordinamento fondamentale che fosse quasi la regola pratica del lavoro comune ed il vincolo della concordia e della carità. Qua dunque ed a questo scopo santissimo e necessarissimo

**gnoscere varios modos, quibus solutiones eaedem executioni mandantur. Discussiones alio atque alio sensu magis in dies multiplicantur ac facile per artem typographicam diffunduntur. Idcirco maxime necessarium est ut actio catholica opportunitatem capiat, audacter progrediatur ac ipsa quoque propriam solutionem proponat eamque valere faciat diffusione firma, alacri, perspicaci, ordinata, ita ut adversariae diffusioni directe opponatur. Bonitas ac iustitia principiorum christianorum, recta morum regula quam catholici profitentur, plenus suarum rerum contemptus, nil aliud aperte sincereque optando quam verum, firmum ac supremum aliorum bonum, evidens demum capacitas ipsorum promovendi melius quam caeteri etiam vera bona oeconomica populi, nequeunt non allicere mentem ac cor eorum qui audiunt, et agmina eorum accrescere, ita ut forte ac solidum corpus eos efficiant, capax contrario motui viriliter resistendi atque adversarios compescendi.**

**Quam supremam necessitatem optime novit Antecessor Noster Leo XIII b. m., ostendens, praecipue in celebri encyclica *Rerum Novarum* et in aliis posterioribus documentis, 'obiectum circa quod actio catholica praecipue evolvenda erat,**

devono anzitutto aggrupparsi e solidarsi le opere cattoliche, varie e molteplici nella forma, ma tutte egualmente intese a promuovere con efficacia il medesimo bene sociale.

Ma perchè quest'azione sociale si mantenga e prosperi con la necessaria coesione delle varie opere che la compongono, è soprammodo importante che i cattolici procedano con esemplare concordia tra loro; la quale per altro non si otterrà mai, se non vi ha in tutti unità d'intendimenti. Su tale necessità non può cader dubbio di sorta alcuna; tanto chiari ed aperti sono gl' insegnamenti dati da questa Cattedra Apostolica, tanta la viva luce che vi hanno sparso intorno coi loro scritti i più insigni tra' cattolici d'ogni paese, tanto lodevole l'esempio che più volte, anche da Noi medesimi, si è proposto dei cattolici di altre nazioni, i quali appunto per questa concordia ed unità d'intendimenti, in breve tempo hanno ottenuto frutti fecondi ed assai consolanti.

Ad assicurarne poi il conseguimento, tra le varie opere degne egualmente di lode, si è dimostrata altrove singolarmente efficace un' istituzione di carattere generale, che col nome di *Unione popolare* è destinata a raccogliere i cattolici di tutte le classi sociali, ma specialmente le grandi molti-

**nempe *practicam solutionem quaestionis socialis iuxta christiana principia.* Et Nos, sedantes tam sapientes normas, Nostro *Motu Proprio* diei 18 Decembris 1903 actioni populari christianae, quae totum complectitur motum catholicum socialem, ordinem dedimus fundamentalem, qui esset quasi practica norma actionis communis atque concordiae et caritatis vinculum. Heic igitur et hoc sanctissimo et maxime necessario fine niti ac roborari imprimis debent catholica opera, varia et multiplicia quoad formam, sed omnia pariter directa ad idem sociale bonum efficaciter promovendum.**

**Ut autem haec socialis actio conservetur atque floreat necessaria coesione variorum operum eamdem constituentium, maxime opus est ut catholici exemplari ad invicem concordia incedant; quae de coetero numquam obtineri poterit, nisi consiliorum unitas in omnibus habeatur. De qua necessitate nullum esse potest dubium; adeo clara et aperta sunt monita tradita ab hac Cathedra Apostolica, tam vivida lux quam suis scriptis circumfuserunt illustriores catholici cuiusvis nationis, tam laudabile exemplum quod pluries, etiam a Nobis ipsis, catholicorum aliarum nationum propositum fuit, qui ad amussim hanc ob con-**

tudini del popolo intorno ad un solo centro comune di dottrina, di propaganda e di organizzazione sociale. Essa infatti, poiché risponde ad un bisogno egualmente sentito quasi in ogni paese, e poiché la sua semplice costituzione risulta dalla natura stessa delle cose, quali egualmente per tutto s'incontrano, non può dirsi che sia propria piuttosto di una nazione che di un'altra, ma di tutte, dove si manifestano gli stessi bisogni e sorgono i medesimi pericoli. La sua grande popolarità la rende facilmente cara ed accettevole e non disturba nè impedisce alcun' altra istituzione, ma piuttosto a tutte le istituzioni dà forza e compattezza, poiché con la sua organizzazione strettamente personale sprona gl'individui ad entrare nelle istituzioni particolari, li addestra al lavoro pratico e veramente proficuo, ed unisce gli animi di tutti in un unico sentire e volere.

Stabilito così codesto centro sociale, tutte le altre istituzioni d'indole economica, destinate a risolvere praticamente e sotto i varí suoi aspetti il problema sociale, si trovano come spontaneamente raggruppate insieme nel fine generale che le unisce, mentre pure, a seconda dei vari bisogni a cui si applicano -, prendono forme diverse e diversi mezzi ado-

cordiam et consiliorum unitatem brevi tempore uberes fructus ac valde laetos obtinuerunt.

Quo vero tutius haec obtineantur, inter varia opera laude pariter digna, alibi habita est apprime efficax quaedam institutio indolis generalis, quae nomine *Unionis popularis* tendit ad catholicos cuiusque gradus socialis in unum colligendos, praesertim vero innumeras populi multitudines apud unum commune centrum doctrinae, diffusionis atque socialis ordinationis. Ipsa enim, cum cuidam necessitati fere ubique impellenti respondeat, cumque eius simplex constitutio ex ipsa rerum natura fluat, quae pariter ubicumque habentur, dici nequit propria unius potius quam alterius nationis, sed omnium, ubi eaedem innotescunt necessitates eademque nascuntur pericula. Mira eiusdem popularitas caram acceptabilemque eam statim reddit, neque vexat aut impedit quamlibet aliam institutionem, sed potius omnibus institutionibus robur connexionemque praebet, quia propria ordinatione stricte personali individuos cogit ingredi particulares institutiones, eos actioni practicae et vere proficuae assuescit, atque omnium animos ut idem sentiant ac velint perstringit.

perano, come richiede lo scopo particolare proprio di ciascheduna. E qui Ci torna ben caro di esprimere la Nostra soddisfazione pel molto che in questa parte si è già fatto in Italia, con certa speranza, che posto l'aiuto divino, si faccia ancora assai più nell' avvenire, rassodando il bene ottenuto e dilatandolo con zelo sempre più crescente. Nel che si rese grandemente benemerita 1' *Opera dei Congressi e Comitati cattolici*, grazie all'attività intelligente degli uomini esimi che la dirigevano e che a quelle particolari istituzioni furono preposti o le dirigono tuttavia. E però tale centro od unione di opere d'indole economica, come fu da Noi espressamente conservata al cessare dell' anzidetta Opera dei Congressi, così dovrà continuare anche in seguito sotto la solerte direzione di coloro che le sono preposti.

Contuttociò, perchè l'azione cattolica sia efficace sotto ogni rispetto, non basta che essa sia proporzionata ai bisogni sociali odierni ; conviene ancora che si faccia valere con tutti quei mezzi pratici, che le mettono oggi in mano il progresso degli studi sociali ed economici, l'esperienza già fatta altrove, le condizioni del civile consorzio, la stessa vita pubblica degli Stati. Altrimenti si corre rischio di andare tentoni lungo

**Hoc sociali centro ita constituto, aliae omnes institutiones indolis oeconomicae, ad practice et undequaque solvendam socialem quaestionem destinatae, quasi sponte sua simul conveniunt in fine generali qui eas unit, quamvis tamen, pro peculiaribus necessitatibus quibus intendunt, varias assumunt formas diversaque adhibent media, prout finis particularis uniuscuiusque proprius requirit. Heic autem Nobis gratum est Nostram satisfactionem significare ob multa quae hac in parte iam effecta sunt, in Italia, certa spe freti, posito divino auxilio, etiam plura factum iri in posterum, bona obtenta roborando eaque maiori semper zelo diffundendo. Hac de re optime meruit** *Opus Conventuum et Comitatum catholicorum,* **propter miram alacritatem praeclarorum virorum qui illud dirigebant, et qui eisdem peculiaribus institutionibus praepositi fuerunt aut eas adhuc dirigunt. Ideoque hoc centrum seu unio operum indolis oeconomicae, uti a Nobis expresse servatum fuit cessante praedicto Opere Congressuum, ita etiam in posterum prosequetur sub solerti directione eorum qui eidem praepositi sunt.**

**Nihilominus, ut catholica actio undequaque sit efficax, minime sat est quod ipsa par sit hodiernis socialibus necessitatibus; oportet etiam ut omnibus me-**

tempo in cerca di cose nuove e mal sicure, mentre le buone e certe si hanno in mano ed hanno fatto già ottima prova; ovvero di proporre istituzioni e metodi propri forse di altri tempi, ma oggi non intesi dal popolo ; ovvero infine di arrestarsi a mezza via non servendosi, nella misura pur concessa, di quei diritti cittadini che le odierne costituzioni civili offrono a tutti e quindi anche ai cattolici. E per fermarci a quest'ultimo punto, certo è che l'odierno ordinamento degli Stati offre indistintamente a tutti la facoltà d'influire sulla pubblica cosa, ed i cattolici, salvo gli obblighi imposti dalla legge di Dio e dalle prescrizioni della Chiesa, possono con sicura coscienza giovarsene, per mostrarsi idonei al pari, anzi meglio degli altri, di cooperare al benessere materiale e civile del popolo ed acquistarsi così quell'autorità e quel rispetto, che rendano loro possibile eziandio di difendere e promuovere i beni più alti, che sono quelli dell'anima.

Quei diritti civili sono parecchi e di vario genere, fino a quello di partecipare direttamente allá vita politica del paese, rappresentando il popolo nelle aule legislative. Ragioni gravissime Ci dissuadono, Venerabili Fratelli, dallo scostarci da quella norma già decretata dal Nostro Antecessore

**diis practicis defendatur, quae eidem hodie suppetantur progressus studiorum socialium et oeconomicorum, experientia alibi iam facta, conditiones civilis consortii, ipsa vita publica Statuum. Alioquin periculum imminet diu in incertum vagandi nova et periculosa inquirendo, dum bona ac tuta prae manibus habentur atque optima se iam praebuerunt; aut institutiones methodosque proprias fortasse aliorum temporum proponendi, quae nunc a populo non intelliguntur ; aut demum ab opere desistendi minime utendo, in mensura quidem concessa, illis civilibus iuribus quae hodiernae civiles institutiones omnibus proindeque etiam catholicis offerunt. Et ut in hoc postremo argumento sistamus, haud dubiam est praesentem Statuum ordinationem omnibus indistincte facultatem praebere in rem publicam influendi, atque catholici, salvis officiis divinae legis et praescriptionibus Ecclesiae, tuta conscientia uti ea possunt, ut se idoneos praebeant item, imo melius quam coeteri, cooperandi bono materiali ac civili populi atque ita acquirendi illam auctoritatem et venerationem, quae ipsis bona etiam altiora, quae sunt illa animae, defendere et promovere permittat.**

**Quae iura civilia plura sunt varieque ex genere, minime secluso iure di-**

di s. m. Pio IX e seguita poi dall'altro Nostro Antecessore di s. m. Leone XIII durante il diuturno suo Pontificato, secondo la quale rimane in genere vietata in Italia la partecipazione dei cattolici al potere legislativo. Senonchè altre ragioni parimente gravissime, tratte dal supremo bene della società, che ad ogni costo deve salvarsi, possono richiedere che nei casi particolari si dispensi dalla legge, specialmente quando Voi, Venerabili Fratelli, ne riconosciate la stretta necessità pel bene delle anime e dei supremi interessi delle vostre Chiese, e ne facciate dimanda.

Ora la possibilità di questa benigna concessione Nostra induce il dovere nei cattolici tutti di prepararsi prudentemente e seriamente alla vita politica, quando vi fossero chiamati. Onde importa assai, che quella stessa attività, già lodevolmente spiegata dai cattolici per prepararsi con una buona organizzazione elettorale alla vita amministrativa dei Comuni e dei Consigli provinciali, si estenda altresì a prepararsi convenientemente e ad organizzarsi per la vita politica, come fu opportunamente raccomandato con la *Circolare* del 3 dicembre 1904 dalla Presidenza generale delle Opere economiche in Italia. Nello stesso tempo dovranno inculcarsi e

**recte participandi politicae vitae nationis, populum repraesentando in legislativis aulis. Gravissima argumenta Nobis dissuadent, Venerabiles Fratres, recedere ab illa norma, quam antea decrevit Praedecessor Noster Pius IX s. m., et postea secutus est alter Praedecessor Noster Leo XIII s. m. durante suo diuturno Pontificatu, iuxta quam in Italia participatio catholicorum potestati legislativae prohibita in genere remanet. Attamen rationes aliae pariter gravissimae, depromptae ex supremo societatis bono, quae omnimode salvari oportet, exigere possunt ut in casibus particularibus a lege dispensetur, praecipue cum Vos, Venerabiles Fratres, hoc maxime necessarium censueritis pro animarum salute ac supremis vestrarum ecclesiarum bonis, atque dispensationem petieritis.**

**Possibilitas vero huius benignae concessionis inducit in omnibus catholicis officium prudenter sapienterque vitae politicae se parandi, quando ad "eam vocarentur. Unde valde interest ut ea ipsa alacritas, iam laudabiliter a catholicis adhibita ut-bona cum electorali organizatione se pararent vitae administrativae Municipiorum ac Consiliorum provincialium, extendatur etiam ad apte se parandos et ordinandos vitae politicae, prout opportune commendatum fuit Lit-**

seguirsi in pratica gli alti principi che regolano la coscienza di ogni vero cattolico. Deve egli ricordarsi sopra ogni cosa di essere in ogni circostanza e di apparire veramente cattolico, accedendo agli offici pubblici ed esercitandoli col fermo e costante proposito di promuovere a tutto potere il bene sociale ed economico della patria e particolarmente del popolo, secondo le massime della civiltà spiccatamente cristiana, e di difendere insieme gl'interessi supremi della Chiesa, che sono quelli della religione e della giustizia.

Tali sono, Venerabili Fratelli, i caratteri, l'oggetto e le condizioni dell'azione cattolica, considerata nella parte sua più importante, che è la soluzione della questione sociale, degna quindi che vi si applichino con la massima energia e costanza tutte le forze cattoliche. II che però non esclude che si favoriscano e si promuovano anche altre opere di vario genere, di diversa organizzazione, ma tutte egualmente destinate a questo o quel bene particolare della società e del popolo ed a rifiorimento della civiltà cristiana sotto vari determinati aspetti. Sorgono esse per lo più grazie allo zelo di particolari persone e si diffondono nelle singole diocesi e talvolta si aggruppano in federazioni più estese. Ora, sem-

**teris Circularibus diei 3 Decembris 1904 a Praesidentia generali Operum oeconomicorum in Italia. Insimul inculcanda erunt ac practice sequenda sublimia principia, quae conscientiam cuiusvis veri catholici moderantur. Imprimis meminerit ipse esse omni tempore et videri vere catholicus, accedens ad publica officia eaque exercens firmo ac constanti proposito pro viribus bonum sociale oeconomicumque patriae et praesertim populi promovendi, iuxta normas civilitatis vere christianae, atque simul defendendi suprema Ecclesiae iura, quae sunt eadem ac religionis et iustitiae.**

**Hi sunt, Venerabiles Fratres, characteres, obiectum et conditiones actionis catholicae quoad suam praecipuam partem inspectae, quae est solutio quaestionis socialis, digna sane cui omnes vires catholicae adlaborent maxima cum alacritate et constantia. Quod autem non impedit quin iuventur ac promoveantur etiam alia opera varii generis diversaeque ordinationis, sed omnia, pariter directa huic vel illi bono peculiari societatis et populi atque restaurationi variis sub determinatis adspectibus civilitatis christianae. Solent ipsae exurgere ob particularium personarum zelum atque in singulas diffundi dioeceses quandoque**

prêché sia lodevole il fine che si propongono, siano fermi i principi cristiani che seguono e giusti i mezzi che adoperano, sono anch'esse da lodare e da incoraggiare per ogni-modo. E si dovrà pure lasciare loro una certa libertà di organizzazione, non essendo possibile, che dove più persone convengono insieme, si modellino tutte sul medesimo stampo o si accentrino sotto un'unica direzione. L'organizzazione poi deve sorgere spontanea dalle opere stesse, altrimenti si avranno edifici bene architettati, ma privi di fondamento reale e però al tutto effimeri. Conviene pure tener conto dell'indole delle singole popolazioni. Altri usi, altre tendenze si manifestano in luoghi diversi. Quel che importa è che si lavori su buon fondamento, con sodezza di principi, con fervore e costanza, e se questo si ottiene, il modo e la forma che prendono le varie opere sono e rimangono accidentali.

Per rinnovare infine ed accrescere in tutte indistintamente le opere cattoliche l'alacrità necessaria, e per offrire occasione ai promotori ed ai membri delle medesime di vedersi e conoscersi scambievolmente, di stringere sempre meglio i vincoli della carità fraterna tra loro, d'animarsi l'un

maiores in foederationes conveniri. Iamvero, dum laude dignus sit finis quem sibi proponunt, firma sint christiana principia quae sequuntur iustaque media quae adhibent, et ipsa laudanda et omnino fovenda erunt. Quibus concedenda quidem est quaedam ordinationis libertas, cum possibile non sit ut, ubi plures simul conveniunt personae, omnes sub eadem forma efformentur aut sub unica directione disponantur. Organizatio vero ex ipsis operibus spontanea exurgere debet, alioquin aedificia bene exstructa habentur, sed reali fundamento carentia ideoque omnino effimera. Singulorum populorum indolis ratio est etiam habenda. Alii usus aliaeque tendentiae manifestantur diversis in locis. Unum interest ut super solido fundamento laboretur, cum principiorum firmitate, cum fervore et perseverantia, quae si obtineantur, modus et forma, quas varia opera assumunt, accidentales sunt ac manent.

Tandem.ut necessaria alacritas in omnibus indiscriminatim catholicis operibus renovetur ac augeatur, atque ut promotoribus eorumdemque membris occasio praebeatur se videndi ac invicem cognoscendi, magis magisque fraternae caritatis vincula inter ipsos devinciendi, invicem sese incitandi zelo semper alacriori

l'altro con zelo sempre più ardente all' azione efficace, e di provvedere alla migliore solidità e diffusione delle opere stesse, gioverà mirabilmente il celebrare di tempo in tempo, secondo le norme già date da questa Santa Sede, i Congressi generali o parziali dei cattolici italiani, che devono essere la solenne manifestazione della fede cattolica e la festa comune della concordia e della pace.

Ci resta a toccare, Venerabili Fratelli, di un altro punto di somma importanza, ed è la relazione che tutte le opere dell'azione cattolica devono avere rispetto all'autorità ecclesiastica. Se bene si considerano le dottrine che siamo andati svolgendo nella prima parte di queste / Nostre Lettere, si conchiuderà di leggieri, che tutte quelle opere che direttamente vengono in sussidio del ministero spirituale e pastorale della Chiesa e che però si propongono un fine religioso in bene diretto delle anime, devono in ogni menoma cosa essere subordinate all'autorità della Chiesa e quindi anche all'autorità dei Vescovi, posti dallo Spirito Santo a reggere la Chiesa di Dio nelle diocesi loro assegnate. Ma anche le altre opere, che come abbiamo detto, sono precipuamente istituite a ristorare e promuovere in Cristo la vera civiltà

**ad efficacem actionem, et providendi meliori soliditati ac diffusioni ipsorum operum, maxime iuvabit identidem celebrare, iuxta normas ab hac Sancta Sede praescriptas, Conventus generales aut partiales catholicorum Italiae, qui solemnis fidei catholicae manifestatio ac commune concordiae festum sint oportet.**

**Aliquid manet dicendum, Venerabiles Fratres, de alio maximi momenti capite, de relatione videlicet quam omnia catholicae actionis opera ad ecclesiasticam -auctoritatem habere debent. Si doctrinae, quas in prima harum Nostrarum Litterarum parte exposuimus, bene perpendantur, facile concludetur, omnia illa opera quae ministerio spirituali ac pastorali Ecclesiae directe inserviunt quaeque proinde sibi proponunt finem religiosum in directum animarum bonum, debent et in minimis auctoritati Ecclesiae subesse ideoque etiam Episcoporum, qui a Spiritu Sancto positi sunt regere Ecclesiam Dei in dioecesibus eisdem concreditis. Verum et caetera opera quae, uti diximus, praecipue instituta sunt ad restaurandam promovendamque in Christo veram civilitatem christianam et quae constituunt in sensu exposito actionem catholicam, nullo modo concipi possunt independentia a consilio et suprema ecclesiasticae auctoritatis directione, prae-**

cristiana e che costituiscono nel senso spiegato l'azione cattolica, non si possono per niun modo concepire indipendenti dal consiglio e dall' alta direzione dell' autorità ecclesiastica, specialmente poi in quanto devono tutte informarsi ai principi della dottrina e della morale cristiana; molto meno è possibile concepirle in opposizione più o meno aperta con la medesima autorità. Certo è che tali opere, posta la natura loro, si debbono muovere con la conveniente ragionevole libertà, ricadendo sopra di loro la responsabilità dell'azione, soprattutto poi negli affari temporali ed economici ed in quelli della vita pubblica amministrativa o politica, alieni dal ministero puramente spirituale. Ma poiché i cattolici alzano sempre la bandiera di Cristo, per ciò stesso alzano la bandiera della Chiesa, ed è quindi conveniente che la ricevano dalle mani della Chiesa, che la Chiesa ne vigili l'onore immacolato e che a questa materna vigilanza i cattolici si sottomettano, docili ed amorevoli figliuoli.

Per la quale cosa appare manifesto quanto fossero sconsigliati coloro, pochi in vero, che qui in Italia e sotto i Nostri occhi, vollero accingersi ad una missione che non ebbero da Noi, nè da alcun altro dei Nostri Fratelli nel-

**sertim vero cum omnia inniti debeant principiis doctrinae ac moralis christianae ; eoque minus possibile est ea concipere plus minusve eidem auctoritati opposita. Procul dubio est haec opera, attenta eorum natura, moveri deberi cum opportuna rationabili libertate, cum ipsa de propria respondeant actione, praesertim vero in rebus temporalibus et oeconomicis ac in illis vitae publicae administrativae et politicae, a ministerio mere spirituali alienis. Sed quoniam catholici semper Christi vexillum deferunt, eo ipso extollunt Ecclesiae vexillum, ita decet omnino ut illud ab Ecclesiae manibus recipiant, Ecclesia eius immaculatum honorem defendat atque huic maternae vigilantiae catholici, tamquam dociles et obsequentes filii, se submittant.**

**Quapropter manifestum apparet quam male egerint illi, pauci quidem, qui heic in Italia et Nostris sub oculis, cuidam missioni se dicare praesumpserunt quam a Nobis non acceperant, neque ab aliquo alio ex Nostris Fratribus in Episcopatu, eamque promovere conati sunt, non tantum sine debito auctoritatis obsequio, sed etiam aperte contra eiusdem voluntatem, suam rebellionem frivolis distinctionibus legitimare studentes. Et ipsi vexillum in nomine Christi ex-**

F Episcopato, e si fecero a promuoverla, non solo senza il debito ossequio all'autorità, ma perfino apertamente contro il volere di lei, cercando di legittimare la loro disobbedienza con frivole distinzioni. Dicevano anch' essi di alzare in nome di Cristo un vessillo; ma tal vessillo non poteva essere di Cristo, perchè non recava tra le sue pieghe la dottrina del divin Redentore, che anche qui ha la sua applicazione: *Chi ascolta voi, ascolta me; e chi disprezza voi, disprezza me* (1): *Chi non è meco, è contro me; e chi meco non raccoglie, disperde* (2); dottrina dunque di umiltà, di sommessione, di filiale rispetto. Con estremo rammarico del Nostro cuore abbiamo dovuto condannare una simile tendenza ed arrestare autorevolmente il moto pernicioso che già si andava formando. E tanto maggiore era il dolor Nostro perchè vedevamo incautamente trascinati per così falsa via buon numero di giovani a Noi carissimi, molti dei quali di eletto ingegno, di fervido zelo, capaci di operare efficacemente il bene, ove siano rettamente guidati.

Mentre però additiamo a tutti la retta norma dell'azione cattolica, non possiamo dissimulare, Venerabili Fratelli, il pericolo non lieve al quale, per la condizione de' tempi, si

tollere dictitabant; at hoc vexillum esse nequiverat Christi, cum in seipso doctrinam divini Redemptoris non deferret, quae etiam hic applicari potest : *Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit: Qui non est mecum, contra me est; et qui non colligit mecum, disperdit;* doctrina igitur humilitatis, subiectionis, filialis obsequii. Maximo cordis Nostri dolore refellere huiusmodi tendentiam atque auctoritative motum perniciosum iam invadentem compellere debuimus. Eoque acerbior dolor Noster erat, quia incaute hac falsa via plurimos videbamus allici iuvenes Nobis carissimos, quorum multi electo ingenio, fervido zelo et capaces bonum efficaciter operandi, si recte manuducantur.

Dum vero omnibus rectam actionis catholicae normam indigitamus, dissimulare nolumus, Venerabiles Fratres, periculum haud leve cui, hac conditione temporum, nunc clerus est expositus; nimium nempe dandi pondus bonis materialibus populi, flocci e contra faciendi valde graviora sui sacri ministerii.

(1) LUC. X, 16.
(2) Ib. XI, 23.

trova oggi esposto il clero; ed è di dare soverchia importanza agl'interessi materiali del popolo, trascurando quelli ben più gravi del sacro suo ministero.

Il sacerdote, elevato sopra gli altri uomini per compiere la missione che tiene da Dio, deve mantenersi egualmente al di sopra di tutti gli umani interessi, di tutti i conflitti, di tutte le classi della società. Il suo proprio campo è la chiesa, dove ambasciatore di Dio predica la verità ed inculca col rispetto dei diritti di Dio il rispetto ai diritti di tutte le creature. Così operando, egli non va soggetto ad alcuna opposizione, non apparisce uomo di parte, fautore degli uni, avversario degli altri, nè per evitare l'urto di certe tendenze o per non irritare in molti argomenti gli animi inaspriti si mette nel pericolo di dissimulare la verità o di tacerla, mancando nell'uno e nell'altro caso ai suoi doveri; senza dire, che dovendo trattare bene spesso di cose materiali, potrebbe trovarsi solidale in obbligazioni dannose alla sua persona e alla dignità del suo ministero. Non dovrà dunque prender parte ad associazioni di questo genere, se non dopo matura considerazione, d'accordo col suo Vescovo,

Sacerdos, super coeteris hominibus elevatus ad explendam a Deo receptam missionem, item consistere debet supra omnibus humanis rebus, conflictis omnibus, omnibus societatis coetibus. Eius proprius campus est Ecclesia, ubi Dei legatus veritatem praedicat atque simul cum veneratione iurium Dei inculcat respectum iuribus omnium creaturarum. Ita agendo, ipse nulli oppositioni obnoxius est, vir partium non apparet, fautor aliquorum, aliorum adversarius, neque ad vitandos nonnullarum tendentiarum impetus aut ad animos offensos in pluribus argumentis non invitandos periculo exponitur dissimulandi vel tacendi veritatem, sua officia in utroque casu non servans; imo cum saepe saepius sibi de. rebus materialibus sit tractandum, solidalis evadere posset in obligationibus suae personae ac dignitati sui ministerii obnoxiis. Nulli igitur huius generis associationi participet, nisi praevia matura consideratione, de Episcopi proprii consensu, atque in illis tantum casibus, in quibus sua cooperatio quovis periculo est immunis et evidenti auxilio evadit.

Neque hoc modo sacerdotis zelus devincitur. Verus apostolus *omnia omnibus fieri debet, ut omnes salvos faceret:* prout iam divinus Redemptor, misereri debet, *videns turbas ita vexatas, iacentes sicut oves non habentes pasto-*

ed in quei casi soltanto, ne' quali l'aiuto suo è immune da ogni pericolo e torna di evidente profitto.

Nè in tal maniera si raffrena punto il suo zelo. Il vero apostolo deve ***farsi tutto a tutti, per tutti salvare*** (1): come già il divin Redentore, deve sentirsi muovere a pietà le viscere, ***mirando le turbe così vessate, giacenti quasi pecore senza pastore*** (2). Con la propaganda efficace degli scritti, con l'esortazione viva della parola, col concorso diretto ne' casi anzidetti, s'adoperi adunque, a fine di migliorare eziandio, entro i limiti della giustizia e della carità, la condizione economica del popolo, favorendo e promuovendo quelle istituzioni che a ciò conducono, quelle soprattutto che si propongono di ben disciplinare le moltitudini contro l'invadente predominio del socialismo e che ad un tempo le salvano e dalla rovina economica e dallo sfacelo morale e religioso. In questo modo l'assistenza del clero alle opere dell' azione cattolica mira ad un fine altamente religioso, nè tornerà mai d'impedimento, sarà anzi di aiuto al suo ministero spirituale, allargandone il campo e moltiplicandone il frutto.

Ecco, o Venerabili Fratelli, quanto Ci premeva esporre ed inculcare intorno all'azione cattolica da sostenere e pro-

**rem. Efficaci scriptorum diffusione, viva vocis exhortatione, directa cooperatione in supradictis casibus, curet igitur, ad provehendam intra iustitiae et caritatis limites, oeconomicam quoque populi conditionem, favens promovensque institutiones illas quae ad hoc intendunt, illas praesertim quae finem sibi proponunt multitudines recte ordinandi adversus invadens socialismi dominium et quae eas protegunt sive ab oeconomica eversione sive a morali religiosoque exitio. Hoc modo adsistentia cleri operibus actionis catholicae in finem apprime religiosum tendit, neque unquam impedimento erit, imo auxilio evadet eius spirituali ministerio, eiusdem campum extendens fructumque multiplicans.**

**En, Venerabiles Fratres^ quae exponere et inculcare cupiebamus circa actionem catholicam sustinendam promovendamque in Italia nostra.— Non sufficit indigitare bonum; oportet illud practice exequamur. Ad hoc maximo sane erit auxilio vestra etiam exhortatio vestrumque paternum immediatum consilium ad**

(1) I Cor. ix, 22.
(2) Matth, ix, 36.

muovere nella nostra Italia. — Additare il bene non basta ; è necessario eseguirlo in pratica. Nel che tornerà certo di grandissimo aiuto V esortazione vostra altresì ed il, paterno vostro immediato eccitamento al ben fare. Siano pure umili i principi, purché veramente si cominci, la grazia divina li farà crescere in breve tempo e prosperare. E tutti i Nostri diletti figliuoli, che si dedicano all' azione cattolica, ascoltino di nuovo la parola che Ci sgorga tanto spontanea dal cuore. Nelle amarezze onde siamo tuttodì circondati, se vi ha alcuna consolazione in Cristo, se alcun conforto Ci viene dalla carità vostra, se vi ha comunione di spirito e viscere di compassione, diremo Noi pure con l'Apostolo Paolo (i), rendete compiuto il Nostro gaudio con la concordia, con T identica carità, col sentimento unanime, con l'umiltà e debita soggezione, cercando non il proprio comodo, ma il bene comune, e trasfondendo nei vostri cuori quei medesimi sentimenti , che in sè nutriva Gesù Cristo, Salvatore nostro. Sia egli il principio di ogni vostra impresa : *Quanto voi dite o fate, sia tutto nel nome del Signore Gesù Cristo* (2) ; sia egli il termine d'ogni vostra operazione : *Conciossiachè da lui, e per lui, ed a lui sono tutte le cose ; a lui gloria pe*

**bonum faciendum. Sint quidem humilia principia, dummodo vere incipiatur, divina gratia brevi eadem augebit prosperabitque. Omnesque Nostri dilecti filii, •qui actioni catholicae se dedicant, iterum excipiant verba quae ex corde Nostro tam sponte profluunt.' In angustiis, quibus quotidie premimur, si qua est consolatio in Christo, si quid solatii ex vestra caritate Nobis affertur, si communio habetur spiritus et commiserationis, et Nos cum Apostolo Paulo dicemus, expletum reddite gaudium Nostrum concordia, identica caritate, unanimi affectu, humilitate debitaque affectione, non proprium commodum cupientes, sed commune bonum, atque in cordibus vestris eosdem nutrientes sensus, quos fovebat Iesus Christus, Salvator noster. Sit ipse principium cuiusvis vestri incepti:** ***Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Iesu Christi;*** **sit ipse terminus cuiusque actionis vestrae:** ***Quoniam ex ipso et per ipsum, et in ipso sunt omnia; ipsi gloria in saecula.*** **Et hac die laetissima,**

(1) Philipp, n, 1-5.
(2) Coloss, iii, 17.

*secoli* (i). Ed in questo giorno faustissimo, che ricorda gli Apostoli, quando, ripieni di Spirito Santo, uscirono dal Cenacolo **a** predicare al mondo il Regno di Cristo, discenda eziandio su tutti voi la virtù del medesimo Spirito e pieghi ogni durezza, ritempri gli animi freddi, e quanto è sviato rimetta sul retto sentiero : *Flecte quod est rigidum, f ove quod est /rigidum, rege quod est devium.*

Auspice intanto del divino favore e pegno del Nostro specialissimo affetto sia ***Y*** Apostolica benedizione, che dall'intimo del cuore impartiamo a Voi, Venerabili Fratelli, al vostro clero e al popolo italiano.

Dato a Roma presso S. Pietro, nella festa della Pentecoste, II giugno 1905, del Nostro Pontificato anno secondo.

PIUS PP. X

**qua recordamur Apostolos, quum Spiritu Sancto repletos, e Coenaculo exierunt ad Regnum Christi mundo praedicandum, descendat etiam super vos omnes virtus eiusdem Spiritus omneque rigidum flectat, animos frigidos foveat, quodque est devium recte dirigat:** ***Flecte quod est rigidum, f ove quod est /rigidum, rege quod est devium.***

**Auspex interim divini favoris ac pignus Nostri peculiarissimi affectus sit Apostolica benedictio, quam ex intimo corde Vobis, Venerabiles Fratres, vestro clero ac populo italico impertimus.**

**Datum Romae apud S. Petrum, die festo Pentecostes, u Iunii** 1905, **Pontificatus Nostri anno secundo.**

**PIUS PP. X**

**(i) Rom. xi, 36.**

# ALLOCUTIO

## Quam Pius PP. X habuit ad iuvenes catholicos Poloniae (i).

Maximae sint tibi grates, Venerabilis Frater, qui diserta allocutione dilectos filios coram Nobis ostendens iucunditatem ac solatium animo Nostro attulisti. Si enim semper et praecipue cordi Nobis est iuventus, verbis satis significare non possumus, quantum gaudii Nobis afferat conspectus iuvenum Gentis Polonae, cuius et praeclara spirat memoria gestarum rerum et magnam erga hanc Sanctam Sedem coniunctam cum fiducia pietatem agnovimus.

Hi enim fratres sunt illorum qui sicut perbelle memirtisti, ineunte saeculo xin ferventi religionis ardore incensi innumeri in Syriam et Palaestinam dimicantes convenerunt, ut loca sanctissimis Redemptionis nostrae mysteriis consecrata recuperaren! et christiani nominis hostes ad catholicam veritatem converterent. Hi filii sunt illorum patrum, qui tremefacta Europa ad impetus hostium praepotentium, pectorum suorum praesidia inter primos insignibus proeliis opposuerunt: iidem religionis et civilis cultus vindices acerrimi, fidissimique custodes. Hi sunt iuvenes, qui macte virtute saeculi falladas et maiorum exempla caventes, ad omnem christianam laudem animose contendunt, nec postrema cura ea est aliis prodesse exemplo, scilicet ut multi numerentur, qui cum illis rerum omnium, quae honestae sint, communione iungantur.

Dum porro vos, dilecti filii, non degeneres virtutis patrum gaudenter perspicimus, praeclaras voluntates vestras omni, ut par est, commendatione prosequimur, atque animos etiam vobis ultro addimus, ut studiis vestris eam gloriam sectemini, quae in probanda Deo et Ecclesiae fide vestra

(i) **Die** 24 **Aprilis** 1905 **Sanctitas Sua in privata Audientia excepit iuvenes catholicos studentes Poloniae romanum iter primo suscipientes, et per relatam Allocutionem sermoni Episcopi Leopoliensis respondit** ***(N. R.).***

continetur. Quod si in hac via fideliter institeritis, minime dubitamus lucem exempli vestri plurimum valituram, ut plures ea excitad, ac tristi eorum conditione permoti, qui saeculi erroribus anguntur, sese vobis socios adsciscant et ad certandum bonum certamen alacritatem vestram studeant aemulari.

Haec autem omnia pro ingenii vestri docilítate feliciter consecuturos confidimus, praesertim cum noverimus vestrum moderatores et magistros, quorum multos praesentes laetanter conspicimus, collatis in unum- viribus et consiliis, cuncta quae in illis sunt adhibere, ut vestrum omnium animi in catholicae professionis officiis roborata virtute et subsidiis auctis confirmentur et praestent.

Vobis propterea, electi iuvenes, eximii magistri et tibi in primis, Venerabilis Frater, qui omnes singulari caritate permoti ad Nos adiistis, gratum animum Nostrum nominatim profitemur, pariterque petimus, ut civibus vestris quos ut amantissimus filios habemus maxime caros, paternam benevolentiam Nostram reduces testari velitis : quibus vobisque cunctis vestrisque familiis et universae Polonae Genti caelestium auspicem munerum Apostolicam benedictionem ex intimo cordis affectu in Domino impertimus.

PIUS PP. X

# EX SECRETARIA STATUS

## Litterae Cardinalis Secretarii Status circa Editionem typicam Vaticanam Librorum Liturgicorum Gregorianorum.

*Reverendissimo Padre,*

Dal lavoro preparatorio della Commissione Pontificia per T Edizione Vaticana dei Libri Liturgici Gregoriani vengono posti in rilievo i molteplici vantaggi che öftre una semplificazione nell'opera di compilazione, onde rendere più proficui i risultati ottenuti finora dalla iniziata riforma del Canto Gregoriano.

Il Santo Padre adunque, dopo avere nuovamente rivolto il meritato encomio ai monachi Benedettini, specialmente a quelli della Congregazione di Francia e del Monastero di Solesmes per l'opera illuminata e proficua prestata dai medesimi nella riforma delle sacre melodie della Chiesa, si è benignamente compiaciuto di decidere che la pubblicanda Edizione Vaticana sia basata sull' edizione benedettina pubblicata a Solesmes nel 1895, riconoscendo per tal modo il giusto valore di quella bene intrapresa riforma. Alla S. V. poi, come Presidente della Commissione Pontificia, il Santo Padre affida il delicato incarico di rivedere e correggere l'Edizione in parola, ed in questo lavoro Ella si farà coadiuvare dai diversi membri della Commissione, valendosi all'uopo dei preziosi studi paleografici eseguiti sotto la sapiente direzione del Rmo Abate di Solesmes. Ed affinchè l'importante lavoro proceda maggiormente alacre e concorde, la Santità Sua si riserva di fare appello ai varí componenti la Commissione perchè questi più direttamente applichino l'opera del loro studio a quei libri liturgici, la cui riforma melodica è ancora meno inoltrata.

A garantire poi l'attuazione di tali disposizioni, il Santo

Padre si è ulteriormente degnato di stabilire quanto qui appresso Le notifico a nome della prelodata Santità Sua:

1) La Santa Sede prenderà sotto la sua autorevole e suprema protezione l'Edizione speciale dei libri liturgici che raccomanda come tipica, lasciando per altro il campo libero agli studi dei competenti nella disciplina Gregoriana.

2) Per evitare qualsiasi monopolio, sia di diritto che di fatto, l'Edizione Vaticana tipica potrà essere liberamente riprodotta dagli editori, purché osservino le condizioni fissate nel *Motu Proprio* del 25 aprile 1904 (1).

3) I Membri ed i Consultori della Commissione si presteranno di buon grado per agevolare il compito del Presidente, col concorso dei loro lumi e della loro scienza, e saranno a disposizione della Santa Sede per eseguire gli altri lavori affini e per esaminare le pubblicazioni da approvarsi dalla S. Congregazione dei Riti.

4) Onde salvaguardare alla S. Sede, al presente ed in avvenire, i suoi indiscutibili diritti sul canto sacro, parte integrante del patrimonio della Chiesa Cattolica, l'alta direzione dell'opera, sia per la composizione dei libri liturgici, sia per l'approvazione da darsi alle varie pubblicazioni liturgiche, specialmente ai propri ed àgli Uffici nuovi, viene affidata all'Emo Cardinale Prefetto della S. Congregazione dei Riti, che si concerterà col Presidente della Commissione per le opportune disposizioni e misure: e queste saranno poi attuate d'accordo col sottoscritto Cardinale Segretario di Stato.

5) I diritti di proprietà della Santa Sede, cioè la stampa per la Santa Sede medesima e per gli editori da essa già autorizzati a riprodurre l'Edizione Vaticana sono garantiti dal carattere della pubblicazione, dalla fisionomia propria della Edizione stessa e dalla formale rinuncia generosamente

(1) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 36, pag. 586.

emessa in favore della Santa Sede dal Padre Abate di Solesmes e dalla P. V. di tutti i risultati già pubblicati dai loro precedenti lavori.

6) Queste disposizioni, e specialmente la base della Edizione Vaticana, cioè l'edizione fatta a Solesmes nel 1895, serviranno a tutelare la lettera e lo spirito degli anteriori documenti Pontifici, compreso il Breve indirizzato al Padre Abate di Solesmes il 22 maggio 1904 (1), e ad addivenire alla migliore soluzione scientifica e pratica.

Nel portare? a conoscenza della Paternità Vostra queste disposizioni del Santo Padre, ben sicuro che Ella, nel suo solerte zelo, rivolgerà tutte le sue diligenti cure alla completa attuazione delle medesime disposizioni, mi giovo dell'incontro per confermarmi colla più distinta stima

Delia P. V. Rma

Roma 24 giugno 1905.

Affmo nel Signore

R. Card. MERRY DEL VAL.

*Revmo Padre D, Giuseppe Pothier, Abate O. S. B.*
*Presidente della Commissione Pontificia*
*per l'Edizione Vaticana dei libri Liturgici Gregoriani.*
*Roma.*

(1) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. **3y,** p. **2o3.**

# ACTA ROM. CONGREGATIONUM

## EX S. CONGR. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

### ORDINIS CISTERCIENSIUM

**De iure ferendi suffragium a professis votorum simplicium in actis Capitularibus Ordinum votorum solemnium.**

*Beatissime Pater,*

D. Eugenius Notz, Abbas Maristellae, Prior Augiae Maioris Ordinis Cisterciensis in Austria, necnon Vicarius Generalis Congregationis Cisterciensis Helveto-Germanicae ac Visitator monialium eiusdem Cisterciensis Congregationis, ad pedes S. V. humillime provolutus petit decisionem harum •quaestionum :

I°. Habentne monachi Congregationis Helveto-Germanicae Ordinis Cisterciensis communis observantiae simpliciter professi suffragium: *a)* in admissione alicuius candidati ad novitiatum; *b)* in primo et secundo scrutinio pro novitiatu continuando; *c)* pro admissione ad vota simplicia emittenda post unum annum novitiatus?

**2°.** Habentne iidem monachi simpliciter professi suffragium in quibuscumque abalienationibus ex parte monasterii?

3°. Habentne moniales Congregationis Helveto-Germanicae Ordinis Cisterciensis communis observantiae simpliciter professae suffragium : *a)* in admissione alicuius candidatae ad novitiatum; *b)* in primo et secundo scrutinio pro noviliato continuando ; *c)* pro admissione ad vota simplicia emittenda post annum unum novitiatus?

4°. Habentne eaedem moniales simpliciter professae suffragium in quibuscumque abalienationibus ex parte monasterii ?

5°. Habentne eaedem moniales simpliciter professae vocem activam (ita ut possint eligere non autem eligi) in electione Abbatissae in dies vitae?

Sacra Congregatio Emorum ac Revmorum S. R. E. Cardinalium Negotiis et Consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, perpensis omnibus, respondendum esse censuit prout respondet: « *Affirmative* in omnibus » (i).

Romae die 20 Februarii 1905.

D. Card. FERRATA, *Praefectus.*

L. S. Philippus Giustini, *Secretarius^*

(i) Ad maiorem intelligentiam propositorum dubiorum ac proinde etiam act valorem datae a S. Congregatione decisionis plene dignoscendum, ea quae sequuntur adnotare abs re non erit. Licet enim in Constitutionibus Ordinis Cisterciensis, quae in pluribus casibus consensum maioris partis Conventus praescribunt, nihil praecise et aperte decernatur de iure suffragii ferendi, excepto casu electionis Abbatissarum, pro quo statuitur: « moniales habere ius suffragii a die professionis », attamen in omnibus monasteriis monachorum Congregationis Helveto-Germanicae Ord. Cister. tam ante quam -post promulgationem litterarum diei 19 Martii 1857 ('Cfr. *Collectanea* Bizzarri, *ed. 1885, pag. 853 et seq.)* et in omnibus monasteriis monialium tam ante quam post promulgationem decreti diei 3 Maii 1902 (Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 35, pag. 31) praxis fuit servata admittendi religiosos et religiosas ad suffragium in propositis casibus statim post emissam solemnem professionem. Praeterea de facto professi votorum simplicium post promulgationem litterarum S. Congregationis super Statu Regularium diei 19 Martii 1857 triennium votorum simplicium praescribentium, sicut etiam simpliciter professae post promulgationem decreti diei 3, Maii 1902 ad votum ferendum quoad casus propositos interdum in eadem Congregatione fuerunt admissi, interdum vero a voto ferendo exclusi. Quibus praehabitis, nonnulla consectaria ex hodierna S. C. resolutione sponte sua fluunt.

Professi cum votis simplicibus in Ordinibus votorum solemnium, saltem, iuxta communiorem ac magis fundatam sententiam, sunt veri et proprie religiosi, quia triennium votorum simplicium non ideo institutum fuit ut religiosorum iura minuerentur, sed ut ipsius professionis solemnis decori consuleretur- Quapropter professi simplices omnibus iuribus ac privilegiis generatim fruuntur atque officiis detinentur prout professi solemnes, quemadmodum quoad religiosos liquet ex declarationibus S. C. super Statu Regularium diei 12 Iunii 18S8- ad vi et viii, necnon ex aliis declarationibus eiusdem S. C. diei 6 Aug. 1858 quoad religiosas vero ex decreto S. C. EE. et RR. diei 3 Maii 1902 ad vi, vii et viii. Ad rem nostram praesertim faciunt relatae declarationes diei 12. Iunii 1858, quae sub n. viii pro monachis decernunt: « Anni professionis, qui requiruntur ut quis voce activa et passiva gaudeat et ad officia admitti possit,, a die emissionis votorum simplicium computentur; et professi votorurn simplicium suffragium habeant in actis Capitularibus sui Conventus, quatenus et

# EX S. CONGREGATIONE CONCILII

## MANIZALEN.

### DUBIORUM QUOAD S. ORDINATIONEM

**Conceditur ad triennium facultas ordinandi iuvenes alienígenas absque dimissoriis proprii Ordinarii.**

**Species facti.** Episcopus Manizalen. H. S. C. sequentia proposuit:

« Sunt in Seminario Manizalensi adolescentes qui, familias et domus relinquentes, iustis de causis e dioecesi originis

prout habent solemniter professi »; necnon decretum diei 3 Maii 1902, in quo eadem pro monialibus statuuntur. Hinc legitime desumitur regula generalis, vi cuius professi simpliciter iure gaudent ferendi suffragium etiam in actis Capitularibus, nisi expresse a lege excludantur. Iamvero unica exclusio seu exceptio inducta fuit tum a decreto S. C. super Statu Regularium die 7 Febr. 1862 ad i, in quo monachi professi cum votis simplicibus praecise arcentur a voto ferendo pro admissione professorum simplicium ad professionem solemnem, tum etiam ab altero decreto S. C. EE. et RR. diei 5 Maii 1902 ad viii, ubi pro monialibus cavetur: « Verumtamen professae votorum simplicium nunquam suffragium, imo ne locum quidem habebunt in Capitulis, in quibus et quatenus agitur de admittendis ad professionem solemnem ». Cuius prohibitionis duplex assignari solet ratio, sive quia professi simplices, quum ad solemniter professorum corpus nondum pertineant, ad illud alios admittere nequeunt, sive quia contingere potest ut professos admitientes inter et admissos periculum collusionis enascatur, cum alii post alios, vel simul, vel post breve tempus ad solemnem professionem admittendi sint. At hae rationes militare non videntur quoad admissionem candidatorum ad novitiatum aut etiam novitiorum ad professionem simplicem; nam ex una parte professi simpliciter iam sunt de corpore adspirantium, ex altera vero collusionis periculum timendum non est, cum iidem professi nihil ab aliis expectare possint. Quibus accedit quod si Summus Pontifex voluisset simplices professos a ferendo suffragio quoad admissionem novitiorum ad professionem simplicem excludere, aperte hoc dixisset, iuxta effatum : *quod voluit expressit, quod non voluit non expressit;* eo vel magis quod eosdem aperte iam excluserat ab eodem suffragio ferendo quoad admissionem ad professionem solemnem. Caeterum haec et non alia est praxis ab Ordinibus religiosis fere universaliter recepta, iis dumtaxat exceptis, quorum Constitutiones aliter caventur. Resolutiones vero H. S. C, quae prima fronte in contrarium facere videntur, habendae sunt veluti enunciatae generalis regulae exceptiones particu-

recesserunt et ad ordines promoveri desiderant in hac dioecesi, animo hic permanendi modo ad ordines admittantur; unde eorum animus permanendi quasi conditionalis est dicendus. Quum Episcopus originis eos permisisset huc transire iustas existimans causas vel rationes transeundi, ab eo petii pro dictis adolescentibus litteras dimissorias eo fine ut omne dubium circa licitudinem ordinationis removeretur, animo denuo flagitandL pro ipsis excardinationem cum in ordinibus ecclesiasticis essent constituti. Horum iuvenum aliqui habent in Seminario gratuitum locum, et cum paene iam habeant studiorum ecclesiasticorum curriculum expletum, non est possibile magis quam per triennium protectionem producere, sed flagitantes iteratis supplicationibus litteras dimissorias a proprio Pastore, obtinuerant tantum testimoniales et spem obtinendi dimissorias prorsus amiserunt, eo 'quod Episcopus eorum proprius, quamvis non postulet neque velit ut ad se redeant, tamen nixus quadam consuetudine affirmat eos domicilium perfectum quoad ordines acquisisse, modo in Semi-

lares, seu aliis verbis privilegia huic vel illi Ordini concessa. Ita ex gr. in una *Ordinis Hierosolymitani* die 27 Apr. 1866 ab H. S. C. peculiares ob rationes denegatum fuit professis votorum simplicium dicti Ordinis Equestris ius ferendi suffragium in Capitulis (Cfr. *Acta S. Sedis,* vol: 2, pag. 97-102). Item Ordini Franciscanorum die i Sept. 1875, prout nobis fidem faciunt *Acta Ordinis Minorum,* anno v, pag. 182, necnon *Analecta Cappuccinorum,* vol. 3, pag. 33, concessum fuit privilegium, vi cuius professi votorum simplicium arcerentur ab actu ferendi suffragium pro novitiorum admissione ad professionem votorum simplicium. Nuperrime demum die 20 Maii 1904, ad incommoda haud levia evitanda, indultum fuit Ordini Cartusiensi ut professi votorum solemnium soli vocem habeant pro qualibet receptione aut admissione in Ordine, exclusis ipsis professis votorum simplicium in Subdiaconatus Ordine constitutis. Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 37, pag. 25. Concludendum est igitur, non obstante contraria doctrina a nonnullis scriptoribus etiam maximi subsellii tradita, professos votorum simplicium vi legis generalis ius habere ad vota ferenda in actis Capitularibus etiam pro admissione novitiorum ad simplicem professionem: quod apprime congruit hodiernae S. C. decisioni, quae licet data sit in casu particulari, tamen ob omnimodam rationum identitatem extenditur ad omnes Ordines in jisdem circumstantiis versantes *(N. R).*

nario huius dioeceseos permanserint per triennium cum animo perpetuo hic manendi si ad ordines admitterentur, adiuncto domicilii iuramento ». Hinc sequentia dubia subiecit:

« I. Utrum talis consuetudo ordinandi alienígenas ratione domicilii, eo quod in Seminario novae dioeceseos usque ad triennium commorati sint cum intentione permanendi perpetuo in loco promotionis si ad ordines reciperentur, sustineri possit post publicationem Concilii Plenarii Latini Americani in regionibus nostris, vel talis consuetudo contra spiritum Constitutionis Innocentii XII *Speculatores* inveniatur.

« II. Utrum alienigenae etiam filii-familias, ab alio quam a proprio Episcopo possint ordinari cum litteris tantum testimonialibus, modo in Seminario novi Episcopi permanserint per triennium et iuramentum praestent sibi semper fuisse in animo permanere in loco promotionis, si ad ordines reciperentur.

« III. Utrum qui ratione salutis vel alterius iustae causae recesserunt a propria dioecesi ad explendum studiorum alibi curriculum et in loco novae commorationis ante decennium, ad ordines promoveri desiderant, cum animo perpetuo manendi in loco promotionis modo admittantur ad ordines, egeant non tantum testimonialibus, verum etiam dimissoriis litteris, quando utilitas vel necessitas, ecclesiae postulet eorum ad triennium ordinationem.

«IV. Utrum ad domicilium perpetuum quoad ordines acquirendum secundum Constitutionem Innocentianam, his qui actu bona mobilia non habent, sufficiat commoratio in Seminario novae dioeceseos per considerabile tempus ad arbitrium novi Episcopi, modo iuramentum accedat, sibi' semper fuisse in animo, si reciperentur ad ordines, permanere perpetuo in loco ordinationis, modo supra dicto.

« V. Utrum liceat Episcopo Manizalensi, in casu concreto de quo agitur, in promotione iuvenes tales ordinare transacto triennio, attenta opinione et voluntate Episcopi originis et

etiam necessitate ecclesiae, et periculo vocationum in his, quibus protectio suspendatur ; vel quid faciendum in casu ».

**Animadversiones.** Conc. Trid. *(Sess.* ***2j****, cap. 8 de Reform.)* mandat ut: « Unusquisque a proprio Episcopo ordinetur ». Quatuor autem sunt tituli, quibus Episcopus dici potest proprius, nempe ratione originis, domicilii, beneficii, et familiaritatis (i). Iamvero iuxta Const. Innocentii XII *Speculatores:* « Subditus ratione domicilii ad effectum suscipiendi ordines is dumtaxat censeatur, qui, licet alibi natus fuerit, illud tamen adeo stabiliter constituerit in aliquo loco, ut vel per decennium saltem in eo habitando, vel maiorem rerum ac bonorum suorum partem cum instructis aedibus in locum huiusmodi trarisferendo, ibique insuper per aliquod considerabile tempus commorando, satis superque suum perpetuo ibidem permanendi animum demonstraverit; et nihilominus ulterius utroque casu se vere et realiter animum huiusmodi habere iureiurando affirmet ». In casu deesse videtur animus perpetuo manendi ; praefati enim adolescentes ita animo dispositi exhibentur, ut in dioecesi Manizalensi perpetuo manerent, si tamen ad ordines promoverentur. Eorum igitur animus esset consequens non autem antecedens ordinationis actum contra sacros Canones domicilium «constitutum et non constituendum pro ordinibus praescribentes. Praeterea, etiamsi conditio purgaretur et animus conditionalis evaderet absolutus, requireretur decennalis commoratio, quum triennalis importaret etiam bonorum translationem. Asseritur quidem iis in locis adesse consuetudinem de sufficientia huius triennalis permanentiae, sed ipsa contra Const. Innocentianam inolescere nequit; extant enim responsa Clementis XI ad Archiepiscopum Mexicanum diei 20 Nov. 1719 necnon S. C. de Prop. Fide 21 Iulii **1**82**1,** quibus praeceptum imponitur

**(i) Ex hodierna disciplina usu recepta et dein decreto S. C. Concilii diei** 20 **Iulii** 1898 **approbata accensetur pro clericis etiam quintus titulus, qui incardinatio vocatur. Cfr.** ***Acta S. Sedis,*** **vol.** 31**, pag.** 49 ***(N. R.).***

ut Bulla Innocentianâ ubique servetur. Quinimo Concilium Plenarium Americae Latinae *(Cfr. Acta et Decreta, tit.* **5,** •*cap.* 7, *n.* ***JSJ)*** non modo de praefata consuetudine mentionem non facit, sed etiam eam suppositum destruit hisce verbis: « Quis sit subditus alienus et quis proprius, ad effectum suscipiendi ordines, aperte declaravit Innocentius XII in Const. *Speculatores* die 4 Nov. 1694 ».

Infitiandum tamen non est adolescentes illos per quamdam benigniorem interpretationem considerari posse subditos Episcopi Manizalensis, et idcirco ab eo ordinari licite cum litteris testimonialibus suorum Ordinariorum. Isti reapse domos et familias reliquerunt, at cum adhuc filii-familias sint, nulla profecto bona transferenda habere possunt. Insuper eorum Ordinarius non solum, quominus e dioecesi discederent eos non prohibuit, quin immo ne vult quidem ut revertantur, sed ut ab alio ordines recipiant ultro permittit, ita eos -a sua potestate quasi solvendo. Ad haec adde factum de gratuitis alimentis, quae hucusque a Seminario Manizalensi nonnulli ex illis adolescentibus acceperunt. Tandem si spiritus Bullae Innocentianae attendatur, benignior interpretatio omnino contraria non apparet menti legislatoris, compescere volentis sacrilegam illorum impudentiam, qui ordines ab alieno Episcopo suscipere praesumebant « absque dimissoriis commendatitiisve suorum Ordinariorum litteris, quinimo eis insciis et saepe etiam invitis ». In themate vero Episcopus ordinans durante triennio iudicium de candidatorum idoneitate sibi efformare valet, et ipse Episcopus originis favorabile testimonium de ordinandis tradidit.

**Resolutio.** S. Congr. Concilii, re diligenter perpensa, die 21 Ianuarii 1905 rescribendum censuit:

*Attentis omnibus, pro gratia ad triennium, firmo iuramento ad tramitem Bullae* Speculatores, *et cum testimonialibus ad tramitem iuris, facto verbo cum SSmo.*

## Colliges

1°. Praeterquam a Romano Pontifice eiusque delegato, nonnisi ab uno Episcopo proprio, qui talis est ratione originis, domicilii, beneficii, familiaritatis vel incardinationis, licite recipi possunt clericales ordines.

**2°.** Episcopum domicilii proprium sortitur candidatus si, praeter animum in dioecesi perpetuo manendi iuramento firmatum, ibidem commoratus fuerit saltem per decennium, veli etiam per triennium (1) modo translatio domus et bonorum sit secuta.

3°. Hinc qui nulla fortunae bona transferenda habet, domicilium sibi constituere tantum potest per decennalem commorationem cum animo uti supra; secus enim ad ordines promoveri nequit sine dimissoriis proprii Episcopi.

4°. Litterae testimoniales solum testimonium continent de idoneitate promovendi, dum dimissoriales concedunt alieno Episcopo facultatem ordinandi proprium subditum; quibus irrationabiliter denegatis semper patet recursus ad S. Sedem.

5°. Contra Bullam Innocentianam inolescere nequit consuetudo, vi cuius simplex triennalis commoratio, etiam adiecto iureiurando de animo perpetuo in loco manendi, sufficeret ad domicilium pro ordinibus acquirendum.

6°. In casu autem, firmo manente iure communi, sed attenta opinione et voluntate Episcopi originis necnon necessitate ecclesiae et periculo vocationum, dispensatio largitur.

(1) Non conveniunt doctores quale sit illud *aliquod considerabile tempus* a Const. *Speculatores* hac in re praescriptum; certum tamen est sufficere commorationem triennalem. Cfr. Gasparri *(De S. Ordinatione, vol. 2, n. 832)* necnon auctores ab eodem citati *(N. R.)*.

# TOLETANA
## DISTRIBUTIONUM

**Praxis tribuendi distributiones quotidianas canonico Magistrali a choro absenti non sustinetur, sed ex gratia conceditur indultum per duos dies canonico Magistrali Toletano.**

**Species facti.** In ecclesia Cathedrali Toletana sicut in aliis Cathedralibus Hispaniae, mos est ut, praeter canonicum Theologum et Poenitentiarium, habeatur etiam can. Magistralis, cui onus incumbit concionandi Capitulo et populo in quibusdam solemnitatibus, et cui quasi in mercedem laboris conceditur' indultum a praesentia in choro, non amissis distributionibus, per totam hebdomadam concioni antecedentem. Quamvis haec praxis pluries reprobata fuerit a S. C. Concilii, uti videre est in *Vallisoletana* 29 Apr. 1899 et in *Oveten.* 27 Apr. 1901 (1), tamen quia in coeteris Hispaniae Capitulis non tantum in consuetudine quam in Concilio Provinciali Compostellano illa fundatur, Emus Archiepiscopus Toletanus quaestionem H. S. C. submittere censuit.

**Rationes favorabiles.** Citatum Conc. Compostellanum de can. Magistrali cavet: « Praedicatori liceat, quoties sermonem est habiturus, per octo dies integros abesse *(a choro)*, dum tamen Missae sacrificio adsit ». Iamvero Conc. Trid. *(Sess. 24, cap. 2 de Reform.)* loquens de Conciliis Provincialibus habet : « Provincialia Concilia, sicubi omissa sunt, pro moderandis moribus, corrigendis excessibus, controversiis componendis, aliisque ex sacris canonibus permissis renoventur ». Quibus verbis tribuitur Conc. Provinciali potestas condendi leges in materia morum et praeter ius commune, uti interpretantur Canonistae, inter quos Schmalzgrueber *(Diss. prooem., § 8, n. ßj8),* Fagnanum *(Comm. in V Decret., De accus., cap. 2ß* Sicut olim, *nn. ßp, 6j et y8)*, Wernz *(Ius Decret., tom. i, pag. 10ß, n. 94, ed. i).* Atqui lex Compostellana

(i) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 32, pag. 87; et 34, pag. 3.

concedens octo dies absentiae a choro non solum comprehenditur in materia morum, sed versatur etiam extra ius commune, quia institutio can. Magistralis in sola Hispania habetur. Hinc contra hanc legem alligari nequeunt *cap. unie, de cleric. non resid. in 6, et cap. 12, sess. 24 Conc. Trid.*, quae, utpote ex iure communi desumpta, can. Magistralem non attingunt.

Neque praedictae legi Compostellanae legitimum deest fundamentum in ipso iure communi; nam can. Magistralis in casu exercet munus suo officio adnexum et censetur agere in utilitatem ecclesiae choralis, sicut Theologus, Poenitentiarius et Procurator, quorum alteri pro diefjus quibus legit, secundo autem pro horis quibus confessiones audit, tertio demum pro tempore quo curat negotia temporalia ipsius Capituli conceditur ficta praesentia. Hinc sicut non reprehenditur Conc. Compostellanum pro concessione facta can. Doctorali, ita ut censeatur praesens in choro, quoties causam ecclesiae agere debeat; ita reprehendí non potest, quando tale privilegium extendit ad can. Magistralem pro tempore necessario ad concionem praeparandam, quae in bonum spirituale non tantum populi sed et ipsius Capituli vergit.

Quibus accedit quod plures Patres Conc. Compostellani interfuerant etiam Conc. Tridentino, cuius proinde decreta circa residentiam canonicorum ipsos transgressos fuisse non est facile credendum. Caeterum habetur saltem tacitus S. Sedis consensus, quae sive per se sive praesertim per Nuntium Apostolicum, occasione Concordiae a Pio V confirmatae, legem Compostellanam non ignoravit, quamque per tria saecula nec improbavit.

**Rationes contrariae.** In iure communi habetur *cap. unie, de cler. non resid. in 6°*, vi cuius reprobatur consuetudo tribuendi canonicis et aliis beneficiatis non interessentibus distributiones ; quod confirmatur a Conc. Trid. *(Sess. 24, cap. 12 de Reform.)*. Sola autem causa fictae praesentiae,

praeter infirmitatem, est utilitas ecclesiae; ex qua proinde explicatur quomodo tamquam praesentes habeantur can. Theologus tota die qua legit, can. Poenitentiarius dum audit confessiones, et can. Parochus dum parochialia munera actu exercet. Similiter apud omnes receptum est, causam iuridicam fictae praesentiae esse illam utilitatem ecclesiae, quae resolvitur in favorem Capituli, relate sive ad eius personas sive ad eius bona; non autem quae vergit in favorem Episcopi, dioecesis, cultus et animarum, uti patet in una *Aesina-Distributionum* diei 29 Iulii 1848. Cfr. Lingen et Reuss *(Causae selectae, pag. joi).* Atqui in themate munus can. Magistralis directe vergit in utilitatem Episcopi, cuius ipse gerit vices in praedicatione, non vero in utilitatem propriae ecclesiae.

Nec ex eo, quod Magistralis exercet munus adnexum suae praebendae, censetur agere in utilitatem suae ecclesiae. Nam tale ius ipsi non competit ex hoc quod concionem sit habiturus; per se enim distributiones non debentur concionatoribus absentibus a choro, ut resolvit haec S. C. in *Adiacen.* io Sept. 1678 et in *Franen.* 20 Dec. 1862. Nec ex eo quod exerceat munus adnexum praebendae; quia ipso can. Lectorali nonnisi pro gratia indultum concessum fuit, uti patet in una *Tropien.* 9 Maii 1597 et in *Carthaginen.* II Apr. 1891 (i). Cfr. etiam Barbosa *(De canon., cap. 27, n. ßß)* aliique ab eo citati. Nec debentur eo quod utrumque copulative in Magistrali concurrat, scilicet quod debeat concionari ex munere praebendae adnexo, testantibus Fagnano *(in cap.* Licet, *De Praeb., n. 114)* et citatis resolutionibus in *Vallisoletana et Ovetensi.* Item non valet paritas cum can. Poenitentiario, quia hic habet privilegium a Tridentino concessum. Cfr. ad rem Bonacina *(De Horis can., disp. 2, q. ß, punct. ß, § ß).*

(i) **Cfr.** *Acta S. Sedis,* **vol.** 24, **p.** 72.

Nec omittendum est can. Magistralem tempore quo parat concionem non exercere munus suae praebendae adnexum, sed parare se tantum ad illud munus exercendum; eo vel magis quod sermo alio tempore componi et addisci potest, uti habet Garcia *(De Benef., part.* ***3,*** *cap. 2, n.* ***I2J).***

Quin aliquid suffragetur citata dispositio Conc. Compostellana nam cum ipsa aperte refragetur iuri communi, ut sustineatur necessaria esset approbatio R. Pontificis in forma specifica. Haec autem adfuisse probari nequit, quum Breve Pii V, quod pro asserenda confirmatione affertur, non est confirmatio generalis Conc. Compostellani sed particularis nonnullorum decretorum, nempe Concordiae inter Archiepiscopum Compostellanum et suos suffraganeos eorumque Capitula. Cfr. Bullarium Rom. *(ed. Taur., vol.* 7, *pag.* 777 *et* ***j8o)*** et decisio S. Rotae in *Toletana* 18 Maii 1584 coram Aldobrandino, quam refert Garcia *(loc. cit., part. y, cap.* ***4,*** *n. 166).* Cum igitur acta dicti Concilii recognita a S. Sede non fuerint, nil mirum si plura in illis reperiantur menti Conc. Trid. contraria, uti referunt Garcia *(loc. cit., cap. j, nn.* ***II*** *et 12; necnon part.* 7, *cap.* 7, *nn.* ***4J, 46*** *et* ***47)*** et Benedictus XIV *(De Syn. dioec, lib.* ***4,*** *cap. y, n. 11).*

Praeterea consuetudo in casu reprobata pariter fuit in responsionibus H. S. C. in citatis *Vallisoletana* et *Oveten.*, necnon in litteris Card. Praefecti E. S. C. ad Episcopum Oveten., in quibus dicitur: «Dum hoc responsum A. T. communico, gratissimum mihi est addere quod, si tum ob antiquam consuetudinem, tum ob alias causas reputas unum aut duos vacationis dies esse necessarios, Emi Patres alieni minime sunt, ut ex gratia concedatur indultum ut in Vallisoletana, licet expositam consuetudinem iure inspecto uti abusum non tolerandum retineant ».

Demum, cum in aliis Capitulis Hispaniae dicta dispositio sit applicata sive per statuta Capitularia sive per consuetudinem, vel sit restricta ad tres aut quatuor dies, hinc etiam

super hoc Emus Archiepiscopus Toletanus iudicium H. S. G. exquirit; atque proponit, quatenus praedicta dispositio Conciliaris et statuta Capitularia non sustineantur, ut can. Magistralis ex gratia censeatur praesens ad effectum lucrandi distributiones, tum die quo concionem dicit tum die praecedenti sermonem.

**Dubia.** I. *An sustineatur invecta praxis tribuendi distributiones quotidianas canonico Magistrali a choro absenti sive per hebdomadam integram, sive per tres aut quatuor dies, ad parandam concionem in casu.* — Et quatenus negative ad utrumque :

II. *An et quot dies absentiae absque amissione distributionum quotidianarum concedi possint canonico Magistrali in casu.*

**Resolutiones.** Et S. Congr. Concilii, libratisque hinc inde rationibus, die 21 Ianuarii 1905 respondendum mandavit :

Ad I. *Negative.*

Ad II. *Affirmative favore canonici Magistralis Toletani Capituli per duos dies ad quinquennium.*

## Colliges

1°. Conc. Trid. *(Sess. 24, cap. 12 de Reform.)* in usum revocans Constitutionem Bonifacii VIII *(cap. un. de der. non resid. in 6)* penitus improbat consuetudinem tribuendi distributiones quotidianas canonicis aliisque beneficiatis a choro absentibus, non obstantibus quibuscumque statutis aut consuetudinibus etiam immemorabilibus.

2°. Verum, praeter infirmitatem, uti causa iuridica fictae praesentiae recepta fuit necessitas seu evidens ecclesiae utilitas, quae directe vergit in favorem ipsius Capituli particularis, non autem Episcopi, dioecesis, Ecclesiae universalis aut cuiuscumque alterius ecclesiae.

3°. Hinc iure communi tamquam choro praesentes ha-

bentur canonicus Theologus tota die qua legit, Poenitentiarius dum confessiones audit, Parochus dum animarum curam actu exercet, et Procurator quoties negotia Capituli agit.

4°. Indultum autem a Conc. Compostellano concessum can. Magistrali sustineri nequit, sive quia est contra ius commune, sive quia deest beneplacitum Apostolicum.

5°. Tandem S. Congregatio, dum generatim reprobat huiusmodi consuetudinem in Hispania existentem, solo can. Magistrali Toletano largita est gratiam fictae praesentiae ad quinquennium per duos dies, per diem nempe concionis diemque eidem praecedentem ; coetera proinde Capitula pro gratia obtinenda ad S. Sedem recurrere tenentur.

## BENEVENTANA

### ADSCRIPTIONIS AD CLERUM

**Sustinetur revocatio decreti adscriptionis ad ecclesiam rece* ptitiam ab Ordinario facta.**

**Factispecies.** Sac. Alphonsus Speranza, oppidi *Gildone* in Beneventana archidioecesi, ex familia Fr. Minorum perpetuam saecularizationem a S. Sede obtinuit, atque prius Boianensi dein Beneventanae dioecesi incorporatus, die io Iunii 1901 adscriptus fuit ecclesiae Gildonensi. Clerus autem istius oppidi factam aggregationem non acceptavit et valde contra emissum decretum conquestus est: quare Archiepiscopus, ut prudentiae consuleret, decreti executionem differendam censuit, promittens tamen dicto sacerdoti opportunas dispositiones in posterum se daturum. At nec Emus tunc temporis Archiepiscopus, nec sede vacante Vicarius Capitularis ad repetitis oratoris instantiis satisfaciendum adduci potuerunt. Nec aliter opinatur novus Archiepiscopus, qui voluit ut, ad maiora scandala - vitanda?-fideliter servarentur mandata Vicarii Capitularis, donec definitiva sententia emittatur. Eo

enim cleri oppositio processit, ut hic ecclesiam ac S. functiones desereret, quoties illis Speranza interveniat, qui hucusque in sua patria neque sacrum ministerium neque munus praedicationis exercere potuit, et alio confugere debuit, si suae honestae substentationi providere voluit. At quum hoc magis in dies onerosum et fere impossibile illi evadat ob eius provectam aetatem a. 70, recursum interposuit ad H. S. C. enixe efflagitans ut sua iura tueantur et obtentum incardinationis decretum executioni demandetur.

**Animadversiones.** In abstracto certum est decreta nonnisi ab ipsa auctoritate quae ea protulit vel ab alia legitime superiore reformari posse, eorumque executionem nullo modo suspendi valere per subditorum reluctantiam aut protestationes: in concreto tamen res non semper de plano procedit; plures enim in executionis actu exoriri possunt difficultates, quibus praevisis fortasse decretum ne emissum quidem fuisset. Hisce in casibus optimum est ipsam decreti executionem differre, praesertim si spes affulgeat facilius exortas difficultates resolvendas fore.

In themate autem oppositio cleri Gildonensis omni destituta fundamento iuridico videtur, nulla enim apparet ratio cur religiosus, qui perpetuam saecularizationem obtinuerit, nequeat clero saeculari adscribi eiusque privilegiis frui, necnon lucrorum particeps fieri. Sane religiosus saecularizatus fit subditus Episcopi receptoris eodem modo quo clerus dioecesanus ; Ordinarius vero ad tramitem Conc. Trid. *(Sess. 2j, cap. 16 de Reform.)* ius habet et onus adscribendi omnes clericos alicui ecclesiae, ergo etiam religiosum saecularizatum. Cfr. Benedictus XIV *(De Syn. dioec, lib. u, cap. 2, nn. 13 et 14).* Exinde cum nequeat admitti oppositio cleri contra adscriptionem alicuius clerici dioecesani, ita a pari neque contra religiosi saecularizati adscriptionem.

Quod si non admittitur oppositio contra huius religiosi adscriptionem, neque contra illius ius emolumenta adventitia

percipiendi admitti posse videtur; nam: *qui altari inservit, de •altari vivere débet.* Etenim, quidquid sentiendum sit circa adscriptionem *participantium* ecclesiis receptitiis sive numeratis sive innumeratis, quarum natura describitur a Salzano *(Lezioni di diritto eccl., vol. 2, pag.* ***IJ4),*** quum quaelibet adscriptio et multo minus ius ad emolumenta percipienda ob earum statuta particularia non tam facile sustineatur ; adscriptio tamen *non participantium* nullo iure particulari impediri potest, cum iure communi expresse praecipiatur. Item dubitari nequit quin, exceptis emolumentis certis et fixis ad *participantes* spectantibus, etiam *non participantes* ad lucra adventitia ius habeant, quia nonnisi per summam iniuriam denegari possunt adventitia illis clericis, qui rite a legitima auctoritate adscripti fuerunt ecclesiae, cum mens fidelium sit ut eleemosynae oblatae dividantur inter omnes clericos functionibus inservientes. Ceterum hoc ius *non participantibus* non semel confirmatum fuit etiam ab auctoritate civili ; uti legitur in literis Ministerialibus 11 Apr. 1835, et 15 Septembr. 1841. Cfr. *Collezione degli atti emanati dopo il Concordato del 1818, vol. j, pag. 4, et voi. 9, pag. 59.* Hiñe concludere licet quod, etiam cum agatur de ecclesiis receptitiis, legitime clero adscriptus adventitia emolumenta percipiendi ius habet, ac proinde oppositio cleri Gildonensis irrationabilis dicenda videtur atque ab Episcopo coercenda.

E contra, cum bonum totius communitatis anteponendum sit privati hominis utilitati, cumque ad maiora vitanda mala •interdum prudentiae magis quam stricto iuri consulere oporteat, in casu forte rescripto *non expedire* preces oratoris dimittendae viderentur. Orator enim natura et ingenio nimis difficilem se praebet, ita ut eius societas aliis gravosa et fere intolerabilis evadat. Insuper toto fere anno alio pergit ut docendi munere magis lucroso fungatur, et hinc nonnisi paucis rusticationis mensibus ecclesiae servitio addici poterit ; eoque fortius decreti executio differenda videtur ob scandala,

quae timeri possunt ex cleri oppositione et ex fidelium animarum iactura.

**Resolutio.** S. C. Concilii, omnibus perpensis, die 25 Februarii 1905 rescribendum censuit:

*Ad instantiam sacerdotis Speranza non expedire, et ad mentem.*

## Colliges

i°. Quamvis in abstracto decreta nonnisi a Superiore reformari possint, in concreto tamen, attentis impraevisis difficultatibus, aliquando eorum executionem vel differre vel penitus revocare oportet.

2°. Rescriptum perpetuae saecularizationis religiosis, etiam solemniter professis, concessum eos in perpetuum solvit a vinculo religionis, firmis semper manentibus emissis votis, quae quoad substantialia observari debent. Ita S. C. EE. et RR. die 15 .Maii 1840 etc.

3°. Saecularizatio autem perpetua non conceditur nisi prius religiosus Episcopum benevolum invenerit, qui suae dioecesi eum incardinet suumque subditum faciat.

4°. Praeterea iuxta Conc. Trid. *(Sess.* ***23,*** *cap.* ***16*** *de Reform.)* Episcopi tenentur suos clericos alicui ecclesiae vel pio loco adscribere, ubi ipsi suis fungantur muneribus nec incertis vagentur sedibus.

5°. Adscriptio *participantium* ecclesiae receptitiae ob eiusdem peculiaria Statuta non semper obtineri potest, at nunquam impediri valet adscriptio *non participantium* cum relativo iure ad lucra adventitia.

6°. In casu vero decretum adscriptionis sacerdotis Speranza ecclesiae Gildonensi per se sustineretur, sed quia ipse Archiepiscopus Beneventanus iam illud revocaverit cumque iustae adsint revocationis causae, preces oratoris dimissae sunt, cui tamen alio modo providendum erit.

# EX S. CONGREGATIONE RITUUM

## ASSISIEN.

### Super praecordiis S. Francisci Assisiensis.

Quaestioni olim agitatae, postea sopitae, nuperque iterum excitatae super praecordiis S. Francisci Assisiensis, quae Assisii in ecclesia S. Mariae ab Angelis nuncupatae, religiose custodiri alii affirmant, allata etiam vetusta Ordinis Minorum traditione; et alii negant vel in dubium revocant, Sacra Rituum Congregatio in peculiaribus Comitiis ad Vaticanum habitis die decima sexta elapsi mensis Maii, proponente Emo et Rmo Dno Cardinali Francisco Segna Causae Relatore, omnibus ex utraque parte ad rem deductis argumentis atque documentis, discussis accurateque perpensis, attento etiam voto Commissionis Historico-Liturgicae, atque audito R. P. D. Alexandro Verde sanctae Fidei Promotore, ita respondere censuit: « Imposito partibus de hac re contendentibus et disputantibus magno silentio, quaestionis praecipuae resolutio differatur, manente interim in sua possessione enunciata traditione. Si quid autem novi pro una vel altera sententia in casu reperiatur, Sacrorum Rituum Congregationis examini et iudicio erit subiiciendum ; nihilque edendum nisi de ipsius sacri Consilii expressa atque scripta licentia ».

Quas resolutiones Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Pro-Praefectum relatas, Sanctitas Sua ratas habuit, probavit atque servari mandavit.

Die 24 Maii 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. «£• S. f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

## SOCIETATIS IESU

**Circa Anniversarium Dedicationis ecclesiae, et circa festum Patrocinii S. Ioseph.**

Hodiernus Redactor Calendarii divinorum Officiorum ad usum provinciae Austriaco-Hungaricae Societatis Iesu Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna solutione humiliter exposuit; nimirum:

I. In archidioecesi Viennensi ex privilegio S. R. C d. 13 Ianuarii 1888 « a clero universo... tam saeculari quam regulari festum Dedicationis omnium ipsius archidioecesis ecclesiarum sub competente ritu quotannis Dominica III Octobris celebrari valet ». Quum autem alias festa eiusmodi dioecesana Regularibus concessa intelligantur absque Octava, quaeritur: Utrum hoc idem sit observandum in casu in templis Societatis Iesu non consecratis et intra eiusdem archidioecesis limites sitis?

II. Societati Iesu concessum est festum Patrocinii S. Ioseph Dominica III post Pascha celebrandum ritu duplici I classis cum Octava, et quidem, ut Observationes ad Calendarium approbatum 6 Decembris 1888 declarant, ita fixe ea die, « etiamsi occurrat cum festo Dedicationis ecclesiae propriae, Patroni, vel Titularis ecclesiae, quae amandantur ad primam diem non impeditam ». Quum autem haec sint festa primaria, quaeritur: Utrum eo ipso idem Patrocinium S. Ioseph pro Societate et a fortiori sit primarii loco habendum, nec ista praerogativa censenda revocata decreto S. R. C. n. 3808, 27 Iunii 1893, et n. 3881, 4 Februarii 1896?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisita sententia Commissionis Liturgicae, omnibus sedulo perpensis respondendum censuit:

Ad I. Anniversarium Dedicationis ecclesiae etiam a Regularibus celebrandum est sub ritu duplici I classis cum Octava in ecclesiis tam consecratis quam non consecratis

iuxta decretum 3522 *Amalphitana* 20 Augusti 1880 et decretum generale 3863 *Celebrationis festorum Patroni loci, Dedicationis ac Tituli ecclesiae* 9 Iulii 1895 a< ^ ^ (1).

Ad II. *Negative,* et concessio particularis revocata est decretis generalibus suprarelatis 3808 et 3881 (2).

Atque ita rescripsit. Die 7 Iulii 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. ✠ S. † D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

## ATREBATEN.

**Circa verba " Flectamus genua „ in Ordinatione, necnon circa Lectiones I Nocturni in festis S. Marthae V. et S. Benedicti Iosephi Labre.**

R. D. Onesimus Machez, hodiernus Magister Caeremoniarum ecclesiae Cathedralis Atrebaten. et eiusdem dioecesis Calendarii Redactor, de licentia sui Rmi Ordinarii a Sacro-

(1) Decretum in *Amalphitana* n. 3522 statuit Anniversarium Dedicationis ecclesiarum peragendum esse etiam in ecclesiis non consecratis, habet enim: « Quum ex decreto Sacrae Rituum Congregationis Anniversarium Dedicationis omnium ecclesiarum, Cathedrali excepta, in archidioecesi Amalphitana quotannis recolitur Dominica quae postrema occurrit in mense Octobri, Revmus Dominus hodiernus Archiepiscopus ab eadem Sacra Congregatione exquisivit: Num huiusmodi festum in omnibus suis archidioeceseos ecclesiis, vel in solis consecratis peragendum sit, excepta licet Cathedrali, cuius Anniversarium Dedicationis Dominica prima Septembris celebratur? — Sacra vero Rituum Congregatio.... declaravit: *Affirmative* ad primam partem; *negative* ad secundam ». Doctrinam hac in re completam tradit citatum decretum generale n. 3863 ad 3, quod prostat in *Actis S. Sedis,* vol. 37, pag. 600, nota i *(N. R.).*

(2) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 26, pag. 5i; et vol. 28, pag. 5o5. Festum enim Patrocinii S. Ioseph est secundarium, dum e contra festa Dedicationis ecclesiae propriae, Patroni vel Titularis ecclesiae sunt primaria, uti constat ex altero decreto generali n. 381o, 22 Aug. 1893 (Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 26, pag. 179), quod catalogum exhibet festorum, quae uti primaria vel secundaria retinenda sunt. Iamvero citata decreta decernunt festa primaria, utpote solemniora, aliis secundariis praeferenda esse tam in occursu quam in concursu *(N.R.).*

rum Rituum Congregatione solutionem insequentium dubiorum humillime postulavit; nimirum:

I. Utrum in Ordinatione peragenda Sabbato quatuor temporum Pentecostes, vel diebus Dominicis ex indulto Apostolico, pronuntianda sint ante singulas Orationes super Ordinatos verba Pontificalis *Flectamus genua?*

II. Ex indultis Apostolicis d. d. 22 Decembris 1881 et 27 Maii 1886 festa S. Marthae Virginis (29 Iulii) pro Galliarum Ditione et S. Benedicti Iosephi Labre, Confessoris (16 Aprilis) pro dioecesi Atrebaten. ad ritum duplicem maiorem evecta sunt, nulla mentione facta de Lectionibus in primo Nocturno recitandis. Calendarista vero Atrebaten., innixus decreto Sacrae Rituum Congregationis 2 Septembris 1741 ad 3 (1), putavit assignandas esse Lectiones de Virginibus et *Iustus si morte* de communi Sanctorum donec evulgata fuerit eiusdem Sacrae Congregationis responsio *Plurium Dioecesium* 30 Iunii 1896. Quam responsionem ita interpretatus est Orator ut assignaverit utrique festo Lectiones de Scriptura occurrente in Directoriis annorum 1903, 1904, 1905. Nunc quaeritur: Utrum post decretum 3923 *Plurium dioecesium* 30 Iunii 1896, in I Nocturno utriusque festi possint retineri Lectiones de Scriptura occurrente?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito etiam voto Commissionis Liturgicae, re mature perpensa rescribendum censuit:

Ad I. *Affirmative* iuxta Pontificale Romanum (2).

(1) Hoc decretum in *Aquen.,* quod in veteri Collectione sub n. 4119 quodque reformatum in nova sub n. 2365 invenitur, ad 3 inter alia decernebat: « Festa duplicia maiora habent Lectiones primi Nocturni vel proprias, vel de communi, non autem de Scriptura occurrente » *(N. R.).*

(2) Iuxta Pontificale Romanum *De Ordinibus* Episcopus, post collationem Tonsurae, cuiusvis Ordinis minoris et Diaconatus, necnon ante Subdiaconatus et Presbyteratus collationem, « ad altare conversus dicit *Oremus,* et Ministri subiungunt *Flectamus genua* et *Levate* ». Ratio dubitandi fortasse desumpta est ex eo quod in Sabbato quatuor temporum Pentecostes et in diebus dominicis

Ad II. *Affirmative* ad mentem decreti n. 3923 *Plurium dioecesium* (i).

Atque ita rescripsit. Die 7 Iulii 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. ✠ S. f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

# EX S. C. INDULGENTIARUM ET SS. RELIQUIARUM

## Indulgentiae tribuuntur recitantibus quamdam orationem pro propagatione pii usus Communionis quotidianae.

PREGHIERA

*per la propagazione del pio uso della Comunione quotidiana.*

O dolcissimo Gesù che veniste al mondo per dare a tutte le anime la vita della grazia vostra, e che, per conservarla ed alimentarla in esse, voleste essere e la quotidiana medicina della loro quotidiana infermità ed il loro quotidiano so-

imo et in festis omittuntur verba *Fleclamus genua* in Missa, dum e contra dicuntur in aliis tribus Sabbatis quatuor temporum et in ipso Sabbato Sancto. Sed imprimis observandum est quod functio Ordinationis distinguitur a Missa; praeterea Pontificale Romanum praefatam caeremoniam praescribit absolute, quin excludat Sabbatum quatuor temporum Pentecostes et Sabbatum ante Dominicam Passionis, quod dicitur *Sitientes,* proindeque nec dies dominicos aliosque festos, in quibus ex dispensatione Pontificia habetur S. Ordinatio *(N. R.).*

(i) Citatum decretum ita se habet: « Cum Sacra Rituum Congregatio expetita fuerit a plurium dioecesium Episcopis num, attenta multiplicatione Officiorum, quae sub ritu duplici maiori conceduntur, expediat adhuc in dictis Officiis legere Lectiones I Nocturni de Communi Sanctorum, nisi propriae habeantur, pro Scriptura occurrente ; — Sacra eadem Rituum Congregatio.... respondendum censuit: Praesentibus rerum adiunctis inspectis, Lectiones I Nocturni proprias vel de Communi Sanctorum esse in posterum adhibendas tantum pro Duplicibus I vel II classis; illis tamen Lectionibus exceptis, quae approbatae iam fuerint, vel in Breviario habentur pro Duplicibus seu maioribus seu etiam minoribus; vel aliis, quas pro specialibus rationibus vel adiunctis Sacra Rituum Congregatio approbare deinceps censuerit » *(N. R.).*

stentamente-; umilmente Vi preghiamo, per il Vostro Cuore così ardente dell'amor nostro, a diffondere sopra di tutte il Vostro divino spirito, affinchè quelle che sventuratamente sono in peccato mortale, convertendosi a Voi, riacquistino la vita della grazia perduta, e quelle che, per Vostro dono, vivono già di questa vita divina, ogni giorno, quando possono, si accostino devotamente alla Vostra sacra mensa, onde per mezzo' della quotidiana Comunione, ricevendo ogni giorno il contravveleno dei loro peccati veniali quotidiani, ed ogni giorno alimentando in sè Ja vita della grazia Vostra, e purificando così sempre più l'anima propria, giungano finalmente al conseguimento della vita con Voi beata. *Amen.*

*Ex Audientia Sanctissimi, die ßo Maii ipoj.*

SSmus Dnus Noster, cum ipsi maxime cordi sit ut usus quotidianae Communionis tam salubris ac Deo acceptus, in christiano populo, Christo Domino adiuvante, ubique propagetur, omnibus Christifidelibus qui praefatam orationem devote recitaverint, * tercentum dierum indulgentiam quotidie lucrandam ; eis vero qui per mensem integrum id egerint, atque die, proprio arbitrio eligendo, sacramento poenitentiae expiati sacraque Communione refecti, publicum oratorium visitaverint ac iuxta intentionem Sanctitatis Suae oraverint, plenariam indulgentiam benigne concessit. Quas indulgentias animabus etiam in Purgatorio detentis profuturas declaravit. Praesentibus in perpetuum valituris, contrariis quibuscumque non obstantibus. In quorum fidem etc.

**Casimirus** Card. **Gennari.**

Praesens Rescriptum exhibitum fuit huic S. Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae. In quorum fidem etc.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. C, die 3 Iunii 1905.

L. «f* S. f D. Pànici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

## DECRETUM URBIS ET ORBIS

**Quo indulgentia conceditur fidelibus qui, singulis primis mensis sabbatis vel dominicis, pietatis exercitium peregerint in honorem Virginis Immaculatae.**

Revmus P. Dominicus Reuter Minister Generalis Ordinis FF. Minorum Conventualium nuper exposuit, se arino quinquagesimo mox elapso, ex quo dogma de Immaculato Bmae Virginis Conceptu proclamatum est, veterem praxim, fere oblivioni datam, revocasse, exhibendi nimirum peculiarem cultum Virgini Deiparae singulis primis cuiusque mensis sabbatis, in obsequium tam singularis privilegii intuitu meritorum Christi eidem Virgini collati; quam piam praxim f. r. Clemens XIV uteris Apostolicis d. d. io Iunii 1794 indulgentia biscentum dierum iam ditavit, acquirenda a Christifidelibus, qui memoratis sabbatis praefati Ordinis ecclesias adivissent.

Porro quum tam laudabile exercitium, nunc denuo propositum, vehementissimo cordis affectu Christifideles sint prosequuti, né huiusmodi tepescat pietas, sed imo ferventior in posterum evadat, idem Minister Generalis humillimas preces SSmo Dno Nostro Pio PP. X admovit, ut Christifidelibus, qui singulis primis sabbatis, vel etiam dominicis, haud interruptis, infra spatium duodecim mensium sacramentali poenitentia rite expiati sacraque mensa refecti, sive precibus, sive quoque meditationibus ad honorem Virginis absque originali macula conceptae aliquandiu vacaverint, simulque ad mentem Sanctitatis Suae oraverint, plenariam indulgentiam, defunctis quoque applicabilem, memoratis sabbatis vel dominicis lucrandam, tribuere dignaretur.

Sanctitas vero Sua votis Revmi P. Ministri Generalis obsecundare optans, ut erga Dei Matrem magis foveatur fidelium religio, in omnibus pro gratia iuxta preces benigne

annuere dignata est. Praesenti in perpetuum valituro. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum ex Secretaria S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, die i Iulii 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Praefectus.*

L. «I* S. f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius*

---

# DIARIUM CURIAE ROMANAE

*SSmus D. N. Pius PP. X Litteris Secretariae Brevium:*

**i°. Revmum D. Dominicum a Transfiguratione Machado, Abbatem Generalem Congregationis Benedictinae Brasiliensis pro hac vice transtulit ab Abbatia S. Mariae de Monferrato civitatis Fluminis Ianuarii ad Abbatiam S. Sebastiani Bahiae.**

**2°. Revmum Gerardum Van Galoen, Abbatem S. Benedicti apud Olindam, nominavit Abbatem S. Mariae civitatis Fluminis Ianuarii.**

**3°. Laudavit ephemeridem** *L'Eco di Bergamo* **de zelo ad tuendam religionem per quinque lustra ab editione inchoata.**

**4°. Concessit indulgentias fidelibus, qui concionibus Quadragesimae, Adventus, Missionum et Spiritualium Exercitiorum a Fratribus Minoribus Provinciae Franciae habendis interfuerint.**

**5°. Largitus est indulgentias illis, qui concionibus Quadragesimae, Adventus, Missionum ac Spiritualium Exercitiorum Patrum Ordinis Minorum Provinciae Thuringiae interfuerint.**

*Eadem Sanctitas Sua Litteris Secretariae Status :*

**i°. Emum ac Revmum D. Card. Antonium Agliardi nominare dignata est Protectorem Academiae Immaculatae Conceptionis.**

**2°. Eirios et Revmos DD. Card. Casimirum Gennari et Beniaminum Cavicchioni benigniter adnumeravit inter Effios Patres Purpuratos Sacram Congr. de Propaganda Fide constituentes.**

**3°. Emum ac Revmum D. Card. Andream Steinhuber eligere dignata est in Protectorem Associationis mulierum constitutae loco** *Fulda* **inter Missiones catholicas.**

**4°. Tandem Revmum P. Ioseph Lemius, Procuratorem Generalem Oblatorum Mariae Immaculatae benigniter adnumeravit inter Consultores S. Congr. de Propaganda Fide.**

# INDEX ANALYTICUS



## ACTA ROMANI PONTIFICIS

## EX SACRO CONSISTORIO



## EX SECRETARIA BREVIUM

## EX SECRETARIA STATUS



# ACTA ROMANARUM CONGREGATIONUM

## EX S. CONR. S. R. ET U. INQUISITIONIS

## EX S. CONGR. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

## EX S. CONGREGATIONE CONCILII

## EX S. CONGREGATIONE DE PROPAGANDA FIDE



## EX S. CONGREGATIONE RITUUM

## EX S. CONGREGATIONE CONSISTORIALI



## EX S. C. INDULGENTIARUM ET SS. RELIQUIARUM

## EX S. CONGR. VISITATIONIS APOSTOLICAE



## EX S. C. A NEGOTIIS ECCL. EXTRAORDINARIIS



## EX S. POENITENTIARIA APOSTOLICA



## EX COMMISSIONE PRAESERVATIONE FIDEI



## EX COMMISSIONE BIBLICA

## EX COMMISSIONE CODIFICATRICE



## EX VICARIATU URBIS



## APPENDICES

# INDEX ALPHABETICUM

## A



## B

## C

# D

# E



# F

# G



# H



# I

## K



## L

# M

# N



# O

# P

# T



# U

## V



## ERRATA-CORRIGE

| *Pag.* | *lin.* | | |
|---|---|---|---|
| 105 | 5 | argmentum | augmentum |
| 295 | H | prohevenda | provehenda |
| 388 | i | numerum | ob numerum |
| 483 | 18 | mense | die |
| 523 | 11 | S. Missarum | Stipendiorum S. Missarum |
| » | 27 | duas | duo |
| 665 | 2 | P. Doss | P. De Doss |
| 717 | IO | deerunt | deerant |
| » | 16 | *Carmelicicus* | *Carmelitici* |

Quoad reliqua, praesertim vero quoad decretum in *Leopolien.* S. Congr. Concilii in responsione ad IV et ad V, Pag« 525-526 nihil omnino est immutandum, secus ac contendere quaedam ephemeris gallica *(Nota Redactionis).*

**IMPRIMATUR**

FF. ALBERTUS LEPIDI, Ord. Praed., *S. P. A. Magister.*

**IMPRIMATUR**

f IOSEPHUS CEPPETELLT, Patriarcha Const., *Vicesgerens.*